DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES.

VOL. IX.

HALIS SAXONUM.

MAX NIEMEYER.

MDCCCLXXXVIII.

INDEX DISSERTATIONUM.

GUILELMUS REINECKE:

DE SCHOLIIS CALLIMACHEIS.

Argumentum.

I. Exstitit olim commentarius vetus in hymnos Callimachi conscriptus.
II. Multae glossae ex Hesychio fluxerunt.
III. Scholion, in quo Diogenianus laudatur.
IV. Reliquae glossae, quae ad veterem commentarium redeunt, tractantur.
V. Scholia geographica, quae e lexico aliquo exili geographico fluxerunt.
VI. Scholia, quae ex Etymologico ut videtur Methodii sumpta sunt.
VII. Scholion, in quo Herodianus laudatur.
VIII. Scholia varii argumenti, ex quibus nonnulla compositor nostri commentarii de suo ingenio addere potuit.

Operam meam cum in Callimachi hymnos impenderem, iterum atque iterum quaestio exstitit, quid de scholiis, quae in eos scripta sunt, cogitandum esset. Qua de re viri docti inter se discrepant, cum alii nihili ea pendenda esse putent, ut Ruhnkenius ep. crit. II, p. 134, Valckenarius diatr. in Eur. perd. dram. rel. p. 283 a, quibus assentitur Heckerus comm. Callim. p. 48. 49, alii non prorsus esse spernenda iudicent, ut Meinekius praef. ed. Call. p. IX, de Wilamowitzius praef. ed. Call. p. 6. Neque vero quisquam adhuc, quantum vidi, rem diligentius tractavit. Quare operae pretium esse putavi accuratius in eam inquirere.

Attamen paene a conatu deterritus sum, cum editionem scholiorum huic quaestioni satis firmum fundamentum praebentem non habeamus. Nam Schneiderus, qui ea in Callimacheorum suorum volumine priore hymnis adnexuit, arti criticae nondum satisfecit, cum plena codicum notitia ei deesset. Sed cum studiis procedentibus cognovissem etiam sic rem ad eum exitum perduci posse, ad quem omnino duci posse videretur, id quod mihi proposueram abicere nolui.

Constat inter omnes Callimachi hymnorum notitiam deberi codici a. 1423 ab Ioanne Aurispa e Graecia Venetias allato, nostros autem qui supersunt codices fluxisse e duobus apographis diversis, ex illo codice factis, qui ipsi, sicut archetypus, perierunt, qua de re vide praef. Schneideri et Wilamowitzii. In scholiis autem edendis Schneiderus textu vulgato contentus varias lectiones nullas adhibuit nisi duorum codicum Parisiensium, ab ipso E et M litteris signatorum (praef. p. XXXI. XXXV), a G. Pohlio in programmate scholae Posniensis a. 1860 publici iuris factas. Quae etsi accurate enotatae videntur (Schneid. p. XXXI), tamen solae nequaquam scholiorum editioni sufficiunt. Quorum uterque liber ex eadem classe est; alter M valde interpolatus (Wilam. p. 7) multa scholia recentissimae originis exhibet (Schneid. ad sch. I, 24); alter E multa bona aut solus praebet aut a ceteris servata omisit, unde apparet librarium neglentem fuisse in describendo. Multa etiam Schneiderus ipse in scholiis ex libidine mutavit. Ceterum cum praefationem eius perscrutans non legerim in alterius classis codicibus scholia exstare, in unum tantum apographum scholia videntur esse transscripta, in alterum non item. Praeter editiones Meinekii et Wilamowitzii, quas initio iam commemoravi, non sine utilitate adhibui ad scholia tractanda Ernestianam Lugd. Bat. 1761 in lucem editam cum adnotationibus Spanhemii, quae altero volumine continentur. Sed his praemissis in medias res properemus.

Scholia si quis percensuerit, protinus cognoscet commentarium quasi speciem lancis saturae praebere. Nam occurrunt scholia uberiora et brevia, bona et futilia, et ad multos poetae locos, qui interpretatione non indigni erant, adnotationes desiderantur, ad perspicuos leguntur. Certum igitur est commen-

tarium, quem hodie quidem in manibus habemus, e diversis esse elementis compositum, quae omnia eiusdem originis esse nequeunt. Itaque summa disputationis meae erit, ut scholia singula examinans, omnia disponere, similia componere, meliora a malis segregare, fontes, e quibus fluxerunt, quoad fieri potest, indagare coner. Sed cum messis, quod liceat iam hic fateri, non ita magna sit ac multa restent incerta, eo etiam animum intendi, ut ubique perquirerem, quid scholia conferant ad poetae verba interpretanda, et quid ex iis ad textus nostri historiam assequi possimus.

Multa scholia occurrunt, quae aperte ab initio ad Callimachum explicandum facta sunt. Ex quibus primo loco uberiora tractare in animo habeo, cum de his certum iudicium ferre liceat. Memorabile est sch. IV, 11 *κείνη δ' ἠνεμόεσσα καὶ ἄτροπος*] *ὅτι ἀκίνητος καὶ ἄσειστος ἡ Δῆλος καὶ οὐδέποτε ἠνεμωμένη τινάσσεται. καὶ Θουκυδίδης σεισμὸν γενόμενον μέγαν βουλόμενος ἐξηγήσασθαι, φησὶν ὅτι τοιοῦτον ἦν μέγας ὥστε τὴν Δῆλον νῆσον σεισθῆναι. ἄλλως· ἄτροπος, ἀγεώργητος καὶ μὴ μετατρεπομένη καὶ μεταβαλλομένη ἐν τῷ ἀροῦσθαι. τραχεῖα γάρ.* Praebentur igitur duae interpretationes vocis *ἄτροπος,* Deli insulae epitheti, prior „immota“, quod dicebatur insula sola in terrae motibus non concuti, quam rem saepius tangunt scriptores: cf. Herod. VI, 48. Thuc. II, 8. Plin. N. H. IV, 12, 22. Locus Thucydidis in scholio affertur. Schneiderus in particula *καί* offendit, cum ea quae sequuntur plane contraria sint antea dictis. Quod verum est. Attamen viri docti coniecturam *καίτοι* recipere non ausim. Nam potuit interpres paullo liberius ad firmandam suam sententiam locum Thucydidis addere, e quo apparebat insulae motum rarissimum fuisse. Sed interpretationi „*ἄσειστος*“ aliena sunt verba *καὶ οὐδέποτε ἠνεμωμένη τινάσσεται.* Nam quid illi *ἠνεμωμένη* cum motu terrae commune est? Itaque puto in his verbis latere aliam vocis *ἄτροπος* interpretationem: nempe respecto adiectivo *ἠνεμόεσσα* insulam immotam dici „etsi ventorum flatibus exposita sit“. Quod si verum est, adnotatio falsa, ut apparet, postea inserta est. Altera interpretatio est „inculta“, „non versa aratro“. Prior quidem apud poetam locum non habet, cum terrae motus indicari debuerit, quod non fit; ac ne apta

quidem esset in sententiarum conexu. Altera apta est, immo paene desideratur. Nam cum poeta Delum celebret, quod, quamvis sit ventosa, a mari verberata, ab avibus tantum marinis visitata, tamen summas laudes adepta sit, insulae sterilitas memorari debuit, ut infra v. 268 et ut Homerus Ithacam *τρηχεῖαν* appellat Od. IX, 27 vel XIII, 242, qui locus poetae oculis obversatus esse videtur. Sed quaeritur, num haec significatio in voce *ἄτροπος* insit, ut scholiasta putavit. Quod exemplis probari nequit. Attamen hunc audaciorem usum poetae attribui posse censeo. Coniecturae, quas viri docti proposuerunt, valde sunt incertae: v. Schneid; pessime Schneiderus ipse coniecit *κατάτροπος* i. e. praeceps, quod alienissimum est. Certe auctor scholii *ἄτροπος* iam legit. Sed quod gravissimum in scholio est, habemus vestigium duorum ut ita dicam generum scholiorum, ut illud *ἄλλως* indicat; videntur autem duo scholia e duobus diversis poetae exemplaribus conscripta esse. Cuius rei alia vestigia certa non inveni. Nam ea scholia, ubi duae diversae explicationes particula *ἢ* seiuncta leguntur, incerta sunt, cum ab eodem auctore esse possint. Itaque scholia sic comparata iam hic tractare nolo. Sed putare par est illud scholion non unicum fuisse ex eo genere, sed olim plura similia exstitisse.

Inter haec igitur scholia uberiora, quae apte Callimacho interpretando inserviunt, nonnulla sunt, in quibus frustula veteris doctrinae cognoscuntur, unde aliquid discimus. Quod maxime perspicuum est in nonnullis scholiis mythologicis, ex quibus pauca res exhibent, quae alibi non leguntur.

Sch. I, 8: *τάφον] ἐν Κρήτῃ ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος ἐπεγέγραπτο „Μίνωος τοῦ Διὸς τάφος". τῷ χρόνῳ δὲ τὸ „τοῦ Μίνωος" ἀπηλείφθη ὥστε περιλειφθῆναι „Διὸς τάφος". ἐκ τούτου οὖν ἔχειν λέγουσι Κρῆτες τὸν τάφον τοῦ Διός. ἢ ὅτι Κορύβαντες λαβόντες αὐτὸν ἐπὶ τῷ κρύψαι διὰ τὸν Κρόνον προςεποιήσαντο τάφον αὐτῷ.* Sic non omnia clare procedunt, cum dicatur inscriptum fuisse *Μίνωος τοῦ Διὸς τάφος* et, postquam evanuisset *τοῦ Μίνωος*, restitisse, *Διὸς τάφος*. Itaque Meinekius maluit secundo loco *Μίνωος τοῦ,* Schneiderus tertio *τοῦ* addidit, qui tamen praeterea articulum altero loco delere debuit. Equidem praefero Meinekii muta-

tionem; nisi praestat putare interpretem paullo neglegentius locutum esse. Fabulam veterem de Iovis sepulcro in Creta monstrato primus commemorat Callimachus, postea saepius memoratur (Cic. d. d. n. III, 21. Varro apud Solin. c. 17): qua usus est Euhemerus suo more: cf. Enn. fr. 526 B.; saepe usi sunt scriptores christiani, ut vanitatem religionis paganorum probarent v. Welck. Goetterl. II, p. 223 adn. 20. Cui sepulcro inscriptum fuisse *Ζὰν Κρόνου* Euhemerus narravit l. l.; hexametrum Pythagoras inscripsisse dicebatur cf. Porph. vit. Pyth. c. 17. Auctor scholii inscriptionem suam et narrationem de Minoe sibi finxit, ut originem fabulae explicaret. Quae additur causa, Corybantes sepulcrum exstruxisse, ut Saturnum fallerent, ab alio interprete profecta esse potest, non debet. Utraque vero coniectura inepta quidem est, sed vetus (h. e. ante Byzantinorum tempus orta) videtur esse.

Sch. I, 49: *Ἀμαλθείης*] *οὕτως ἐκαλεῖτο ἡ αἴξ* (*ἥ*) *τὸν Δία θρέψασα. λέγεται δὲ ἀπὸ μὲν τοῦ ἑνὸς κέρατος ἀμβροσίαν ῥεῖν, ἀπὸ δὲ τοῦ ἄλλου νέκταρ.* De Amalthea varie fabulabantur: v. Schoem. op. II. p. 259; aliis nympha est, aliis capra cf. Apollod. I, 1, 7. sch. Il. A. XV, 229. Hyg. A. II, 13. Poeta capram intellexit. Fabula de cornu copiae Amaltheae nota est, quod omnia largiri putabant cf. ex. gr. Ov. fast. V, 121 sq. Apollod. II, 7, 5, alia apud Roscherum s. v. Am. Quod nobile cornu in proverbium abiit significans *τὸ πάντων ἐπιτυγχάνειν* (Hes. I, p. 137) cf. Zen. II, 48. Plut. prov. 127. Hinc interpres commotus esse videtur, ut formula satis usitata adhibita diceret e cornibus caprae fluxisse nectar et ambrosiam. Nam alibi hoc non legitur.

Sch. I, 77: *Χιτώνης*] *Νηλεὺς ὁ Κόδρου ἀποικίαν θέμενος ἀπὸ Ἀθηνῶν ἔλαβε χρησμὸν ἐγεῖραι ξόανον τῇ Ἀρτέμιδι ἀπὸ παγκάρπων ξύλων. καὶ δήποτε ἑορτῆς τελουμένης τῇ Ἀρτέμιδι ἐν τῇ Χιτώνῃ* (*ἔστι δὲ δῆμος Ἀττικῆς*) *ἀπελθὼν εὗρε δρῦν πάμπολυν καὶ διάφορον ἔχουσαν ἠρτημένον καρπόν. καὶ ἐκ τούτου ἐποίησεν ἄγαλμα τῇ θεᾷ, καὶ οὕτω μετῴκισεν ἐν Μιλήτῳ. ἀπὸ τοῦ δήμου οὖν ἔσχε τὴν ὀνομασίαν ἡ Ἄρτεμις. ἢ ὅτι τικτομένων τῶν βρεφῶν ἀνετίθεσαν τὰ ἱμάτια τῇ Ἀρτέμιδι.* In codice Parisino exstare *ἐν τῇ χιτῶνι* Broendstedtius: Reisen und Untersuch. II, p. 261 con-

tendit, unde videtur sumpsisse Welckerus: Goetterl. I, p. 575 n., sed Pohlius non probavit. In verbis ipsis Meinekius maluit *ἀπηρτημένον* et *ἐκ ταύτης*. Sed *ἠρτημένον* bene se habet, cum simplex *ἀρτάω* exemplis defendatur: v. Steph. thes. I, p. 2064; *ἐκ ταύτης* sane concinnius esset ad *δρῦν* relatum, sed fortasse interpreti obversabatur *ξύλον* vel simile aliquid. Tum Schneiderus recepit e cod. E *μετῴκισεν*; sed quod putat minus grave esse Neleum sedem suam Miletum transtulisse prae altero, Neleum simulacro facto Chitonen Miletum secum duxisse, causa non est, cur ab altera lectione recedamus, cui illud *καὶ οὕτω* magis convenire videtur. Neleum quidem Codri filium profectum esse Miletum, notum est: v. Busolt. Gr. G. I, p. 214. Oraculum ei datum commemoratur in sch. Il. A. XX, 404, uberius in sch. Lyc. 1378: ut navigaret ad ‚aureos viros', quos filia monstratura esset. Oraculum, quod in nostro scholio legitur, nusquam alibi legi. Sed Dianam Chitonam a Neleo Miletum ductam esse, ipse Callimachus tradit h. III, 225 sq., ac sacrum eius Neleida in hac urbe commemorant Plut. mul. virt. c. 16 et Polyaen. VIII, 35. Attamen demus iste Chitone sine dubio fictus est. Neque enim alibi vestigium eius occurrit, quod valde mirum esset, si demus cum cultu celeberrimae deae, cuius simulacrum Neleus in Ioniam duxisse ferebatur, re vera exstitisset. Itaque iniuria hoc scholio usus est Boeckhius in C. J. I, 281, II, 5, ubi exstat *Παράμονος Διονυσίου X*, quod supplet *Χιτόνιος*: cf. Dittenberg. n. 1120 et Neubauer. comment. epigr. Berol. 1868, p. 14. Putat Broendstedtius l. s. l. demi mentionem postea insertam esse, ut scriptum fuerit *καὶ δήπ. ἑ. τ. τ. Ἀρτ. ἐν χιτῶνι* et accesserint hoc mutato in *ἐν τῇ Χιτώνῃ* verba *ἔστι δὲ δῆμος Ἀττ.* et infra *ἀπὸ τοῦ δήμου οὖν*. Sed scholiasta haud dubie cognomen Chitone explicare vult, cuius explicationis iusta causa desideratur demi commemoratione sublata. Nam quomodo dea *Χιτώνη* appellari potuit, si iam colebatur sub nomine *Ἀρτ. ἐν χιτῶνι*? Interpres igitur demum sibi finxit parum scite, ut cognomen deae Chitonae, quod cum Nelei expeditione arcte coniuncta erat, explicaret. Sed adnotatio de oraculo et de vetere deae simulacro bonam redolere doctrinam videtur atque aptissima esset ad explicandos hymni III vss. 225 sq. Legebaturne olim ad hunc locum et postea ad nostrum

translata est? Altera explicatio puerperas deae tunicas dedicasse, unde dea ipsa cognomen acceperit, agnoscitur a Welckero Goetterl. I p. 575. At dubium non est, quin dea appellata sit a suo ipsius chitone, quem ferre solebat: cf. Call. h. III, 11. Steph. B. s. *Ἑρμιών*. Studniczka: Beitr. z. G. d. alt. Tracht p. 17 adn.

Sch. II, 69: *Βοηδρόμιον καλέουσι*] *Πολέμου ἐπελθόντος τοῖς Ἀθηναίοις ἔχρησεν αὐτοῖς ὁ θεός, μετὰ βοῆς ἐπιθέσθαι τοῖς πολεμίοις. οἳ δὲ τοῦτο ποιήσαντες ἐνίκησαν, ὅθεν Βοηδρόμιος Ἀπόλλων.* Nomen Apollinis Boedromii sine dubio cohaeret cum *βοή* et *δρόμος*, ut scholiasta innuit. Origo cognominis coniungitur cum bello ab Atheniensibus duce Erechtheo contra Eleusinios et Eumolpum gesto (Philoch. apud Harpocr. s. v. Suid. E. M. p. 202, 52) aut cum bello contra Amazones (Plut. Thes. c. 27). In priore bello dicitur Jon Atheniensibus subvenisse atque inde deus appellatus esse, cum *βοηδρομεῖν* idem esset ac *βοηθεῖν*. In scholio vero solo oraculum illud commmeoratur, quod quidem sine dubio ab interprete inventum est.

Sch. V, 1: *ὅσσαι λωτροχόοι*] *ἔν τινι ἡμέρᾳ ὡρισμένῃ ἔθος εἶχον αἱ Ἀργεῖαι γυναῖκες λαμβάνειν τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τὸ Διομήδους (σάκος) καὶ ἄγειν ἐπὶ τὸν Ἴναχον κἀκεῖ ἀπολούειν.* Quem morem Argivorum solus narrat Callimachus. Itaque scholion ex ipsa elegia sumptum videtur esse.

Sch. V, 37: *Εὐμήδης ἐδίδαξε*] *ποτὲ τῶν Ἡρακλειδῶν ἐλθόντων κατὰ τῶν Ὀρεστιαδῶν Εὐμήδης, ἱερεὺς τῆς Ἀθηνᾶς, ὑπενοήθη ὑπὸ τῶν Ἀργείων ὡς βουλόμενος προδοῦναι τὸ Παλλάδιον τοῖς Ἡρακλείδαις. φοβηθεὶς οὖν ὁ Εὐμήδης ἔλαβε τὸ Παλλάδιον καὶ παρεγένετο εἰς ὄρος τὸ καλούμενον Κρεῖον.* In libris legitur sub fine *ὀρ. τ. κ. Ἴφειον*, quod poetae repugnat, qui de Crio monte loquitur v. 40. 41. Fabula ipsa solum apud poetam est, cuius narrationem scholion apte illustrat. Nam de Heraclidis et Orestiadis et de causa, cur Eumedes in suspicionem populi venerit, Callimachus nihil dicit.

Nonnulla alia scholia res exhibent non ita vulgares.

Sch. I, 39: *Λέπριον δὲ ἀπὸ Λεπρέως τοῦ Ποσειδῶνος, ὃς προκαλεσάμενος εἰς ἀδηφαγίαν Ἡρακλέα καὶ ὑπ' ἐκείνου*

ἡττηθεὶς ἐφονεύθη. (*Λεπρέως* edd. ante Schneiderum, *Λεπρέος* cod. E, *Λεπρέα* Schneiderus ex cod. M ut videtur, quae forma errore orta est.) Hanc fabulam videtur poeta uberius narrasse in commentariis: cf. fr. 100[h], 6: Lepreum, Herculi invisum, quod Augeam iussisset eum vincire, cum Astydamiae matris precibus veniam accepisset, cum deo certasse disco, aqua haurienda, uter prior taurum comederet, victum provocasse Herculem ad pugnam et in hac necatum esse. Addiderat Matris certamen *περὶ πολυποσίας* (Athen. X p. 412[a]); idem Aelianus v. h. I, 24 narrat. Pausanias X, 5, 4 certamen *ἀδηφαγίας* solum affert, in quo dicit Lepreum Herculi parem fuisse. In scholio vero fabula contracta est, cum omittantur et cetera certamina (ut apud Pausaniam) et Herculem a Lepreo ad arma provocatum esse.

Sch. II, 59: *Ὀρτυγία δὲ ἡ Δῆλος ἀπὸ τοῦ τὴν Λητὼ εἰς ὄρτυγα μεταβληθεῖσαν εἰς τὴν Δῆλον ἐλθεῖν φεύγουσαν τὴν Ἥραν.* Ortygiam vetus nomen Deli varie explicabant, recte ut videtur Phanodemus (Athen. IX p. 392[d]) a multitudine coturnicum e mari eo volantium cf. Starkium Ber. d. kgl. sächs. G. d. W. 1852 p. 62, saepissime ab Asteria Latonae sorore, quae Jovis amorem in coturnicem mutata effugisse dicebatur et cum in mare se praecipitasset insula facta esse: cf. ex. gr. sch. Ap. Rh. I, 419. sch. Lyc. 401. Serv. V. A. III, 73. In scholio dicitur Latona ipsa in avem mutata in insulam venisse. Quod praeterea narrant sch. Dan. ad. Verg. l. l. et Tatianus adv. Graec. c. 16.

Sch. II, 65 et 76 de Batto Cyrenae conditore agunt, cum quibus cohaeret sch. II, 74: *ἕκτον γένος Οἰδιπόδαο] Οἰδίπους οὗ Πολυνείκης, οὗ Θέρσανδρος, οὗ Τισάμενος, οὗ Αὐτεσίων, οὗ Θήρας, ὃς ἀπῴκησεν εἰς Θήραν τὴν νῆσον τὴν νῦν οὕτω κληθεῖσαν.* In libris legitur *οὗ Αὐτεσίων, οὗ Τισάμενος*, quod iure iam Ernesti correxit e sch. Ap. Rh. IV, 1764. sch. Pind. Ol. II, 82. Paus. III, 15, 6. v. Schneid.

Sch. II, 76: *οὖλος Ἀριστοτέλης] ὁ αὐτὸς καὶ Βάττος λέγεται. οὖλος δὲ ὁ ὑγιής, ὡς πρὸς τὴν φωνήν. καὶ γὰρ ὁ δρθεὶς αὐτῷ χρησμὸς τοῦτο παρεμφαίνει. Βάττ', ἐπὶ φωνὴν ἦλθες. ἄναξ δέ σε Φοῖβος ἀνώγει ἐς Λιβύην ἐλθεῖν μηλοτρόφον οἰκιστῆρα. Ἀσβυστίδα δὲ τὴν λευκὴν λέγει*

παρὰ τὴν ἄσβεστον. τοιαύτη γὰρ ἡ Λιβύη λευκογειος. De Aristotele seu Batto Delphicum deum consulente omnia sunt nota. Oraculum illud, quod accepisse dicitur, in scholio paullo aliter legitur ac vulgo: cf. Herod. IV, 155. sch. Pind. P. IV, 10. 15: *Βάττ', ἐπὶ φωνὴν ἦλθες. ἄναξ δέ σε Φοῖβος Ἀπόλλων | ἐς Λιβύην πέμπει μηλοτρόφον οἰκιστῆρα.* Scholion totum poetae interpretando bene servit; de vera vocis *οὖλος* explicatione v. Schneid. in excursu ad l.; de etymologia vocis *Ἀσβυστίδα* infra agam.

Sch. II, 65: *ἔφρασε Βάττῳ] λέγεται ὅτι οὗτος ὁ Βάττος ἄφωνος ἦν. ἀπῆλθεν οὖν εἰς τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἐπὶ τῷ τὸν θεὸν ἐρωτῆσαι περὶ τῆς φωνῆς. ὁ δὲ ἔχρησεν αὐτῷ οὐκέτι περὶ τῆς φωνῆς, ἀλλὰ περὶ μετοικίας. καὶ ὁ Βάττος πεισθεὶς τῷ χρησμῷ ἦλθεν εἰς τὴν Λιβύην. λέγεται δὲ εἶναι πολλοὺς λέοντας ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ. ἐπιδημήσας οὖν ὁ Βάττος καὶ λέοντα αἰφνιδίως θεασάμενος τῇ τοῦ φόβου ἀνάγκῃ βιασθεὶς φθέγξασθαι διέρρηξε τὴν φλέβα ἥτις τὴν ἐκείνου φωνὴν ἐπεῖχε, καὶ οὕτω φωνήεις ἐγένετο καὶ τὴν Κυρήνην ἔκτισεν, ὅθεν ἐστὶν ὁ Καλλίμαχος.* Battum, cum in Libyam venisset, vocem accepisse innuit Pindarus Pyth. V, 57; cf. Call. II, 76. Uberius sanatio in scholio refertur, in quo etiam solo Battus *ἄφωνος* i. e. mutus dicitur. Quae fabula certe non valde antiqua est (v. Thrige: res Cyren. p. 46 sq. Gottschick: Gesch. d. Gründ. u. Blüthe des hell. Staates in Kyr. p. 8): sed eadem legitur apud Paus. X, 15, 7; aliis autem verbis et addito Battum adiisse terrae extremam partem desertam, ut scholion a Pausania non pendere eluceat.

Sch. II, 71: *Καρνεῖον] ἀπὸ Κάρνου τοῦ μάντεως τοῦ ἀναιρεθέντος ὑπὸ Ἀλήτου, ὃς ἦν τῶν Ἡρακλειδῶν. ὀργισθεὶς οὖν Ἀπόλλων λοιμὸν ἐνέβαλεν.* Cognomen Apollinis Carnei, non intellectum, ut explicaretur, veterem vatem Carnum finxerunt, ab Heraclidis in Peloponnesum descendentibus interfectum, cum putarent eum esse speculatorem; pestem a deo irato immissam cultu Apollinis Carnei instituto eos placasse. Vulgo Hippoten Phylantis filium dicunt interfectorem (sch. Theocr. V, 83. Apd. II, 8, 3. Paus. III, 13, 4). Quare huius nomen in scholio Hemsterhusius restituere voluit et Meinekius supplevit *ὑπὸ [Ἱππότου τοῦ] Ἀλήτου.* At Schneiderus recte sch. Pind.

P. V, 106 attulit, ubi Aletas dicitur vatem necavisse. Scholion fortasse olim uberius erat, cum cultus deo Carneo institutus, quo pestis placata est, omittatur.

Sch. II, 95: ἁρπακτύος] τῇ Κυρήνῃ κυνηγετούσῃ ἐν ὄρει Θεσσαλίας τῷ Πηλίῳ συνεκαθεύδησεν Ἀπόλλων, ἐξ ἧς τίκτεται ὁ Ἀρισταῖος. Alibi deus in Libyam raptam opprimit: cf. ex. gr. suave illud Pindari carmen Pyth. IX. Sed potest in scholio fabula paullo neglegentius narrata esse.

Sch. III, 236: εἵλεο παίδων] μανεῖσαι γὰρ αἱ τρεῖς αὐτοῦ θυγατέρες πάλιν διὰ τῆς Ἀρτέμιδος ἡμερώθησαν. ὁ δὲ κτίζει ἱερὰ δύο, ἓν μὲν Κορίης, ἓν δὲ Ἡμέρης, διότι καὶ τὰς κόρας ἡμέρωσεν. Quod scholion aperte Callimacho accommodatum est, quippe qui solus ut videtur Dianae ipsi sanationem Proetidum attribuerit, commotus studio etymologico, cum epitheton deae Ἡμέρα (Hes. Paus. VIII, 18, 8), cum ἡμεροῦν componeret, epitheton Κορίη, quod solus commemorat (Minervae Cic. d. d. n. III, 23, 59. Paus. VIII, 21, 4), cum κόρη. Alibi Melampus vates virgines sanasse traditur (cf. ex. gr. Apd. II, 2, 2. Steph. B. s. Ἀζανία. sch. Od. XV, 225) aut Aesculapius (sch. Eur. Alc. 1. sch. Pind. P. III, 96). At scholion non totum a poeta pendere docent „tres“ virgines, qui numerus apud eum non legitur; duae sunt in sch. Od. l. l. et apud Ael. v. h. III, 42.

Sch. IV, 143: Βριαρῆος] οἳ μὲν Βριάρεω, οἳ δὲ Τιφωέως, οἳ δὲ Ἐγκελάδου. Aetnam Briareo impositum esse legitur apud poetam l. l., Typhoco apud Aesch. Prom. 382 W. et Pind. Ol. IV, 7. P. I, 16, Encelado apud Callim. fr. 382 et Verg. A. III, 578.

Sch. IV, 160: Μεροπηΐδα] ἢ ὅτι ὑπὸ Μέροπος ἐβασιλεύθη. ἢ ὅτι Μέροπες αὐτὴν ᾤκησαν. ἢ ὅτι Μέροπος θυγάτηρ ἡ Κῶς. Cos insula saepe Meropis appellatur. Quod cognomen explicatur in scholio tribus modis. Ac primum quidem derivatur a rege quodam Merope, quem commemorant etiam Hes. III p. 92 et Steph. B. s. Κῶς et Μέροψ.; deinde ab incolis Meropensibus, qui saepius nominantur (Pind. N. IV, 26. J. V, 31. Quint. VIII, 6, 71), quam causam praeter scholion solum legi apud Eust. ad Il. p. 318, 35. Tertiae explicationis verba offensioni fuerunt Schneidero, cum putaret hanc inter-

pretationem redire ad primam. Verum quidem est plerisque locis Meropem regem simulque Coi patrem esse (Hyg. A. II, 16. Steph. B. s. *Κῶς*. E. M. p. 507, 55). At causa cognominis, si accurate inquiris, alia est atque prima, cum hic a solo rege insula appellata esse dicatur neque de Coo filia sermo sit. Rex autem interdum solus commemoratur, ut Steph. B. s. *Μέροψ* et Hes. l. l., ubi filius dicitur *τοῦ προφθάντος Κῶ*. Itaque Schneiderus iniuria *ἢ* mutavit in *καί*, quae mutatio tum tantum ferri posset, si totum enuntiatum *καὶ ὅτι — Κῶς* statim primae interpretationi adiungeretur. Quamquam tertiam interpretationem recentioris originis esse quam antecedentes aut initio partem tantum fuisse primae non improbabile est. — Pro *ἢ ὅτι Μ. θ. ἡ Κ.* codex E praebet *θυγάτηρ δ' Εὐρυπύλου βασιλέως Κῶ*, quod Schneiderus probabiliter ad Chalciopam rettulit, quae v. 161 memoratur ac filia Eurypyli erat.

Sch. IV, 308: *Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐν Δήλῳ, ὅπερ Θησεὺς ἔκτισε διὰ τὸ εὐχερῶς τὴν Ἀριάδνην ὀλισθῆσαι εἰς πόθον τοῦ Θησέως καὶ* (an *ὥστε* pro *καί* scr.?) *χειρώσασθαι τὸν Μινόταυρον*. De Veneris cultu in Delo pauca exstant testimonia: v. Gilbert Deliaca Goett. 1869 p. 22. 23. Plutarchus Thes. c. 21 narrat Theseum e Creta reducem Apollini Aphrodisium, vetus Veneris simulacrum, ab Ariadna acceptum, dedicasse; idem Paus. IX, 40, 3 addens, ne signo retento puellae desertae recordaretur. Callimachus deae ipsius templum indicat v. 308. 312, cui scholion *ἱερόν* suum debet. Causa, quam addit, non inepte excogitata est, posteriora verba spectant ad v. 310. 311.

Hic apte inseritur sch. I, 8: *Κρῆτες ἀεί*] *παροιμία ἐστὶ τὸ κρητίζειν ἐπὶ τοῦ ψεύδεσθαι, ἀπὸ Ἰδομενέως τοῦ Κρητὸς ῥηθεῖσα, ὃς λαχὼν μερίσαι τοῖς Ἕλλησι τὰ λάφυρα τοῦ Ἰλίου τὰ κρείττω ἑαυτῷ περιεποιήσατο*. Causam allatam uberius praebet Zenobius IV, 62: Idomeneum discrimine de praeda Troiana orto iudicem electum ceteros iureiurando obstrinxisse, ut suo iudicio oboedirent; quo facto sibi ipsi meliora delegisse; cf. etiam Suid. s. *κρητίζειν*. Iusiurandum neque in scholio commemoratur neque apud Suidam, cuius tamen verba scholio non respondent. Putaverim scholion e libro aliquo paroemiographico sumptum esse propter similitudinem argumenti,

quae invenitur apud Zenobium et Suidam. In Ptolemaei Heph. f. nugis apud Phot. Bibl. p. 150 B. nihil memorabile est nisi ibi quoque Cretensium mendacia ad Idomeneum referri: hoc saltem a Ptolemaeo non esse inventum docent Zenobius, Suidas, scholiasta.

Etiam e reliquis scholiis mythologicis, quae res satis notas exhibent, multa apta sunt ad poetam interpretandum, e quibus hic uberiora tantum afferre libet.

Schol. I, 41: *Λυκαονίης ἄρκτοιο*] *τῆς πρώην λεγομένης Καλλιστοῦς, Λυκάονος δὲ θυγατρός. ἐξ ἧς καὶ Διὸς μεταβληθέντος εἰς Ἄρτεμιν γεννᾶται ὁ Ἀρκάς, ἀφ᾽ οὗ οἱ Ἀρκάδες.* Legitur in libris *εἰς ἄρκτον.* Sed nusquam legitur Iovem Callisto in ursum mutatum oppressisse, ut fidem scholio habere non audeam. Itaque cum Schneidero scripsi *εἰς Ἄρτεμιν*, quae fabula nota est (Apd. III, 8, 2). Tum putat vir doctus propter poetae verba *Λυκαονίης ἄρκτοιο* mutationem Callistus in ursam sileri non potuisse. Quod verum est. Attamen in ipsis verbis quicquam mutare non audeo. Schneideri propositio ne probabilis quidem est. Mihi potius videtur scholion, ut nunc legitur, ex integriore breviatum esse. An restat vestigium huius rei in lectione *εἰς ἄρκτον*? Quod in integriore scholio sane de Callisto dictum esse potuit.

Sch. II, 91: *φαίνεται δὲ ἡ Κυρήνη φονεύσασα ἐν [τῇ] Λιβύῃ λέοντά τινα βλάπτοντα τὰς βοῦς τοῦ Εὐρυπύλου. ἦν δὲ αὕτη κυνηγέτις, θυγάτηρ Ὑψέως.* Narrationem e poeta sumptam esse docet illud *φαίνεται.* Idem tradunt Acesander fr. hist. IV p. 285. 286 M. et sch. Ap. Rh. II, 509.

Sch. III, 221: *οὐδὲ μὲν Ὑλαῖόν τε*] *Ὑλαῖος καὶ Ῥοῖκος κένταυροι περὶ Ἀρκαδίαν, οὓς ἀνεῖλεν Ἀταλάντη βιασαμένους αὐτήν.* Cfr. ex. gr. Apd. III, 9, 2. Ael. v. h. XIII, 1. Meinekius *βιασομένους* maluit, sed conferas in. sch. I, 77. sch. III, 110. sch. Lyc. 50.

Sch. IV, 78: *ἐπεὶ πεπάλακτο*] *ἐπεὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ Αἴγιναν ἁρπαγῆναι ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀπήγγειλε Σίσυφος, ὁ δὲ ἤρξατο διώκειν αὐτήν, Ζεὺς δὲ ὀργισθεὶς ἐκεραύνωσεν αὐτόν.* Sisyphum Aeginae rapinam patri prodidisse etiam alibi commemoratur: Pherecyd. in sch. Il. A. VI, 153. Apd. I, 9, 3. III, 12, 6. Asopum fulmine ictum esse a Iove irato tradunt Apd. III, 12, 6

et Stat. Theb. VII, 325. In verbis scholii non omnia bene se habent. Nam cum dicatur *ἐπεὶ — ἀπήγγειλε*, exspectamus *ἤρξατο διώκειν*; sed aliud legitur. Fortasse *ἐπεί* e lemmate irrepsit.

Adde sch. III, 110. IV, 71. V, 108.

Hactenus de scholiis mythologicis, quae poetae verbis explicandis apta esse elucet et quorum nonnulla bonam doctrinam produnt. Pauca alia scholia ipsius poetae tempora tangunt.

Ad hymni alterius v. 26 legitur in scholio *τῷ Πτολεμαίῳ τῷ Εὐεργέτῃ. διὰ δὲ τὸ φιλόλογον αὐτὸν εἶναι ὡς θεὸν τιμᾷ.* Quae adnotatio per se vera est, cum etiam Ptolemaeus Euergetes studiis philologorum faverit. Tamen scholiasta erravit. Nam hymnus ad Philadelphum pertinet, qua de re dubitatio esse nequit: cf. O. Richter „Callimachus hymnen auf Zeus und Apollon“ Guben 1871 p. 7 et Couat „la poésie alex.“ p. 230.

In hymno quarto poeta errores Latonae describit, in quibus cum Con insulam adire vellet, ab Apolline eam esse retentam monente alium deum ibi naturum esse. Quo in conexu adnotatur ad v. 165: *διὰ τὸ ἐκεῖσε ἀνατραφῆναι τὸν Φιλάδελφον Πτολεμαῖον ἐν τῇ Κῷ.* Quod aliunde satis constat: cf. ex. gr. Theocr. XVII, 58 sq. Forma *ἐκεῖσε* pro *ἐκεῖ* serioris aetatis est et postea illata. Eadem occurrit in sch. IV, 175 et saepe in Etymologico Magno.

Pretiosissimum est sch. IV, 175, ubi adnotatio historica servata est, quae alibi non legitur: Antigonum post infelicem expeditionem Brenni adversus Delphos (de qua v. Droysen Gesch. des Hellen. II, 2 p. 350) Gallos superstites mercede conduxisse pro Philadelpho, qui tum militibus eguisset, sed cum Ptolemaei ipsius terram diripere conarentur, regis dolo ad ora Nili Sebennytici ductos in undis fluminis abundantis misere periisse. Quae adnotatio magni momenti est ad historiam illius aetatis, de qua omnino parum constat; de iis quae ex ea colligi possunt cf. Droysen III, 1 p. 270. Couat l. l. p. 212 sq.

In sch. VI, 1 narratur Philadelphum ex more Atheniensium Alexandriae sacra quaedam instituisse, in quibus pompam calathi, in qua die certo in honorem Cereris calathum curru ab equis albis tracto per urbem vehere solerent. Cuius rei

aliud testiomonium non invenitur. Sed de veritate dubitandum non est, cum vix credibile sit scholiastam sibi rem finxisse. Constat enim Philadelphum prudenter cum omnium, qui dominationi eius subiecti erant, tum Graecorum moribus favisse. Couatius quidem p. 213. 223 dubitat, num hic hymnus Alexandriae cantatus sit, et putat eum in Triopio prope Cnidum sito cantum esse, qua de opinione incerta hic uberius agi nequit. Scholiasta certe de pompa Alexandrina cogitavit.

Sch. II, 106 multam viris doctis disputandi materiam praebuit. Est scholion hoc: *ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν Ἑκάλην.* Callimacho, qui poemata parvi ambitus, non longa carmina epica adamabat, ut dictum eius indicat *μέγα βιβλίον μέγα κακόν,* adversarii, in quos invehit h. II, 105 sq., obiecerunt, quod magnum vel perpetuum epos scribere non posset. Quare commotum Hecalen eum scripsisse dicit interpres. De qua adnotatione, quae certe memorabilis est, cf. Naekii egregiam disputationem op. II p. 4 sq., praeterea quos laudat Schneiderus in excursu ad l. et Couat. p. 504 sqq.

Minus gravia sunt scholia I, 86. IV, 167. II 68, ubi pro *τῷ Πτολεμαίῳ* Hemsterhusius *τοῖς Πτολεμαίοις* maluit sine dubio propter poetae pluralem, qua tamen mutatione opus non est, cum interpres putare potuerit poetam Ptolemaeum per pluralem innuisse. Uter Ptolemaeus intellegendus sit, neque in hoc scholio neque in sch. I, 86 dicitur; cogitandum est in priore loco de Philadelpho et Euergete, in hoc de Philadelpho.

In his scholiis, maxime in uberioribus, frustula restare veteris eruditionis nemo negabit.

Vetus sine dubio est etiam scholion II, 50 *βουβόσιον*] *ὁ τόπος ἔνθα οἱ βόες νέμονται. τὸ δ' ἐπιμηλάδες* [*αἱ γόνιαι*], *ἀντὶ τοῦ αἱ μετὰ τῶν μήλων νεμόμεναι· καὶ γὰρ καὶ τὰς αἶγας μῆλα λέγουσιν, ὡς Ὅμηρος ἐξηγεῖται· μῆλ', ὀιές τε καὶ αἶγες ἰαύεσκον. εἰ δὲ μενεμηλάδες γράφεται, ἀντὶ τοῦ θήλειαι ἐστίν.* (Schneiderus mavult *αἱ βόες* iure fortasse, cum femininum in sch. II, 81, III, 178 legatur; sed legitur etiam *οἱ βόες* de tauris et vaccis.) Explicatio vocis *βουβόσιον* per pascua boum a poeta aliena est, qui postquam dixit Apolline favente *βουβόσιον τελέθειν πλέον,* addit capras quoque augeri

deo adiutore. Sine dubio igitur vocem ea significatione quae est 'boum grex' usurpavit. Attamen vocem illo sensu Aratus adhibuit v. 1120 c. l. sch., et apud Strabonem XII p. 565 idem significare potest. Maiores turbas *αἶγες ἐπιμηλάδες* excitaverunt. Explicatio perversa *γόνιμαι* e cod. E. demum accessit; videtur sibi auctor finxisse inesse in voce notionem 'caprae cum capellis' ideoque eam sic reddidit. Quae sequitur interpretatio *αἱ μετὰ τῶν μήλων νεμόμεναι,* loco Odysseae IX, 184 comprobatur, ubi boves et caprae usu noto *μῆλα* dicuntur. Si vox recta est, *ἐπιμηλάδες* aliter explicari nequit. Quod epitheton ineptum esse Meinekius censet diatr. p. 138. Sed eandem vocem etiam alibi exstitisse colligendum videtur ex Hes. II p. 76 *ἐμμηλάδας αἶγας. τὰς μετὰ τῶν προβάτων νεμομένας,* quam glossam Schmidtius ad locum poetae refert, iniuria, ut puto: nam obstat, quod in Hesychio accusativus, in poeta nominativus legitur. Equidem traditam versus Callimachei scripturam retineo. Est sane quaedam difficultas in praepositione *ἐπί,* quam tamen puto aliquo modo defendi posse nomine nympharum *ἐπιμηλίδες* dictarum (cf. Schoem. op. II p. 127) et Apollinis *ἐπιμηλίου.* Iam additur in scholio varia lectio *μενεμηλάδες,* non *μεταμηλάδες* ut Meinekius edidit, explicata per *θήλειαι,* quae sic tantum intellegi potest, ut intellexit Ernesti, capras esse *μενε-μηλάδες,* 'cum patiantur se a vervecibus iniri' i. e. *αἳ τράγους μένουσι,* quam ad rem apte contulit *μένανδρος,* ut Dionysius Siciliensis virginem appellavit (Athen. III p. 98[c]), *ὅτι μένει τὸν ἄνδρα.* Quae lectio sine dubio inepta est. Attamen potuit in aliquo poetae exemplari exstare. Coniecturis iniuria a viris doctis tentata est: cf. Schneid.

Addo nonnulla scholia uberiora et meliora, quae ad poetae interpretationem pertinent neque inter ea, quae iam attuli, tractari potuerunt.

Sch. II, 1.

Sch. II, 15: *ἑστήξειν] ἀπὸ τοῦ ἵστημι παρακείμενος ἕστηκα. ἀπὸ τούτου ποιοῦσιν οἱ Συρακούσιοι ἐνεστῶτα ἑστήκω, οὗ ὁ μέλλων ἑστήξω, καὶ τὸ ἀπαρέμφατον ἑστήξειν.* Constat Siculos vel Syracusanos praesentia e perfectis formata in deliciis habuisse: cf. Ahrens Dial. II p. 328 sq. Praesentis *ἑστήκω* unicum exemplum in Posidonii epigrammate apud

Athen. X p. 412ᵉ exstat. Futurum autem ἑστήξω a praesente formari, veterum grammaticorum vulgaris opinio fuit: cf. E. M. p. 382, 26. E. Gud. p. 173, 56, re vera ab ipso perfecto formatum est: cf. G. Meyer Gr. Gr. § 540.

Sch. II, 38: λείβουσιν ἔλαια] σημείωσαι ὅτι τὰ ἔλαια πληθυντικῶς παρ' οὐδενὶ ἄλλῳ εὕρηται. Certe pluralis pro simplici singulari ante Callimachum non legitur et post eum apud recentiores demum scriptores (v. Mein.), quod interpres videtur innuere. Nam de olei generibus saepius legitur pluralis ex. gr. Theophr. fr. IV, 20.

Sch. III, 11 et 12.

Sch. III, 41: Λευκὸν ἐπὶ Κρηταῖον] ὄρος Κρήτης ἑνικῶς οὗτος εἴρηκε. Λευκὰ δὲ ὄρη λέγονται πληθυντικῶς. Schneiderus Idae mentione opus esse censens, cum Dianam Cnossum adire velle poeta dicat (v. 44), adiectivum λευκόν ita intellegit ut Ida mons, propter famam simpliciter mons Cretensis appellatus, ob nivis copiam albus dicatur. Neque vero quisquam si λευκὸν Κρηταῖον ὄρος legebat, Idam intellegere potuit, sed sine dubio homines eruditiores statim alborum montium meminerunt. Tum valde displiceret Ida in eodem versu et albus et silva ornatus dictus. Itaque cum scholiasta puto Callimachum montes albos ἑνικῶς usurpasse, qua in re ne Schneiderus quidem offendit. Fingit poeta Dianam ex Olympo per aerem venientem pedes primum in montibus albis ponere.

Sch. III, 94: κυνοσουρίδας] τὰς ὑπὸ τῶν κυνῶν καὶ ἀλωπέκων τικτομένας κύνας ἢ τὰς Λακωνικάς. Κυνοσουρὶς (?) γὰρ τόπος Λακωνικῆς. Saepe commemorantur canes Laconicae ἀλωπεκίδες i. e. e canibus et vulpibus procreatae: Xen. Cyn. III, 1. Arist. h. an. VIII, 28, quales poetam innuisse non improbabile est. Sed Cynosurides certe eas appellavit a phyle Laconica Cynosura, quae aliunde nota est: Hdt. VIII, 76. Hes. II p. 555. Phot. s. v. Formam singularem Κυνοσουρίς Meinekius in Κυνουρίς mutandam censuit. Sed adiectivum κυνοσουρίς sola a forma Κυνόσουρα derivari potuit, quae nescio an in scholio restituenda sit.

Sch. III, 102: κεράων δ' ἀπελάμπετο χρυσός] σημείωσαι ὅτι τὰς θηλείας ἐλάφους κερατοφόρους εἶπεν. Quod saepius adnotatur: v. Spanh. ad l.

Sch. IV, 261: τροχόεσσα ἢ θάλασσα διὰ τὸ περιτρέχειν τὴν νῆσον ἢ λίμνη τις ἐν Δήλῳ περιφερής. Explicatio de lacu rotundo Deliaco vera est: cf. Bursian Geog. v. Gr. II p. 461. Sed scholiastae dubitationem movisse videtur vox λίμνη, quae etiam mare significare potest.

Sch. IV, 325.

Sch. VI, 127: χρυσῶ πλέα λίκνα] ἢ χρυσοῦ πεπληρωμένα ἢ ὅτι περιεχρύσουν αὐτὰ διὰ εὐπρέπειαν. Adhuc quoque viri docti de loco dubitant. Neque enim in cistis sacra fuisse ex auro facta aliunde constat. Itaque Meinekius diatr. p. 236 alteram scholiastae interpretationem fortasse rectam esse putat. Sed verbis poetae sola prior respondet. Itaque Schneidero assentior, qui „canistra plena vasorum aureorum ad sacra facienda pertinentium" intellegit.

Iam hic subsistamus quaerentes, quid ex iis quae adhuc dicta sunt, colligere possimus. Scholia quae attuli sine dubio poetae interpretando aptissima sunt et a principio hanc ob rem facta, quorum in nonnullis vestigia veteris eruditionis restant. Itaque ad commentarium, qui in poetam conscriptus est, redeunt. Constat autem inter omnes opera Callimachi grammaticorum manibus trita fuisse (cf. Wilam. praef. p. 6) ac Theonem et Epaphroditum poetae Aetiis operam dedisse, Archibium Epigrammatis. Itaque alienum non erat in hymnos quoque docti Battiadae commentarium scribere. Sed cum Theon aliis quoque poetis Alexandrinis, Theocrito, Lycophroni, Apollonio, Nicandro operam impenderit, alicuius momenti esset, si in commentariis, qui ad illos poetas adhuc exstant, consensus cum scholiis Callimacheis inveniretur. Atque exstant pauca talia scholia.

Sch. I, 14: Ἀδρήστεια] ἡ δελφὴ Κουρήτων. (ἡ Νέμεσις add. E.). Cf. sch. Ap. Rh. III, 133: Ἀδρήστεια : Καλλίμαχος ˋσὲ δὲ κοίμισεν Ἀδρήστεια΄. ἀδελφὴ Κουρήτων. Adrastea quidem Iovis nutrix saepius commemoratur (sch. Rhes. 342. Apd. I, 1, 6); soror Curetum alibi non appellatur.

Sch. III, 232: Ῥαμνουσίδι] Ῥαμνοῦς δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα τῇ Νεμέσει ὁ Ζεὺς συνεκαθεύδησεν, ἥτις ἔτεκεν ᾠόν, ὅπερ εὑροῦσα ἡ Λῆδα ἐθέρμανε καὶ ἐξέβαλε τοὺς Διοσκούρους καὶ τὴν Ἑλένην. Cfr. sch. Lyc. 88: ὁ Ζεὺς ἢ ἡ Νέμεσις· παρόσον κύκνῳ ἀπεικασθεὶς ὁ Ζεὺς Νεμέσει τῇ Ὠκεανοῦ

συνῆλθεν, ἐξ ἧς γεννᾶται ᾠόν, ὅπερ εὑροῦσα ἡ Λῆδα ἐθέρμαινε καὶ ἔτεκε τὴν Ἑλένην καὶ τοὺς Διοσκούρους. Utriusque scholii verba *ὅπερ εὑροῦσα κ. τ. λ.* mire congruunt, et quod dicuntur Dioscuri quoque ex ovo illo famoso nati esse, id non ita vulgare est; legitur etiam in sch. Od. XI, 298.

Sch. IV, 80: *αὐτόχθων Μελίη] [τὸ ἑξῆς] οὐκ ἔστι κύριον, ἀλλ' ἁπλῶς εἴρηται περὶ πάσης μελίας.* Illud *τὸ ἑξῆς* cum Meinekio e scholio ad v. 88 irrepsisse puto. Simile est sch. Ap. Rh. II, 4: *Βιθυνὶς Μελίη: ἄδηλον ποῖόν ἐστι τὸ κύριον. Μελίαν δέ φησιν διὰ τό τινας τῶν νυμφῶν Μελίας καλεῖσθαι ἀπὸ Μελίας τῆς Ὠκεανοῦ, ὥς φησι Καλλίμαχος· ἢ διὰ τὸ περὶ μελίας δένδρα διατρίβειν, καθάπερ Ἁμαδρυάδες.* Scholiastae Callimachei sententia recta est (v. Schoem. op. II p. 128 sq.), cum poeta de nympha aliqua Hamadryade loquatur.

Sch. IV, 250: *Μηόνιον Πακτωλόν] ποταμὸς Λυδίας χρυσοῦ ψήγματα φέρων.* Cf. sch. Lyc. 272: *Πακτώλιον] ποταμός Λυδίας, ὃν φασι χρυσοῦ ψήγματα ἔχειν κ. τ. λ.*, quod attuli propter consensum in *χρυσοῦ ψήγματα,* etsi non ignoro hanc coniunctionem iam exstare in Hdt. V, 101.

Fortasse addi potest sch. I, 48: *λείκνῳ ἐνί] ἐν γὰρ λείκνοις τὸ παλαιὸν κατεκοίμιζον τὰ βρέφη πλοῦτον καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι. λίκνον οὖν τὸ κόσκινον ἢ τὸ κουνίον, ἐν ᾧ τὰ παιδία τιθέασιν.* Morem veterem (h. Hom. III, 21) liberos vannis consopiendi recte interpres coniungit cum omine bono, quod putabant inesse in vanno utpote Baccho sacra. Quocum congruit sch. Ar. 268: — *ἢ λίκνον τὸ λικμητήριόν φησι· τὰ γὰρ βρέφη τὸ πρῶτον γεννώμενα ἐν τῷ λικμητηρίῳ ἐτίθεσαν εἰς σύμβολον εὐτροφίας κ. τ. λ.* De voce Latina *κουνίον* infra agam.

Sch. III, 18: *λῇς ἀντὶ τοῦ θέλεις κατὰ ἀποβολὴν τῆς θε συλλαβῆς. κέχρηται πολλαχοῦ τῇ λέξει καὶ ὁ Θεόκριτος· λῇς ποτὶ τᾶν νυμφᾶν, λῇς αἰπόλε τῇδε καθίξας;* (I, 2) cf. sch. Theocr. I, 12: — *Δωρικῶς δὲ τὸ λῇς κατ' ἀφαίρεσιν τῆς θε συλλαβῆς.* De forma ipsa egit Ahrens. Dial. II p. 347.

Quae scholia ad eundem auctorem redire videntur. Neque enim scholia Callimachea fluxisse ex iis quae contuli statuere licet. Itaque videtur non sine probabilitate statui posse Theonem etiam hymnis Callimacheis studium impendisse eiusque *ὑπο-*

μνήματα ab eo adhibita esse, cuius adnotationes pro antiquissima parte et quasi fundamento scholiorum nostrorum sunt habendae, atque ita factum esse, ut Theonis doctrinae frustula in commentariolo nostro servata sint. Theonem autem illum Augusti aequalem fuisse verisimile est: cf. Giese de Theone grammat. p. 23 sqq.

Iam ad cetera scholia transeo, in quibus tractandis semper quaerendum est, utrum e vetere collectione, quam statuimus, esse possint necne.

Interdum poetarum vel scriptorum loci in commentario nostro laudantur, saepissime Homerici, atque ita quidem, ut loci aut nude apponantur verbis poetae aut in explicationibus adhibeantur. Ex priore genere est ex. gr. sch. II, 7^b: *ἀνακλίνεσθε*] *Ὅμηρος· ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος, ἠδ' ἐπιθεῖναι.* (Il. V, 751) vel sch. II, 35 (= III, 250): *Πυθῶνί κε τεκμήρειο*] *Ὅμηρος· οὐδ' ὅσα λάινος οὐδὸς ἀφήτορος ἐντὸς ἐέργει, Φοίβου Ἀπόλλωνος, Πυθοῖ ἔνι πετρηέσσῃ.* (Il. IX, 404). Adde sch. III, 4 (Il. V, 408). III, 40 (Il. I, 527). IV, 73 (Il. II, 575). IV, 122 (Il. VI, 85). IV, 210 (Od. VI, 162). VI, 30 (Il. XXI, 259). Ex altero genere affero sch. III 90 *πηγούς*] *λευκούς· καὶ Ὅμηρος πηγεσιμάλλῳ.* De voce *πηγός* discrepant veterum opiniones: cf. Hes. III p. 300 *πηγόν· οἱ μὲν λευκόν· οἱ δὲ μέλαν καὶ εὔτραφῆ.*, atque eodem modo de loco Homeri laudato (Il. III, 197) diversae fuerunt sententiae: cf. Hes. ibid. s. *πηγεσιμ.*, sch. Il. A. l. l., Cram. An. O. I p. 358. Callimachus album colorem intellexit dicens canes *ἥμισυ πηγούς* i. e. ex dimidia parte albos (Spanh.), non 'cinereos' (Schneid.), quod in verbis poetae non est. Scholiasta etiam in loco Homerico album colorem intellexisse videtur. — Praeterea cf. sch. IV, 286 *γηλεχέες*] *καὶ Ὅμηρος χαμαιεῦναι.* (Il. XVI, 235). Vocem *γηλεχέες* apud poetam nostrum solum obviam respicit Hes. I p. 428. De scholiis II, 50. III, 8. 12 iam dictum est. — Hesiodus bis laudatur sch. I, 95 (Op. 313) et III 53 (Th. 145). Ad. h. IV, 28, ubi Callimachus de Delo sic loquitur *εἰ δὲ λίην πολέες σε περιτροχόωσιν ἀοιδαί,* scholiasta adnotat Pindarum et Bacchylidem insulae laudes cecinisse: quod de Pindaro verum esse scimus ex fr. 87. 88, de Bacchylide nobis aliunde non constat, sed causa non est cur dubitemus. Attamen iam Ernesti

recte monuit adnotationem per se veram repugnare versui insequenti *ποίῃ ἐνιπλέξω σε*, unde apparet poetam non cogitare de hymnis ab aliis poetis in honorem Deli compositis, sed de variis fabulis, quae de ea circumferebantur, e quibus quam eligat ambigit. Itaque interpres poetae verba non recte intellexit. In sch. III, 18 Theocritus, in sch. IV, 11 Thucydides laudatur: cf. supra. Ad IV, 312 *σὸν περὶ βωμόν* exstat scholion *τοῦτο καὶ Πλάτων ἔφη ἐν Φαίδωνι.* Sed de ara in Platonis Phaedone nihil legitur. Itaque Schneiderus scholion mutato lemmate in *παίδεσσιν* ad v. 309 retraxit. Sane apud Platonem p. 58 sermo est de Theseo e Creta reduce. Attamen Meinekius probabilius putavit scholion pertinere ad v. 314, ubi theoris Deliaca commemoratur, cui versui aptissime comparari potuit locus ille nobilis Phaedonis, ubi sermo est de theoride, qua mors Socratis differebatur.

Omnia haec scholia iam in vetere collectione exstare potuerunt. Nam loci illi Homerici fere ultro sese offerebant in Callimacho tractando, qui vatem illum saepissime imitatur. Neque ceteri alieni sunt.

Nunc de glossis permultis, quae obviam fiunt in commentario, est agendum. Iam Ruhnkenius cognovit Hesychii lexicon in his adhibitum esse, passim hoc adnotans in epistula critica altera. M. Schmidtius in quaest. Hesych. p. 95 glossas huius generis composuit, sed rem non absolvit, cum nonnulla omiserit, alia attulerit, de quibus res incerta est. Ac primum quidem eas afferre in animo habeo, ex quibus luculenter apparet lexicon Hesychii in usum vocatum esse.

Sch. II, 18^b: *κλείουσιν*] *ὑμνοῦσιν.* Hes. II p. 490 *κλείουσαι· ὑμνοῦσαι.* (Hes. Op. 1.)

Sch. II, 20^a: *κινύρεται*] *θρηνεῖ, κλαίει.* Hes. II p. 485 *κινύρεσθαι· θρηνεῖν . κλαίειν.* Vox *κινύρεσθαι* invenitur iam Aesch. Spt. 116 et Ar. Equ. 13.

Sch. II, 78: *τελεσφορίην*] *ἑορτήν, θυσίαν.* Hes. II p. 139: *τελεταί· ἑορταί . θυσίαι . μυστήρια.* Scholion, etsi lemma aliud est, aperte fluxit ex Hesychio.

Sch. III, 179: *κεραελκέες*] *διὰ τὸ τοῖς κέρασιν ἕλκειν τὸ ἄροτρον.* Hes. II p. 469: *κερουλκός· ὁ τοῖς κέρασι ἕλκων*

τὸ ἄροτρον. Quo spectet Hesychius, ignoramus, cum κερουλκός eo sensu alibi non exstet.

Sch. III, 238: παρραλίῃ Ἐφέσῳ] παραθαλασσίᾳ. Hes. III p. 273 παραλία καὶ πάραλος καὶ παράλιος· παραθαλάσσιος. Scholion addidit E, sed dat παραθαλασσαίῃ, quod correxit Schneiderus.

Sch. III, 251: ἠλαίνων] μωραίνων. Hes. II p. 272 ἠλαίνει· μωραίνει. Vox alibi hoc sensu non exstat. Sed Hesychius poetam respexisse propter tertiam singularis formam non putandus est.

Sch. IV, 61: εἵατο] ἐκαθέζοντο. Hes. II p. 23 εἵατο· ἐκαθέζοντο. (Il. III, 149.)

Sch. IV, 191: διειδομένη] φαινομένη. Schneiderus edidit διαφαινομένη, sed v. Hes. I p. 486: διαείδεται· φαίνεται. (Il. XIII, 277.)

Sch. IV, 236: λέχριος] πλάγιος. Hes. III p. 31 λεχρίη πλαγία. Cum de Iride sermo sit, Schneiderus putat scribi debuisse πλαγία. Sed masculinum positum est propter poetae λέχριος. Quod autem e codice E edidit πλαγίως, probari nequit. Nam pro tradita scriptura haberi debet πλάγιος neque ulla causa mutandi est. Vox ipsa exstat apud Soph. Ant. 1344, femininum λεχρία apud Eur. Med. 1157 K.

Sch. IV, 296: εὐηχής] εὔφημος. Hes. II p. 222: εὐηχές· εὔφωνον. εὔφημον. Legebatur εὔμοιροι] εὔφημοι. Sed cum εὔμοιρος nullo modo per εὔφημος explicari possit, recte Ruhnkenius ep. crit. II p. 162 Hesychio duce glossam ad εὐηχής rettulit. Vocem sumpsit Callimachus fortasse e Pindaro P. II, 14.

Sch. V, 4: σοῦσθέ νυν] ὁρμᾶτε. Hes. IV p. 61: σοῦσθε· ἴτε. ὁρμᾶτε. Eadem forma legitur Aesch. Suppl. 849. Spt. 31 W.

Sch. V, 15: ἀλαβάστρως] τὰς μυροθήκας. Hes. I p. 111 ἀλάβαστρον· μυροθήκη κ. τ. λ. Vox iam apud Hdt. III, 20 exstat.

Sch. V, 25: ἐμπεράμως] ἐμπείρως. Hes. II p. 79 ἐμπέραμον· ἔμπειρον. Libri exhibent ἐμπείρους, sed adverbio propter verba poetae opus est. In sch. I, 71 legitur in libris excepto E ἐμπεράμους] τοὺς ἐμπόρους, quod retinet Schneiderus addens cum Stephano in lemmate νηῶν, ut interpres poetae verba νηῶν ἐμπεράμους explicaverit per ‚mercatores',

de quibus poeta non cogitavit, sed omnino de iis, qui navium periti sunt. Itaque praefero cum Ernestio ἐμπείρους, quod codex E exhibet. Vox rara ἐμπέραμος legitur praeterea in duobus epigrammatis app. Anth. P., ubi 354,2 accusativus singularis exstal.

Sch. V, 28: σίβδης] ῥοιᾶς. Hes. IV p. 26: σίβδαι· ῥοιαί. Forma cum litt. β nunc quidem uno hoc Callimachi loco reperitur. Sed Hesychius genetivum non per nominativum pluralis explicasset. Itaque poetam non respicit.

Sch. VI, 82: νεῖταί τοι Τριόπας] ἔρχεται. Hes. III p. 146 νεῖται· ἐλεύσεται. ἔρχεται. (Od. XII, 188.)

Sch. VI, 44: ἐείσατο] εἴσατο, ὡμοιώθη. Hes. II p. 18: ἐείσατο· ὡμοιώθη. cf. Ap. lex. p. 62, 25.

Sch. VI, 91: ἀλεμάτως] ματαίως. Hes. II p. 273: ἠλέματος· μάταιος. Vox Alexandrinorum est: cf. ex. gr. Ap. Rh. IV, 1206.

Adde sch. III, 56: Αἴτνη] ὄρος Σικελίας. Hes. I p. 88: Αἴτνη· ὄρος Σικελίας. Mons hic sane aliter vix definiri potuit. Attamen cum consensus in illis glossis, quas attuli, manifestus sit, etiam hanc afferre licet.

Sch. IV, 47: Σούνιον] ἀκρωτήριον τῆς Ἀττικῆς. Hes. IV p. 60: Σούνιον· ἀκρωτήριον τῆς Ἀττικῆς (Od. III, 278).

Maxime autem apparet Hesychii lexicon adhibitum esse paucis glossis, quae temere exscripta sunt neque verbis poetae conveniunt.

Sch. II, 37: χνόος] ψόφος, ξυσμός. Quae explicato per voces „clamor“ „rasio“ apta non est; sed cf. Hes. IV p. 290: χνόος· ξυσμός· ψόφος· φθόγγος, quae glossa in scholio temere arrepta est, cum potius antecedens χνόος· ὁ χνοῦς τοῦ γενειᾶν ἀρξαμένου· ad Callimachum spectaret, quod excidisse in nostro scholio Schneiderus putat. Sed accedit sch. III, 77: ὤλοψας] ἀπέτιλας, ἐλέπισας. Sermo est de Diana Brontae Cyclopis manibus gestata, ubi legimus στήθεος ἐκ μεγάλου λασίης ἐδράξαο χαίτης | ὤλοψας δὲ βίηφι, cui loco scholii ἐλέπισας alienum est, cum significatio huius verbi sit „schälen“, „abschälen“, ut Nic. Ther. 595; sed v. Hes. III p. 199 ὀλόπτειν· λεπίζειν. τίλλειν κ. τ. λ.

Memorabile est etiam sch. IV, 101 Ἐλίκη] πόλις Βοιωτίας, qui error manifestus est, cum Helice urbs celebris Achaiae sit. Quare πόλις Ἀχαίας restituendum censuerunt Palmerus et Meinekius; Spanhemius Helicen urbem cum monte Heliconio confusam esse putavit, Schneiderus e suo more lacunam statuit inter πόλις et Βοιωτίας. Nihil ex his verum est. Nam idem error legitur in codice Hesychii II p. 65: Ἑλίκη· πόλις Βοιωτίας, ubi Schmidtius Βοιωτίας uncis inclusit. Qui mirus consensus in eodem errore casu factus esse nequit. Immo statuendum est iam tum cum scholion exscribebatur, falsam lectionem in Hesychio exstitisse.

Sch. IV, 193: ἀνθέρικος ὥς] ἀνθερικός ἐστιν ὁ τοῦ ἀσφοδελοῦ καρπός. At poeta cum Delum insulam mari innatantem cum asphodelo compararet, sine dubio non de fructu floris cogitavit. Sed cf. Hes. I p. 202: ἀνθέρικας· — καὶ ὁ ἀσφοδελοῦ καρπός· κ. τ. λ. Itaque auctor scholii Hesychianum ἀνθέρικας transtulit ad poetae ἀνθέρικος, quae neglegentia non ita magna videtur, cum utraque forma promiscue usurparetur ἀνθέρικες: Suid. Hdt. IV, 190, ἀνθέρικος sch. Theocr. I, 50, sch. Il. A. 20, 227. Vulgo intellegitur anthericus de caule asphodeli, ex. gr. Hdt. l. l. Theophr. VII, 13, 2. Plin. 21, 109, fructus significatur praeter scholion Callim. in Hes. sch. Theoc. l. Eust. p. 1206, 6. Scholion Theocriti pessime traditum est: cf. diligentem Ahrensii disputationem in ed. schol. p. 470. Id ex eo apparet, fuisse qui fructum intellegerent. Itaque pro certo non affirmaverim Schmidtium recte coniecisse in Hes. καυλός pro καρπός. Certe iam κάρπός scholii auctor legit.

Fortasse addi potest sch. I, 52 οὖλα] ὑγιεινῶς, sed apud poetam οὖλα de „crispa pedum argutatione“ recte intellegit Meinekius. Nescio an scholii obscurum ὑγιεινῶς ortum sit ex Hes. III p. 238 οὖλε· ὑγίαινε (Od. XXIV, 402. Ap. lex. p. 124, 11). Sed res incerta est. Nam vox οὖλος saepe a grammaticis explicatur per ὑγιής (cf. Schneid. exc. ad II, 76), ut conicias hinc scholii ὑγιεινῶς ortum esse.

Nullam iam dubitationem esse puto, quin in scholiis Callimacheis Hesychii lexicon adhibitum sit. Itaque homo aliquis, quem brevitatis causa compositorem nominare mihi liceat, glossas

Hesychianas cum frustulis scholiorum Callimacheorum coniunxit. Cuius ratio perspicua est. Nam lexicon illud inspiciens glossas, quatenus Callimacho respondebant, aut transtulit integras, ubi fieri potuit, aut textui poetae accommodavit aut pro arbitrio nonnulla omisit, interdum verborum consensu deceptus. Sed neglegentissime eum lexicon Hesychianum in usum vocasse docent multae glossae optimae, quae apud Hesychium exstant poetam respicientes, sed in scholiis non leguntur, quam ad rem satis habeo referre ad indicem, quem Schmidtius Hes. V p. 85 sq. composuit. Nonnulla alia scholia hic apponam, de quibus origo Hesychiana non constat, sed verisimilis mihi videtur.

Sch. I, 5: *ἀμφήριστον*] *ἀμφίλογον*. Hesych. I p. 157 *ἀμφήριστον· ἀμφοτέρωθεν ἐξισούμενον· ἀμφίλογον κ. τ. λ.* (Hom. Il. XXIII, 382. Ap. lex. p. 28, 33.)

Sch. I, 17: *λύματα*] *καθάρματα*. Hes. III p. 56 *λῦμα· κάθαρμα*.

Sch. I, 49[b]: *ἔβρως*] *ἔφαγες*. Hes. II p. 4 *ἔβρω. ἔφαγε. ἔδακε. διέσπασεν*.

Sch. I, 76: *ὑδείομεν*] *λέγομεν*. Hes. IV p. 193 *ὑδεῖν· ὑμνεῖν. ᾄδειν. λέγειν*. Quae vox poetis Alexandrinis trita est. cf. Suid. *ὑδέουσιν· ᾄδουσιν, λέγουσιν*. E. M. p. 776, 12 *ὕδω: τὸ ὑμνῶ καὶ λέγω*.

Sch. I, 77: *ἐπακτῆρας*] *κυνηγέτας*. Hes. II p. 133: *ἐπακτήρ· κυνηγός*. (Il. XVII, 135. Ap. lex. p. 70, 23.)

Sch. I, 89: *πλειῶνι*] *ἐνιαυτῷ*. Hes. III p. 343 *πλειών· ὁ ἐνιαυτός· κ. τ. λ.* (Hes. Op. 617.) Cf. Suid. *πλειῶν*. — *ὁ ἐνιαυτός κ. τ. λ.* E. M. p. 675, 47. E. Gud. p. 469, 44.

Sch. III, 253: *Κιμμερίων*] *Σκυθῶν*. Hes. II p. 483 *Κιμμέριοι· Σκύθαι· κ. τ. λ.* (Od. XI, 14.)

Sch. IV, 22: *σαοῖ*] *σώζει*. Hes. IV p. 15 *σάω· σῶζε. σῶσον*. (Od. XIII, 230.) Suid. *σάω· σῶζε. φύλαττε*. E. M. p. 708, 36.

Sch. IV, 60: *σπερχομένη*] *ὀργιζομένη*. Hes. IV p. 65 *σπέρξομαι. ὀργισθήσομαι* (Il. 24, 248).

Sch. IV, 73: *ἔμπλην*] *χωρίς*. Hes. II p. 80 *ἔμπλην· χωρίς. ἐγγύς. πλησίον*. Significatione *πλησίον* usurpatur vox Il. II, 526, significatione *χωρίς* Arch. fr. 111; cf. Ap. lex. p. 67, 30.

Sch. IV, 130: διψαλέην ἄμπωτιν] ξηρασίαν. Hes. I p. 153 ἄμπωτις· ἀνάπαυσις. ξηρασία. κ. τ. λ. Cf. Suid. ἄμπωτις· λῆξις· ἢ ξηρασία ἢ πλημμυρία. E. M. p. 86, 50. Hesychium Hippocratem respicere putat Schmidtius.

Sch. IV, 191: ἀραιῇ] λεπτῇ., Hes. I p. 269 ἀραιαί — ἐπὶ δὲ τοῦ λεπτοῦ καὶ στενοῦ (Ap. lex. p. 41, 23). E. M. p. 134, 21 ἀραιήν: — ἔστιν ὅτε σημαίνει καὶ λεπτήν κ. τ. λ.

Sch. IV, 235: γλωχῖνα] πρὸς τὴν γωνίαν τοῦ θρόνου. Hes. I p. 437 γλωχῖνα· τὴν γωνίαν τοῦ βέλους κ. τ. λ. (Ap. lex. p. 55, 6). Cf. E. M. p. 235, 50 γλωχίν: ἡ γωνία κ. τ. λ. Suid.

Sch. VI, 39: ποτὶ τὤνδιον] περὶ τὸ μεσημβρινόν. Hes. II p. 90 ἔνδιος· μεσημβρινός (Od. IV, 450). Suid. ἔνδιος· μεσημβρινός κ. τ. λ.

Sch. VI, 123: λευκόν] λαμπρόν. Hes. III p. 28 λευκά· φαιδρά. λαμπρά (Il. I, 480).

Sch. VI, 128: πασαίμεσθα] κτησόμεθα. Hes. III p. 290 πάσαιτο· ἐγεύσατο. ἐκτήσατο. E. M. p. 681, 51 πάσασθαι· τὸ κτήσασθαι. Meinekius pro optativo πασαίμεσθα legendum esse censuit futurum πασεύμεσθα. Sed optativum bene se habere recte adnotavit Schneiderus. In scholio fortasse κτησώμεθα legendum est; certe pro antiquioris lectionis teste scholiasta haberi nequit.

Quae scholia num ex Hesychio sumpta sint, certum non est, ut docent ceteri loci, quos attuli, ubi similia leguntur. Attamen cum constet Hesychium adhibitum esse, verisimillimum est etiam haec ad eum redire.

Constat inter omnes Hesychium lexicon Diogeniani in suum lexicon recepisse paucis tantum mutatis, qua de re cf. imprimis Weberi disputationem in philol. supplem. III p. 587 sqq. Itaque quaeri potest, num scholia Callimachea aliquid conferant ad Diogeniani lexicon resuscitandum. Cuius rei unum tantum exemplum Schmidtius attulit sch. IV, 315: τοπήια] ὅπλα νεὼς παρὰ Λάκωσι, σχοινία, κάλοι. cl. Hes. IV p. 165 τοπήια. ὅπλα νεώς. σχοινία. τοπεῖα. κάλοι, quae glossa Callimachum respicit. Ex scholio autem discimus vocem laudatam Laconibus in usu fuisse (cf. Ahrens. Dial. II p. 192), quae adnotatio in Hesychio librariorum culpa omissa esse videtur, ut Schmidtius

putat. Schol. IV, 238: *ἐνδρομίδας*] *κυρίως τῶν κυνηγῶν τὰ ὑποδήματα,* ubi recte adnotatur venatorum calceos proprie sic vocari, cum apud Hes. II p. 91 nihil sit nisi *ἐνδρομίδες· ὑποδήματα,* incertum est propter sch. III, 16: *ἐνδρομίδας*] *τὰ ὑποδήματα.* Quod scholion compositor ex Hesychio exscribere potuit, cum illud e vetere collectione esse possit.

Fortasse addere licet sch. III, 8: *ἔα πάτερ*] *τὸ εα δασυνόμενον καὶ ὀξυνόμενον τὰ ἴδια καὶ τὰ ἀγαθὰ δηλοῖ, ψιλούμενον δὲ καὶ παροξυνόμενον τὸ συγχώρει καὶ δίδου. καὶ τὸ ὑπῆρχον δὲ „εἴ ποτε κοῦρος ἔα"* (Il. IV, 321), quocum conferas Hes. II p. 1 *εα ψιλούμενον καὶ παροξυνόμενον ἤμην ἢ ὑπῆρχον, δασυνόμενον δὲ καὶ ὀξυνόμενον τὰ ἀγαθὰ καὶ ἴδια καὶ τὰ ἑαυτοῦ δηλοῖ.* Consensus inter scholion et Hesychium apertus est. Adnotatio de imperativo *ἔα* in Hesychio non legitur. Sed scholii explicatio *συγχώρει καὶ δίδου* poetae apta non est, in quo exhibetur *ἔα* pro „sine" respondens Hesychii glossae insequenti *ἔα· ἄφες . κ. τ. λ.* Itaque Schneiderus edidit *συγχώρει καὶ μὴ δίδου* non recte, ut puto, cum *συγχώρει* et *μὴ δίδου* plane contraria sint et vix simplici *καί* coniuncta essent ad eundem imperativum *ἔα* interpretandum. At Cyrillus alterum Hesychii glossam sic praebet *ἔα· συγχώρει . ἄφες.* Itaque statuere licet *συγχώρει* in Hesychio excidisse et etiamtum exstitisse, cum scholion exscribebatur. Quod si verum est, synonymon *δίδου* ab ipso compositore addi potuit. Restat versus Homericus, qui in scholio legitur, in Hesychio non item. Qui et ipse in Hesychio excidisse potest. Nam cum locus non ita tritus sit, non putaverim compositorem eum ex suo addidisse.

Praeter haec scholia nulla inveni, ex quibus Diogenianus lucrari possit quicquam.

In nonnullis scholiis incertum videri potest, utrum e collectione vetere an ex Hesychio orta sint. Quo refero eas glossas, quae ipsum Callimachum respiciunt aut respicere videntur. Nam in tanta litterarum Graecarum ruina hoc saepe in medio reliquendum est.

Sch. I, 74: *γεωμόρος*] *ὁ γεωργός.* Hes. I p. 427 *γεωμόρος· γεωργός.*

Sch. I, 90: ἄνην] ἄνυσιν, τελείωσιν. Vox rara ἄνη cum praeter Callimachum apud Aeschylum solum legatur nominativi forma Spt. 700, ad Callimachum spectat Hes. I p. 200 ἄνην· ἄνυσιν· ἢ δεινήν, ubi ἢ δεινήν irrepsit ex αἰνήν· δεινήν p. 80. In scholio τελείωσιν additur.

Sch. III, 18: σπαρνόν] σπάνιον. Hes. IV p. 63 σπαρνόν· σπάνιον. ὀλίγον. (Phot.)

Sch. IV, 144: θερμαυστραί] αἱ κάμινοι. Libri omnes exhibent θερμαυστραί, quod retinet Schneiderus putans vocem compositam esse ex θερμός et αὔω i. e. ἅπτω vel αἴρω et significare forcipem. Quae opinio, vel si concedis sic derivari posse vocem, poetae alienissima est, cum in eodem versu iam legatur πυράγρα. Quod enim censet Schneiderus, scripto simul ὑφ' Ἡφαίστοιο πυράγρῃ imam forcipis partem i. e. dentes, qui tenent τὰ θερμά, iure Meinekius iam monuit diatr. p. 190 exilem emergere imaginem. Itaque dubium esse nequit, quin θερμάστραι i. e. camini scribendum sit et quin ad poetam pertineat Hes. II p. 310 θερμαστραί· κάμινοι; ubi iniuria Schmidtius a litteram, codice traditam, mutavit in αυ, non mutans p. 309 θερμαστρῆθεν. ἐκ καμίνων.

Sch. IV, 225: σάρον] τὸ κάλλυντρον. Hes. IV p. 12 σάρον· κάλλυντρον. Βυζάντιοι, ubi Βυζάντιοι, a docto interprete additum, non obstat, quominus glossam ad Callimachum referamus.

Sch. V, 106: τέλθος] χρέος. Hes. IV p. 139 τέλθος· χρέος. Vox alibi non exstat.

Sch. V, 124: ἤλιθα] μάτην. Hes. II p. 274: ἤλιθα· — οἱ δὲ μάτην, εἰκῇ. Vox sensu „frustra" solum est apud Callimachum et Ap. Rh. II, 283.

Sch. VI, 39: ἑψιόωντο] ἔπαιζον. Hes. II p. 250: ἑψιόωντο· ἔπαιζον. Forma ἑψιόωντο legitur etiam apud Ap. Rh. III, 118.

Sch. VI, 74: προχανά] πρόφασις. Hes. III p. 398: προχάνη· σκῆψις. πρόφασις. Vocem προχανά eo sensu poeta adhibuit etiam fr. 26; alibi sic usurpata non occurrit.

Quae cum ita sint, conicere quispiam possit haec scholia non esse descripta ex Hesychio, sed et scholia et Hesychium ad eundem fontem redire, i. e. ad veterem commentarium. Sed

vix putaverim consensum tam manifestum futurum esse, si ad eum redirent. Itaque videntur etiam haec compositori deberi. Attamen in omnibus non certum est. Nam in vetere collectione tales glossae non defuisse videntur, ut sch. I, 40, ubi additur *τελείωσιν*, eo redire potest.

Pauca alia scholia non accurate Hesychio respondent, aliquo tamen modo cum eo congruunt.

Sch. II, 41: *πρῶκες*] *δρόσοι, σταγόνες. ἀκήρια δὲ ἀσθενῆ τὰ νοσήματα. ἢ μᾶλλον, ἄφθαρτα καὶ ἄνοσα πάντα γίνεται.* Spectare videtur ad Callimachum Hes. III p. 401: *πρῶκες· σταγόνες. ψεκάδες. σταλαγμοί.* Interpretationem, quae sequitur *ἀκήρια — νόσηματα* A. Fabri et Ernesti alienam putaverunt, cuius sententiae causam cum Schneidero non invenio. Cum altera *ἢ μᾶλλον κ. τ. λ.* mire congruit glossa Hesychii I p. 97 *ἀκήριοι. ἄψυχοι. ἄφθαρτοι. ἄνοσοι* (Ap. lex. p. 19,15). Itaque nescio an haec explicatio a compositore ex Hesychio addita sit.

Cum sch. III, 84: *μόνιον δάκος*] *κατὰ μόνας νεμόμενον,* conferas glossam Hes. III p. 118 sic a Schmidtio exhibitam: *μονιός· ὗς ἄγριος· ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις συναγελαζόμενος. ἢ ὁ περὶ τράχηλον ὅρμος. [ὁ δὲ ἅγιος Κύριλλος ἐν τῇ ἑρμενείᾳ Ὡσηὲ τοῦ προφήτου ὄνον λέγει σημαίνειν. τινὲς δὲ μέγα θηρίον κατὰ ἀπόνοιαν κατὰ μόνας νεμόμενον].* Adnotatio de Cyrillo postea accesit. Cuius in commentario ad Oseae XIV, 8 (III, p. 194 ed. Paris.) laudatur Psalm. 80 v. 13 et 14 sic: *περιεῖλε δὲ Κύριος τὸν φραγμὸν αὐτῆς καὶ τετρυγήκασιν αὐτὴν πάντες οἱ παραπορευόμενοι τὴν ὁδόν. ἐλυμήνατο αὐτὴν ὗς ἐκ δρυμοῦ καὶ ὄνος ἄγριος κατενεμήσατο αὐτήν.* Quo ex loco apparet in Hesychio nihil uncis esse includendum nisi *ὁ δὲ ἅγιος Κ. — λέγει σημαίνειν,* quod ut iniceret auctor commotus esse videtur verbis *ὗς ἄγριος κ. τ. λ.*, cum meminisset apud Cyrillum exstare *ὗς ἐκ δρυμοῦ καὶ ὄνος ἄγριος. Μονιός* autem de subus usurpatur fab. Aesop. 54,1, Ael. N. A. VII, 47, epitheton luporum est Lucian. ep. Sat. 34. Callimachus nullum certum animal innuit, cui aptum est illud *τινὲς δὲ μέγα θηρίον κ. τ. λ.*, ubi *κατὰ ἀπόνοιαν,* si recte traditum est nec errore ex sequente *κατὰ μόνας* quasi dittographia falsa

ortum est, significare potest bestiae atrocitatem. Scholion autem Callimacheum ex hac ultima adnotatione fluxisse puto.

Sch. IV, 289: *Ληλάντιον*] *ἐν Εὐβοίᾳ πεδίον Ληλάντιον ἀπὸ Λήλαντος βασιλέως.* Campus ille nobilis Euboeae occurrit iam Hom. h. II, 42. Rex „Lelas" alibi non commemoratur, sed cf. Hes. III p. 34: *Ληλάντου πεδίον· τῆς Εὐβοίας ὠνομασμένον ἀπὸ Ληλάντου βασιλέως,* qua glossa comparata recte Schneiderus in scholio *Ληλάντου* scripsisse videtur praeeunte Meinekio. Nam sine dubio scholion pendet ex Hesychio, cum nomen a rege alibi non derivetur. Etiam hoc scholion, etsi Hesychii verbis non prorsus respondet, compositori tribuere possumus. Incerta sunt haec scholia:

Sch. I, 55. *καλά*] *καλῶς.* Hes. II p. 395: *ΚΑΛΑ· ὀξυτόνως τὸ σύνηθες, καὶ ἀντὶ ἐπιῤῥήματος τοῦ καλῶς κ. τ. λ.* Cf. Ap. lex. p. 94, 19.

Sch. III, 174: *τέθμια*] *τὰ νόμιμα τῶν Ταυροσκυθῶν, τὸ θύειν τοὺς ξένους.* Hes. IV p. 136: *τέθμια. νόμιμα.* Vocem ipsam poeta e Pindaro sumpsit.

Sch. V, 87: *ἄλαστε*] *ἤτοι ἀνεπίληστα υπομείνας.* Hes. I p. 113: *ἄλαστα· ἄτλητα. ἀνηπίληστα. κ. τ. λ.* Cf. Suid: *ἄλαστε ἀνεπίληστε κ. τ. λ.* E. M. p. 57,48: *ἄλαστον — ἀνεπίληστα τινὰ ὄντα.* Quae scholia ad veterem collectionem referre licet, cum valde incertum sit, num ex Hesychio orta sint. Nam scholia III, 174 et V, 87 quidem a compositore vix addita sunt, qui alibi glossas tantummodo exscripsit, non cum explicationibus coniunxit.

Memorabile est sch. III, 165, ubi interpretationem legimus Hesychio contrariam. Ecce scholion: *ὠκύθοον τριπέτηλον*] *τὸ ταχέως ἀνατέλλον τρίφυλλον,* unde apparet interpretem *τριπέτηλον* intellexisse pro substantivo. Iam cf. Hes. IV p. 321: *ὠκύθοον· πόα τις ἡ τρίφυλλος καλουμένη,* qui *ὠκύθοον* putavit esse substantivum; cuius auctoritati fidem habuit Schneiderus cum aliis v. Schneid. excurs. ad. l. Cum scholio consentit scholiasta Nicand. Ther. 520. Mea quidem sententia res pro certo diiudicari nequit, cum utrumque ferri possit. Attamen scholii sententia mihi magis poetica videtur et poetae loco aptior.

Semel Diogenianus ipse laudatur. Sch. III, 190: *Βριτό-*

μαρτιν] *Βριτόμαρτις ὄνομα κύριον τῆς νύμφης, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Ἄρτεμις ἐν Κρήτῃ, ὡς Διογενιανός.* Adnotatio *Βριτόμ. ὄν. κ. τ. ν.* ad poetam pertinet; cum ceteris cf. Hes. I p. 400: *Βριτόμαρτις· ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις.* Fortasse hoc scholion compositor iam invenit. Nam eius forma alia est atque illorum, quae simpliciter exscripta sunt, ac mirum videri possit eum in uno tantum scholio auctorem nominasse, in reliquis permultis non item. Itaque potest adnotatio ab alio adiecta esse. Nam liber Diogeniani, quem Hesychius transscripsit, aetate Byzantina inter pervulgatissimos fuit: cf. Schmidt. quaest. Hes. p. 86. Sed potest adnotatio etiam ab ipso compositore profecta esse, ut exemplar ab hoc adhibitum Diogeniani nomen tulisse censendum sit. Simile additamentum ex lexico Hesychiano sumptum iam cognovimus in sch. II, 41.

Praeterea permultae breves verborum explicationes exstant, quae alibi non leguntur. Quae omnes diligenter pertractandae sunt, quatenus opus videtur. Quae infra cum Suidae glossis comparabuntur, nunc omitto.

Sch. I, 17: — *τὸ δὲ χυτλώσαιτο ἀντὶ τοῦ ἀπολούσαιτο.* Quam vocem Homerus aliter usurpavit Od. VI, 80, eo sensu, quo explicatur Ap. lex. p. 169,14. Hes. IV p. 301: *μετ' ἐλαίου λούσασθαι.* De sola ablutione usurpant Alexandrini. Callim. l. l. Lyc. 322. Ap. Rh. IV, 1311.

Sch. I, 46: *προςεπηχύναντο*] *εἰς τοὺς πήχεις ἔλαβον.* Scholion praepositioni *πρός* non satisfacit, quam recte videtur indicasse Meinekius diatr. p. 129 vertens „brachiorum circumiectu ad se trahere". Vox apud poetam solum legitur.

Sch. I, 59: *ἐπιδαίσιον*] *κατὰ κλῆρον μεμερισμένον. Κατὰ κλῆρον* legebatur ad v. 52, ubi locum non habet. Quare iure rettulit Ernesti ad v. 59. Scholii explicatio diversa est a Suidae *ἐπιδαίσιος οἶκος· ὁ ἐπίκοινος καὶ οὐ μεριστὸς, ὁ ἐξ ἴσου καταλειφθεὶς δύο τισὶν* (id. E. M. p. 358, 43. E. Gud. p. 199, 11), quae voci vim infert et aliena est in sententiarum conexu. Melior scholii est. Attamen etiam sic restat quaedam difficultas, cum poeta v. 66 aperte dicat, Iovem regnum non sorte nactum esse. Quare viri docti priore versu de coniecturis cogitaverunt. Sed videtur poeta *ἐπιδαίσιον* intellexisse in universum

sensu „zugeteilt", de sortitione autem, nova demum sententia v. 60 sq. illata, cogitasse.

Sch. I, 60: *δηναιοί*] *οἱ παλαιοί*. Schneiderus recte monuit vocem de rebus praeteritis apud poetam solum legi.

Sch. I, 70: *εἵλεο δ' αἰζηῶν*] *νῦν καθόλου λέγει τῶν ἀνθρώπων*. Qui usus a poetis Alexandrinis novatus est, cf. Ap. Rh. IV, 268. Nic. Ther. 343. 613. Scholion uberioris adnotationis pars esse videtur.

Sch. I, 80: *λάξιν*] *λαχμόν, κλήρωσιν*. Forma *λάξις* legitur iam Hdt. IV, 21.

Sch. II, 18: *εὐφημεῖ*] *ἡσυχάζει, γαληνιᾷ*. Quae interpretatio bene ponto *εὐφημοῦντι* convenit.

Sch. II, 32: *τό τ' ἐνδυτόν, ᾗ τ' ἐπιπορπίς*] *ἐνδυτὸν τὸ ἱμάτιον· ἐπιπορπὶς δὲ ἡ περόνη (ἡ λεγομένη φίβλα)*. Vox *ἐπιπορπίς*, apud poetam solum exstans, aperte de fibula dicta est, quod Meinekius noluit intellegens pallam *ἐνδύτῳ* superiniectam, quam sententiam iure refutavit Schneiderus ad. l.

Sch. II, 40: *πανάκειαν*] *τὴν ἴασιν*. Dea *Πανάκεια* legitur apud Arist. Plut. 702. 730. Hes. III p. 264 vocem explicat per *θεραπεία*, qui potest poetam respicere. Neuter illud *παν* expressit.

Sch. II, 85: *ζωστῆρες*] *περιφραστικῶς οἱ πολεμικοί*. Qui usus tranlatus hic solum reperitur.

Sch. III, 69: *αἰθῇ*] *τῇ κεκαυμένῃ, τῇ μελαίνῃ*. Vox occurrit iam Ar. Thesm. 246, cf. Hes. I p. 75 *αἰθαί· μέλαιναι κ. τ. λ.* Interpretatio *κεκαυμένος* est etiam in sch. Nic. Ther. 289.

Sch. III, 70: *μορμύσσεται*] *ἐκφοβεῖ*. Qua de voce v. Schneid. Hes. III, 120 exhibet *μορμύσσεσθαι· ἐμβριμᾶσθαι*, quod poetae aptum non est. Alibi vox non legitur.

Sch. III, 74: *ὀπτήρια δοίη*] *τὰ ὑπὲρ τοῦ ἰδεῖν δῶρα*. Recte. Nam vulgaris vocis significatio, dona nymphae in *ἀνακαλυπτηρίοις* data (Hes. III p. 214. Poll. II, 59), ad poetam non quadrat. Apte conferri potest sch. Aesch. Eum. 7.

Sch. III, 82: *κατακλῆδα*] *τὴν φαρέτραν*, quo sensu vocem solus usurpat Callimachus.

Sch. III, 99: προμολῆς] ταῖς διεξόδοις τοῦ Παρρασίου, ὄρους Ἀρκαδίας. Cf. sch. Ap. Rh. I, 260: — ἐντεῦθεν καὶ τὰς πρώτας προβάσεις τῶν ὀρῶν προμολὰς λέγουσι. Vox eo sensu primum apud Callimachum legitur.

Sch. III, 124: ἐμμάξεαι] ἐμβαλῆς. De voce cf. Schneid.

Sch. III, 133: τρώει] τρύχει, φθείρει. Callimachus pendet ex Homero Od. XXI, 293, cf. Ap. lex. p. 155,33. Hes. IV p. 184 τρώει· τιτρώσκει.

Sch. III, 134: ταὶ δὲ θυωρόν] θυωρὸς ἡ φιλικὴ τράπεζα, κυρίως δὲ ἡ θεοῖς ἀνακειμένη. Recte adnotatur θυωρόν proprie esse mensam deis sacram (Hes. II p. 333. Suid. sch. Lyc. 93); poeta de mensa profana usurpat, quam interpres φιλικήν dicit, cum amici convivio excipiantur.

Sch. III, 152: πινύσκει] σωφρονίζει, κολακεύει ὁ Ἡρακλῆς. Vox occurrit Aesch. Pers. 832.

Sch. III, 166: ὑποληνίδας] πυέλους, ποτίστρας. Vox proprie significat idem atque ὑπολήνιον i. e. alveos minores ληνοῖς altioribus suppositos. Callimachus improprie intellegit aquaria, ex quibus cervi (v. 163) potant. Meinekius quidem negavit ὑπό praepositionem intellegi posse et scripsit ὑπὸ ληνίδας, ut ὑπό tmesi pertineat ad ἐπλήσαντο, quod ferri non posse propter ἐν initio versus positum, quod cum ἐπλήσαντο coniungendum est, Schneiderus monuit.

Sch. III, 178: κόπρον] τὴν ἔπαυλιν. Quo sensu vox legitur iam apud Homerum Il. XVIII, 575. Cf. Ap. lex. p. 102,19. Hes. II p. 514.

Sch. III, 190: ἐλλοφόνον] νεβροκτόνον. Teste E. M. p. 331, 54 etiam Diana ipsa ἐλλοφόνος appellabatur, in poeta Britomartis nympha.

Sch. III, 194: παίπαλά τε] τόπους τραχεῖς. Adiectivum παίπαλος apud poetam solum legitur. Cf. sch. Ar. Nub. 260.

Sch. IV, 14: ἀπομάσσεται] ἀπορρίπτει. Ita cod. E. Vulgo legebatur ἀπορρύπτει. Illud iam A. Fabri et Ruhnkenius legendum esse censuerunt, iure. Nam de ἀπορρύπτειν i. e. abluere cogitari nequit. Meinekii coniectura, scholiastam ἀπορρύπτει scribentem ἀπομύσσομαι i. e. „sich ausschneuzen“ explicare voluisse, non opus est.

Sch. IV, 31: ἄορι] τριαίνῃ. Qua significatione ἄορ alibi non occurrit.

Sch. IV, 65: ἑπτάμυχον] πολύμυχον. Sic videtur poeta vocem intellexisse, certe intellexit sic Nonnus IV, 14. X, 66. Meinekius putat fortasse latere reconditius aliquid in voce collato titulo libri Pherecydis Ἑπτάμυχος (Suid.), de quo tamen parum constat.

Sch. IV, 94: τομώτερον] σαφέστερον, ὀξύτερον. Libri praebent τομώτερον, quod Th. Canterus iure correxit in τορώτερον: v. Schneid. Scholii σαφέστερον huic voci aptum est: cf. Suid. τορῶς — σαφῶς. E. M. p. 762, 28 τορός — ἔνιοι δὲ σαφής κ. τ. λ. Vox τομὸς nusquam hac significatione usurpatur. Illud ὀξύτερον, quod accessit ex E, etiam ad τομώτερον pertinere potest: cf. Hes. IV p. 164 τομώτερος· ὀξύτερος κ. τ. λ., unde nescio an additum sit.

Sch. IV, 125: ἀπαύγασαι] θέασαι. Vox sensu conspiciendi hic tantum legitur.

Sch. IV, 166: ὑπὸ μίτρην] ὑπὸ τὴν βασιλείαν, ὑπὸ τὴν ἀρχήν. Mitra hoc sensu ante Callimachum non usurpatur.

Sch. IV, 174: Τιτῆνες ἀφ᾽ ἑσπέρου] τῆς δύσεως· Τίτηνες δὲ διὰ τὸ ἐπιχείρωμα. Ἕσπερος pro occidente dictum ante Callimachum non inveni, sicut in IV, 280 (cf. schol.) μέση pro μεσημβρία. Veteres nomen Titanum derivasse a τιταίνειν iam ex Hesiodi constat Th. 209. Cf. Hes. IV p. 160.

Sch. IV, 242: ἀλετρίδες] αἱ θεράπαιναι αἱ ἀλήθουσαι. (Iam Od. XX, 105.)

Sch. IV, 258: ὀλολυγήν] τὴν μετὰ εὐφημίας λέγει εὐχήν. Cf. Hdt. IV, 189. Hes. III p. 198.

Sch. IV, 292: εὐαίων] ἡ μακαρία. In voce εὐαίων offendit Schneiderus. Itaque conicit εὐαίμων. Mihi quod poeta infra iuvenes et virgines εὐμοίρους appellat, minime impedire videtur, quominus antea Hecaergen simili epitheto ornare potuerit. Scholiastam εὐαίων legisse elucet.

Sch. IV, 302: οὖλος ἐθείραις] ὁλόκληρος ταῖς θριξί, τουτέστι λαμπρὸς ταῖς ἀκτῖσι. Rectissime verba poetae intellexit. Nam hic vesperum densis crinibus ornatum dicit sine dubio propter radiorum multitudinem, qui undique fulgent a stella. Cf. Doederlein Gloss. Hom. II p. 44. Ad vocem ὁλό-

κληρος cf. Hes. III p. 239 *οὖλον· ποτὲ μὲν κ. τ. λ., ποτὲ δὲ τὸ ὑγιὲς καὶ ὁλόκληρον.*

Sch. IV, 322ᵃ: *ῥησσόμενον*] *πλησσόμενον.* Poetae versus 321 et 322 corruptelis laborant neque adhuc sanati sunt. Hic de *ῥησσόμενον*, quod legit interpres, dicendum est. Interpres rettulit participium ad *βωμόν*, ut apparet etiam e scholio uberiore ad v. 321: *ἐν Δήλῳ περὶ τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἔθος ἦν τρέχειν καὶ τύπτειν τὸν βωμὸν μάστιγι.* Quod per se ineptum non est. Sed obstare videtur Hesychii I p. 480 *Δηλιακὸς βωμός· τὸ περιτρέχειν κύκλῳ τὸν ἐν Δήλῳ βωμὸν καὶ τύπτεσθαι* (sic codex, *τύπτειν* dedit Schmidtius praeeunte Musuro e scholio nostro). *ἤρξατο τούτου Θησεὺς κ. τ. λ.* Dubium vero esse nequit, quin poeta et Hesychius eundem morem innuant, etsi in causa moris discrepant; nam ille institutum esse tradit a nympha ob dei ludicrum, hic a Theseo. Itaque Hesychii auctoritati oboediens cum Meinekio aliis a codicum scriptura recedo et apud Callimachum scribendum puto *ῥησσομένους.* Sed scholiasta singularem iam legit. Perversam de toto loco sententiam protulit Schneiderus, qui *ὑπὸ πληγῇσιν* ad nautas refert et *βωμὸν ῥησσόμενον* intellegit de arae basi pedibus a nautis circumeuntibus pulsata. Quod nimis contortum est.

Sch. IV, 322ᵇ: *ὁδακτάσαι*] *δράξασθαι, δακεῖν.* Illud *δράξασθαι*, nude positum, verbo non satisfacit, quod significat dentibus prehendere.

Sch. IV, 325ᵇ: *εὐέστιε*] *εὔοικε.* Vox alibi non occurrit.

Sch. V, 2: *φρυασσομενᾶν*] *ποιὸν ἦχον ἀποτελουσῶν.* Callimachus de equis usurpat.

Sch. V, 25ᵇ: *λιτὰ λαβοῖσα*] *ἀσκεύαστα, ἄμικτα.* Cf. Hes. III p. 44 *λιτά· ἁπαλά. — καθαρά.*

Sch. V, 41: *ἀπορρώγεσσιν*] *ἐν πέτραις ἐρρηγμέναις.* Cf. Hes. I p. 256 *ἀπορρῶγες· αἱ ἀνέχουσαι πέτραι* (Od. XIII, 98. Ap. lex. p. 39, 24).

Sch. V, 76: *περκάζων*] *μελαινόμενος. ὑπὸ τῆς φύσεως τῶν τριχῶν.*

Sch. V, 90: *παριτέ*] *παραβατέ, παροδεύσιμε.* Schneiderus quidem non putat *παριτέ* posse intellegi „adeundus", ut vulgo intellegitur. Sane exemplis firmari non potest. Attamen puto

traditam scripturam defendi posse talibus exemplis qualia sunt Soph. Ant. 1255 *δόμους παραστείχοντες*. Eur. Hipp. 108 *παρελθόντες δόμους*, quae quicquam ad nostrum locum valere negat Schneiderus putans hic re vera *παρά* esse „praeter", dictum de ea regione, quam quis praeterit. Equidem non putaverim auditoribus hoc in mentes venire potuisse. Coniecturam porro quam proponit *περιτέ* si receperis, poetae obtrudes elisionem duram cuius exempla apud eum non exstant. Traditam lectionem scholion certe iam legit, quod sensui sane non satisfacit.

Sch. VI, 29: *ἀλέκτρινον ὕδωρ*] *διαυγές. παρὰ τὸ ἤλεκτρον.* Vox hoc sensu alibi non invenitur.

Sch. VI, 48: *πολύθεστε*] *πολυπόθητε.* Cf. Hes. III p. 356 *πολύθεστος· πολυαγάπητος . πολύσεπτος.* Vox alibi non legitur.

Sch. VI, 92: *πλαγγών*] *ἡ κήρινος νύμφη.* Cf. Hes. III p. 339 *πλαγγών· κήρινόν τι κοροκόσμιον κ. τ. λ.*, qui respicit Callimachum, qui solus vocem usurpat.

Sch. VI, 114: *ἀνεξήραινον*] *ἔρημον ἐποίουν.* Vox, hac impropria significatione usurpata, apud solum Callimachum exstat. Pro imperfecto, quod interpres legit, aoristum posuit Ernestius, sed imperfectum defendi potest: cf. Schneid.

Sch. VI, 126: *παναπηρέας*] *ἀβλαβεῖς.* Vox alibi non occurrit.

Adde sch. I, 34. 44 (= V, 115). 52. II, 22. 37. III, 3. 146. IV, 14^{b}. 57. 234. V, 8. 11. 14. VI, 47. Subiungo pauca scholia, quae non recte ad poetae verba explicanda apposita sunt.

Sch. I, 35: *μαιώσαντο*] *ἔθρεψαν.* Necesse est intellegere „obstetricabant". Scholiasta *μιν* sine dubio rettulit ad Iovem, cum pertineat ad Rheam.

Sch. III, 61: *ἀμβολαδίς*] *ἐκ διαδοχῆς.* Vox *ἀμβολαδίς* sic non recte explicatur, quod nihil significat nisi „sublatis brachiis". Sed imago de Cyclopibus ferrum „per vicem" concudentibus certe aliena non est, cf. Verg. A. VIII, 453.

Sch. III, 62: *ἀκηδέες*] *ἄφοβοι.* Apud poetam epitheton suave nympharum significat „securus". Is qui *ἄφοβοι*, quod

non inest in voce, intellexit, adiectivum praedicative positum accepit.

Sch. IV, 79: ἡ δ' ὑποδινηθεῖσα] ὑπότρομος γενομένη. Hoc in ὑποδινεῖσθαι inesse non potest, quod verbum poeta usurpat de nympha celeri terrae fuga circumacta. Attamen mutare nihil audeo; ὑπόδρομος vel ἀπόδρομος Th. Bentleius proposuit, ὑπότροπος Ernestius. Fortasse adnotatio pertinet ad v. 80 sq., ubi sic explicari potuit ὑπόχλοον ἔσχε παρειήν κ. τ. λ.

Sch. IV, 212: ἀλυσθμαίνουσα] πνευστιῶσα, ἀσθμαίνουσα. Forma ἀλυσθμαίνω singularis est, de qua v. Schneid. Scholiastae interpretatio „anhelans" „suspirans" voci non convenit, quae ut ἀλυσθαίνειν, significat ἀσθενεῖν (Nic. Ther. 427), cf. Hes. I p. 133, qualis significatio etiam apud poetam est. Fortasse interpres putavit ἀλυσθμαίνω aliam formam esse verbi ἀσθμαίνω, quod apponit.

Sch. V, 29: ἄρσεν τε] ἤτοι καθαρόν, ἄμικτον. Callimachus cum de ἐλαίῳ ἄρσενι loqueretur, intellexisse videtur oleum ex oleastro mari: cf. Hermann. ad Soph. Trach. 1186. Nam vix putaverim cum Spanhemio eum intellexisse oleum, quod in virilibus seu athleticis excercitationibus adhiberetur. Quomodo scholiastae καθαρόν inesse possit, non video. Eadem explicatio redit sch. IV, 299 ἄρσενες] οἱ καθαροί, ubi de iuvenibus sermo est, qui quare „puri" dici possint in scholio, obscurum est. Fortasse hoc scholion e priore ortum est ita, ut aliquis, qui illud invenit, interpretationem transtulerit ad v. IV, 299, ubi idem adiectivum ἄρσην exstabat.

Sch. VI, 116: ἀκόλως] ἄρτους. Recta interpretatio est lexicographorum, quos enumerat Schneiderus ad sch., ὁ μικρὸς ψωμός i. e. „Bissen, Brocken". Nam simpliciter „panem" vox non significat.

Iam videamus, quid de his omnibus brevibus scholiis cogitandum sit. Fere omnia, ut elucet, apte ad poetae verba facta sunt; multa voces explicant aut solum apud poetam obvias aut peculiari sensu adhibitas; nonnulla aliter in Hesychio leguntur, ex quo facile exscribi poterant. Itaque sine dubio ex lexico aliquo non fluxerunt. Verisimile est compositorem ea iam in-

venisse, atque si non omnia, certe pleraque e vetere collectione restitisse, ubi uberiora et integriora videntur fuisse.

In omnibus his glossis pertractandis non neglexi lexica, quae aetatem tulerunt, inspicere, Suidam, Etymologica. Sed nihil inveni, unde de origine scholiorum aliquid certi colligere nobis liceat. Exempli gratia ea hic afferam, quae cum Suida aliquo modo congruunt.

Sch. I, 66: ἐσσῆνα] ἐσσὴν κυρίως ὁ βασιλεὺς τῶν μελισσῶν, νῦν δὲ ὁ τῶν ἀνδρῶν. Cf. Suid. ἐσσήν· βασιλεύς. κυρίως τῶν μελισσῶν κ. τ. λ. id. E. M. p. 383, 30 (E. Gud. p. 213, 6. Zon. p. 877). Nihil nos cogit putare scholion fluxisse e Suida vel E. M.; immo videtur e vetere collectione esse propter ultima verba νῦν δὲ κ. τ. λ. Alibi vox eo sensu nusquam legitur; nostrum locum respicit Hes. II p. 205.

Sch. II, 16: χέλυς] ἡ κιθάρα. Suid. χέλυς· ἡ κιθάρα. Cf. E. M. p. 808, 18.

Sch. II, 20: αἴλινα] ἤτοι θρηνητικά. Suid. αἴλινος· ὀδυρτική. θρηνητική.

Sch. III, 114: κατάιξ δὲ ἡ λεγομένη καταιγίς. Suid. κατάιξ· καταιγίς κ. τ. λ. Suidas poetam non respicit.

Sch. IV, 23: ἐρυμναί] ἠσφαλισμέναι. Suid. ἐρυμνά· τὰ ἠσφαλισμένα χωρία κ. τ. λ. Adiectivum ἐρυμνός legitur iam in Hesiodi fr. 65. R.

Sch. V, 33: ἴλα] ἡ τῶν νυμφῶν φρατρία καὶ ἄθροισις. Suid. ἴλη· σύστημα. κ. τ. λ. κυρίως δὲ φρατρία κ. τ. λ. Cf. sch. Soph. Ai. 1407 ἴλη· σύστημα. κυρίως ἡ φρατρία.

Quibus e scholiis, ut vides, minime concludi potest, Suidam esse adhibitum. Immo videntur scholia redire ad veterem commentarium.

Transeo nunc ad scholia geographica. Sed priusquam de singulis dico, de Schneideri sententia disserendum est, quam protulit ad sch. II, 88, ubi vulgo sic legitur *Κυρῆς*] κρήνη ἐν *Κυρήνῃ*. Putat igitur vir doctus in interpretatione eodem casu opus esse atque in lemmate, ut plerumque factum sit; quod si non fecisset scholiasta, sed nominativum posuisset, nomen proprium repetere eum solitum esse. Quod in multis scholiis sane factum videmus. Sed ex hac re minime concludere Schneidero licebat omnia scholia, ubi non fit, corrigenda esse, a quo conatu

eum multitudo talium scholiorum, quae ipse composuit, deterrere debuit. Forma nonnullorum inde satis explicatur, ut videbimus, quod aliunde exscripta sunt. Itaque Schneideri mutationes nihil curo. Multa autem scholia brevia res geographicas exhibentia congruunt cum epitome Stephani Byzantii.

Sch. I, 4: *Δικταῖον*] *Κρῆτα. Δίκτη γὰρ ὄρος Κρήτης.* Steph. B. *Δίκτη· ὄρος Κρήτης. κ. τ. λ.*

Sch. II, 33: *Λύκτος δέ ἐστι πόλις Κρήτης.* St. B: *Λύκτος, πόλις Κρήτης κ. τ. λ.*

Sch. II, 61: *Κυνθιάδων*] *Κύνθος ὄρος τῆς Δήλου.* St. B: *Κύνθος,* [*ὄρος Δήλου*] *κ. τ. λ.*, ubi Berkelius *ὄρος Δήλου,* quod excidit, iure addidit.

Sch. II, 91: *στὰς ἐπὶ Μυρτούσης*] *Μύρτουσα ὄρος Λιβύης.* St. B.: *Μύρτουσα, ὄρος Λιβύης,* qui mons alibi non commemoratur.

Sch. III, 114 (IV, 63): *Αἵμῳ ἔπι*] *ὄρος Θράκης.* St. B.: *Αἶμος, ὄρος Θράκης κ. τ. λ.*

Sch. III, 187: *Πέργη*] *μητρόπολις Παμφυλίας.* St. B.: *Πέργη, πόλις Παμφυλίας κ. τ. λ.*

Sch. III, 188: *Τηΰγετον*] *ὄρος Λακεδαίμονος.* St. B.: *Ταΰγετον, ὄρος τῆς Λακωνικῆς κ. τ. λ.*

Sch. III, 246: *Σάρδιας*] *πόλις Λυδίας.* St. B.: *Σάρδις, πόλις Λυδίας κ. τ. λ.*

Sch. IV, 20: *καὶ Μάκρις Ἀβαντιάς*] *ἡ τῶν Εὐβοέων.* St. B.: *Μάκρις, ἡ Εὔβοια κ. τ. λ.*

Sch. IV, 46: *Χαλκιδικῆς δ' αὐτῆμαρ*] *Χαλκὶς πόλις Εὐβοίας.* St. B: *Χαλκίς, πόλις Εὐβοίας κ. τ. λ.*

Sch. IV, 71^b: *Φεναιός*] *πόλις Ἀρκαδίας ἀρχαία.* St. B.: *Φενεός, πόλις Ἀρκαδίας κ. τ. λ.* Callimachi verba, *φεῦγεν δ' ὁ γέρων μετόπισθε Φενειός,* de fluviolo aliquo intellegi debent. Lacum certe eius nominis memorat Ovidius met. XV, 332.

Sch. IV, 104: *Λαρίσα*] *πόλις Θεσσαλίας.* St. B.: *Λάρισαι πόλεις ί Θεσσαλίας, κ. τ. λ.*

Sch. IV, 291: *Ἀριμασπῶν*] *ἔθνος τῶν Ὑπερβορέων.* St. B.: *Ἀριμασποί, ἔθνος Ὑπερβορέων κ. τ. λ.*

Sch. V, 60: *Θέσπεια, Κορώνεια, Ἁλίαρτος πόλεις Βοιωτίας.* Schneiderus putat credibile non esse scholiastam *Θέσπεια* scrip-

sisse, cum apud poetam legatur *Θεσπιέων* a *Θεσπιαί*. Quare edidit *Θεσπιαί*. Sed cf. St. B.: *Θέσπεια, πόλις Βοιωτίας· κ. τ. λ.* id. *Κορώνεια, πόλις Βοιωτίας· κ. τ. λ.* id. *Ἁλίαρτος, πόλις Βοιωτίας, κ. τ. λ.*

Sch. VI, 75: *ἦνθον Ἰτωνιάδος*] *Ἰτὼν πόλις Θεσσαλίας, ἔνθα τιμᾶται Ἀθηνᾶ.* St. B.: *Ἴτων, πόλις Θεσσαλίας κ. τ. λ. — ἀπὸ Ἰτώνου ἥρωος, ἀφ' οὗ καὶ Ἰτωνία ἡ Ἀθηνᾶ.* Sermonem de Minerva esse etiam e poeta satis elucebat.

Sch. VI, 77: *ἐπὶ Κρανῶνα*] *Κρανὼν πόλις Θεσσαλίας.* St. B.: *Κραννών, πόλις τῆς Θεσσαλίας κ. τ. λ.*

Adde sch. II, 48: *ἐξότ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ*] *Ἀμφρυσσὸν οἱ μὲν ποταμὸν Θεσσαλίας, οἱ δὲ πόλιν.* Poeta de fluvio loquitur; cf. St. B.: *Ἄμφρυσος, πόλις Φωκίδος — ἔστι καὶ ποταμὸς τῆς Μαγνησίας κ. τ. λ.*

Sch. III, 15: *Ἀμνισίδας*] *Ἀμνισὸς ποταμὸς Κρήτης, ἀφ' οὗ Κρητικάς.* Schneiderus inseruit post *ἀφ' οὗ* verba *Ἀμνισίδας τάς*, quo opus non est, cf. sch. III, 81: *Κυδώνιον*] *ἔθνος Κρήτης, ἀφ' οὗ Κρητικόν.* St. B.: *Ἀμνισός, ποταμὸς Κρήτης. αἱ τούτου νύμφαι Ἀμνισιάδες καὶ Ἀμνισίδες.* In Stephani libris legitur *πόλις*, sed e sequentibus apparet *ποταμός* restituendum esse; ipsa adnotatio poetam respicit, quippe qui utrumque adiectivum usurpaverit l. l. et h. III, 162.

Sch. III, 159: *Φρυγίῃ*] *Φρυγία ὄρος Τραχῖνος, ἔνθα ἐκάη ὁ Ἡρακλῆς.* St. B.: *Φρυγία, — ἔστι καὶ Φρυγία τόπος τῆς Οἴτης ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεφρύχθαι τὸν Ἡρακλέα.* Herculem in summo Oetae cacumine combustum esse, multi narrant. Phrygiae autem nomen praeter Eust. ad Dion. Per. 809 alibi non legi; *Πυρά* dicitur Theoph. IX, 10,2. Liv. XXXI, 30.

Magis quam in hoc scholio consensus cum Stephano perspicitur sch. III, 254: *Βόσποροι δὲ εἰσὶ δύο, ὅ τε Βυζαντίου καὶ ὁ Κιμμέριος*, quae adnotatio ad poetam nihil valet, cf. St. B.: *Βόσπορος —, δύο δέ εἰσι τόποι Βόσποροι καλούμενοι, εἷς μὲν ὁ Κιμμέριος καλούμενος κ. τ. λ. —, ἕτερος δὲ ἐν Βυζαντίῳ, κ. τ. λ.* Similia leguntur apud Suid. Hes. I p. 386.

Haec scholia mihi persuaserunt in commentariolo nostro lexicon aliquod exile, ex epitome Stephani Byzantii excerptum, adhibitum esse. Nam nonnulla Callimacho apta non sunt,

maxime scholion, quod ultimo loco tractavi. Alia autem scholia eiusdem generis in epitome nostra Stephani non leguntur.

Sch. I, 4: *Λυκαῖον] Ἀρκάδα. Λύκαιον Ἀρκαδίας ὄρος.*

Sch. I, 6: *Ἰδαίοισιν] Ἴδη ὄρος Κρήτης καὶ Τροίας· νῦν δὲ τὸ Κρήτης φησίν.*

Sch. I, 17: *Ἐρύμανθος δὲ ποταμὸς Ἀρκαδίας.*

Sch. I, 45: *Κύδωνες] ἔθνος τῆς Κρήτης.*

Sch. III, 101: *Ἀναύρου] ποταμὸς Θεσσαλίας ὁ Ἄναυρος.* Thessaliae ille fluvius hic locum non habet, cum sermo sit de Arcadia. Recentiores editores adiectivum *ἄναυρος* intellegunt, cum Anaurus fluvius Arcadiae ignotus sit. Sed mea quidem sententia propter adiectivum *μελαμψήφιδος* substantivo opus est. Nam quod poeta solus fluviolum commemorat, non obstat, quippe qui h. I, 23 *Μέλανα* fluvium Arcadiae, h. IV, 76 Strophien Thebarum fontem, h. V, 40 Crion montem Argolidis solus commemoret. Neque ulla causa est, cur cum Schneidero putemus nostro loco eundem fluvium intellegendum esse, qui infra v. 107 *Κελάδων* dicitur.

Sch. III, 246b: *Βερεκύνθιον] μεταξὺ Λυδίας καὶ Φρυγίας.* Quod alibi non inveni.

Sch. IV, 7: *Πίμπλειαν] ὄρος Θράκης ἱερὸν Μουσῶν.*

Sch. III, 44: *Χαῖρε δὲ Καίρατος] ποταμὸς Κρήτης καὶ πόλις ἡ Καίρατος οὕτω λεγομένη.* Cnossum olim Caeratum appellatam esse tradunt Strabo p. 476. Eust. Dion. Per. 498. In Callimacho tractando causa non erat, cur urbs commemoraretur. Quae urbs Caeratus nominata sit, scholiasta non dicit

Adde sch. III, 107. 117; IV, 77. 82. 134. 139. 199; V, 24; VI, 13.

Quae cum ita sint verisimile est lexicon geographicum, in scholiis adhibitum, non solum ex ea, quam nos habemus, Stephani epitome fluxisse, sed praeter explicationes, ex epitome sumptas, etiam alias adnotatiunculas, ex hoc vel illo fonte triviali haustas, exhibuisse. Iam quaeritur, num is quem supra compositorem dixi, etiam haec scholia apposuerit. Quod mihi probabile videtur propter duo scholia, ubi Hesychius, quem adhibuit, et Stephanus coniuncti sunt. Ecce scholia:

Sch. I, 10: *Παρρασίῃ] ὄρος Ἀρκαδίας τὸ Παρράσιον, ἀπὸ Παρράσου τοῦ Λυκάονος.* Apud poetam et in lemmate legi-

tur *Παρρασίῃ* dictum de tota Arcadia; sed cf. Hes. III p. 288 *Παρράσιον· ὄρος Ἀρκαδίας* et St. B. *Παρρασία, — κέκληται ἀπὸ Παρρασοῦ ἑνὸς τοῦ Λυκάονος παίδων.* Originem a Parrhaso, Lycaonis filio ductam, alibi non legi.

Sch. III, 173: *Ἁλὰς Ἀραφηνίδας] δύο Ἁλαὶ δῆμοι τῆς Ἀττικῆς, Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες καὶ Ἁλαὶ Αἰξωνίδες.* Cf. Hes. I p. 112 *Ἁλαί· δύο δῆμοι τῆς Ἀττικῆς* et St. B. *Ἁλαὶ Ἀραφηνίδες καὶ Ἁλαὶ Αἰξωνίδες, δῆμοι κ. τ. λ.*

Itaque compositor etiam scholia haec geographica addidisse videtur. Sed etiam in vetere collectione adnotationes geographicae vix defuerunt. Cui videntur haec scholia attribui posse:

Sch. III, 178^{b}: *Τυμφαιίδες] Ἠπειρωτικαί. Τύμφαι γὰρ χωρίον τῆς Ἠπείρου. λέγεται δὲ καλὰς βοῦς ἔχειν τὴν Ἤπειρον.* Pro forma *Τύμφαι* recte Meinekius emendavit *Τυμφαία.* Adnotatio de bubus ad poetam pertinet et vera est: cf. Pind. N. IV, 52. Varro d. r. r. praef. II, 6.

Sch. III, 228: *Χησιάς] Χήσιον ἀκρωτήριον τῆς Σάμου καὶ Ἴμβρασος ποταμὸς Σάμου.* Chesium promunturium insulae alibi non commemoratur. Apollodorus (St. B. s. v.) quidem putavit oppidulum esse Ioniae i. e., ut videtur, Ionicae regionis in universum, Orus locum esse, non urbem. Itaque res ambigua fuit. Samo, quidquid fuit Chesion, tribuendum est. Nam Apollonius Rhodius narravit in libro de Naucrati condita Chesiadem peperisse Imbraso Sami fluvio Ocyrrhoen nympham (Athen. VII p. 283^{e}) et ad locum Nicandri, ubi de nymphis Chesiadibus loquitur Alex. 151, scholiasta adnotat primos Samum incoluisse Chesieos.

Sch. IV, 92: *ἀπὸ Πλειστοῖο] Πλειστὸς ποταμὸς Φωκίδος παρὰ τὸν Παρνασὸν ῥέων, ὅ ἐστιν ὄρος Φωκίδος,* quod scholion paullo uberius est quam supra allata.

Sch. IV, 105^{b}: *Τεμπέων] Τέμπη[αἱ στενώταται διεκβολαὶ τῶν Θεσσαλίας ὀρῶν,* quae adnotatio redire videtur ad veterem grammaticum. Cf. Phot. *Τέμπη τὰ μεταξὺ τῶν Θεσσαλίας ὀρῶν —, καθόλου δὲ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὄρεσι στενώταται διεκβολαί* (id. Suid.).

Addo nonnulla scholia geographica, quae singillatim tractanda sunt.

Sch. I, 42: *Θενάς*] *Θεναὶ πόλις καὶ ἄλσος*. Schneiderus addendum esse censuit *τῆς Κρήτης*, quo facto scholion responderet St. B. *Θεναί, πόλις Κρήτης. τινὲς δὲ Ἀρκαδίας, οἱ δὲ ὄρος κ. τ. λ.* Potest sane vox *Κρήτης* excidisse. Sed lucus ille admirationem movet; quem videtur auctor scholii sibi finxisse. An latet in voce Stephani *ὄρος*?

Sch. II, 89: *Ἄζιλιν*] *ὄρος καὶ ποταμὸς Λιβύης*. E poeta apparebat de monte vel regione montana sermonem esse. Fluvium Azilin St. B. commemorat s. *Ἄζιλις*. Itaque videtur scholion e poeta et Stephano coniunctum esse.

Sch. III, 109: *Κερύνειος*] *λόφος Ἀρκαδίας*. Quem collem praeter poetam Pausanias VII, 25, 5 solus commemorat. Sed e poetae verbis satis apparebat de colle Arcadico dici.

Sch. IV, 156: *Κέρκυρα*] *ἡ Φαιακία*. Corcyra insula saepius Phaeacia appellatur in lexicis, cf. St. B. s. *Σχερία*. Suid. II p. 223 B. E. M. p. 287, 32.

E poeta fluxerunt haec:

Sch. I, 26: *Κρᾶθιν*] *Κρᾶθις ποταμὸς Ἀρκαδίας*. — *Μετώπην*] *ποταμὸν Ἀρκαδίας*. Crathis enim alibi semper Achaiae addicitur, Metopen praeter poetam solus commemorat Aelianus v. h. II, 33.

Sch. IV, 76: *Δίρκη τε Στροφίη τε*] *κρῆναι ἐν Θήβαις ταῖς Βοιωτίαις*. Fontem Strophiam solus commemorat poeta.

Sch. V, 40: *Κρεῖον δ' εἰς ὄρος*] *ὄρος Ἄργους*. Alibi huius montis mentio non fit.

Nonnulla sine dubio ficta sunt atque falsa enarrant.

Sch. I, 39: *Καυκώνων*] *ὄρος Ἀρκάδων ὁ Καύκων*. Cauconum quidem gens, in ora Triphyliae habitans, nota est, et fluvium eius nominis prope Dymen commemorant Strab. VIII p. 342 et St. B. s. *Δύμη*, sed mons nullus est.

Sch. III, 171: *Πιτάνη δὲ πόλις Μακεδονίας*. Pitane phyle Laconica est. Itaque iure emendaverunt viri docti *Λακεδαιμονίας*. Nam hic videtur de corruptela cogitandum esse.

Sch. III, 172: *ἢ ἐνὶ Λίμναις*] *Λίμναι δῆμος Ἀττικῆς, ἔνθα τιμᾶται ἡ Ἄρτεμις*. Dianam Limnis, in demo Attico, cultam esse falsum est. Videtur interpres hunc demum cum multis

aliis locis eiusdem nominis, ubi dea re vera colebatur, confudisse. Cf. Strab. VIII p. 362. Paus. III, 2, 6. 16, 7.

Sch. III: *Ἀξήνια*] *ὄρος Ἀρκαδίας*. Azania regio Arcadiae est, cf. St. B. s. v., unde poeta adiectivum omnino pro Arcadicus usurpavit, sed auctor scholii e verbis poetae montem finxit.

Sch. III, 258: *Μουνυχίη*] *Μουνύχιον γάρ ἐστι μέρος του Πειραιῶς τοῦ λιμένος τῶν Ἀθηνῶν*. Munychiam partem Piraei esse neglegenter dictum est. Forma *Μουνύχιον* serioris aetatis est, quae occurrit etiam in sch. Dem. p. 299, 4 D.

Sch. IV, 19: *Κύρνος ὀπηδεῖ*] *ἡ νῦν Τύρος καλουμένη*. Meinekius putat hominem deceptum esse epitheto *Φοίνισσα*, ut Tyrus scriberet. Schneiderus edidit *Κορσίς*. Eadem insula dicitur sch. III, 58 ex adverso Siciliae sita esse.

Sch. IV, 26: *Στρυμονίου Βορέαο*] *Στρυμὼν ποταμός ἐστι καὶ πόλις Θρᾴκης*. Schneiderus ut urbem Strymonem, quae nulla est, tolleret, putavit legendum esse *Στρ. π. ἐστ. Ἀμφιπόλεως Θρᾴκης*, non inscite si comparas St. B.: *Στρυμὼν ποταμὸς Ἀμφιπόλεως*, ad quem provocat vir doctus. Sed potest interpres neglegenter rem expressisse. Quod idem valet de sch. IV, 67.

Sch. IV, 67^b: *Μίμαντι*] *ὄρος Χίου*. Mons hic situs erat in ora Ioniae ex adverso Chii. Itaque Schneiderus maluit *ἐναντίον Χίου*.

Sch. IV, 271: *Λεχαίῳ*] *Λέχαιον καὶ Κερχνὶς* (v. 271) *ἀκρωτήρια, ἔνθα ὁ Ποσειδῶν τιμᾶται*. Satis nota sunt Corinthi navalia. Itaque Schneiderus lacunam statuens coniecit *Λ. κ. Κ. ἐστιν ἐπίνεια Κορίνθου καί τινα αὐτῆς ἀκρωτήρια*, ubi *ἀκρωτήρια* intellegit de extremis partibus Corinthi. Sed fortasse etiam hoc loco neglegentia statui potest.

Sch. IV, 287: *Μηλίδος*] *Μηλὶς πόλις Τραχῖνος*. Quam urbem regionis Trachiniae frustra quaeres. Ernestius provocavit ad Thuc. III, 42, quo loco urbs quidem obscura non defenditur, sed origo neglegentiae apparet.

Sch. VI, 16: *Καλλίχορον*] *Καλλίχορον φρέαρ ἐκαλεῖτο ἐν Ἐλευσῖνι. ἔστι δὲ καὶ δῆμος Ἀττικῆς*. Talis demus numquam exstitit.

Sch. VI, 31: *ὅσσον Ἐλευσῖνι*] *Ἐλευσὶν καὶ Ἔννα δῆμοι Ἀττικοί.* Error apertus. Schneiderus autem edidit *Ἐλευσὶν ἢ Ἐλευσὶς δῆμος Ἀττικῆς.*

Quae omnia fere scholia, ut adnotavi, imprimis Schneiderus lacunis vel aliis corruptelis deformata esse censuit, non recte ut mihi videtur. Nam plures errores sunt, quam ut putare par sit eos omnes scribarum culpa esse ortos. Num omnia haec scholia compositori tribuere licet? Quod in iis scholiis, ubi adnotavi neglegentiam statui posse fieri potest; reliqua eidem tribuere non audeo, cum nimis temere ficta sint. Itaque videntur mihi postea a librario aliquo indocto addita esse.

Medio aevo Meinekius duo scholia attribuit. Quorum prius exstat ad III, 52: *πρηόσιν Ὀσσείησιν*] *Ὄσσα ὄρος Μακεδονίας,* quod explicandum esse putavit ex usu medii aevi, quo Thessalia nomine Macedoniae nuncupata sit. Potest etiam appellatio illa neglegentiae originem debere. In sch. IV, 137 recte dicitur Ossa mons Thessaliae. Alterum scholion III, 188 sic legitur in libris: *Εὔριπος ὁ μεταξὺ Εὐβοίας καὶ Βοιωτίας ῥοῦς . καλεῖται δ' οὕτως ἡ Εὔβοια διὰ τὸ ἐπὶ μῆκος αὐτὴν κεῖσθαι . λέγεται δὲ καὶ Μάκρις.* Explicatio *διὰ τὸ ἐπὶ μῆκος κ.* pertinet ad insulae nomen *Μάκρις,* quod sub fine demum additur, ubi non video, quo iure Schneiderus ediderit *διὰ τὸ ἐπιμήκη* propter Eust. ad. Dionys. P. p. 202, 32 B. Sed gravius est aliud. Meinekius et Schneiderus punctum posuerunt post *ἡ Εὔβοια*; tum ille pergit *λέγεται δὲ καὶ Μάκρις διὰ τὸ κ. τ. λ.,* hic *διὰ δὲ τὸ κ. τ. λ. λέγεται καὶ Μάκρις.* Quod si verum est, habemus fortasse vestigium medii aevi, adnotationem dico, qua Euboea Euripus vocata esse dicitur, quo de usu egit Meinekius ad Steph. B. p. 708, ubi exempla huius appellationis congessit. At virorum doctorum mutationes certas non appellaverim. Restat enim quaestio, quid omnino interpretatio illa nominis *Μάκρις* hic sibi velit. Neque enim in loco poetae interpretando ulla causa erat, cur afferretur. Sed apte conveniret h. IV, 20. Itaque nescio an verba *καλεῖται — κεῖσθαι,* quae arcte inter se cohaerent, pertineant ad h. IV, 20 et falso ad h. III, 188 delata sint, quo facto facile aliquis verba *λέγεται δὲ καὶ Μάκρις* addere potuit, cum vox *Μάκρις* desideraretur.

Nonnulla scholia res etymologicas exhibent et fere iisdem verbis in Etymologico Magno leguntur.

Sch. I, 3: *Πηλογόνων*] *τῶν γιγάντων, παρὰ τὸ ἐκ πηλοῦ γενέσθαι, τουτέστι τῆς γῆς.* E. M. p. 669, 51: *Πηλαγόνες: οἱ γίγαντες. Καλλίμαχος „Πηλαγόνων ἐλατῆρα“. εἴρηνται παρὰ τὸ ἐκ πηλοῦ γεγενῆσθαι, τουτέστι ἐκ γῆς.* Quocum conferas Hesychii glossam unice veram III p. 331: *Πηλαγόνες· γέροντες, παλαιοί, γηγενεῖς.*

Sch. I, 84: *ῥυηφενίην*] *πλοῦτον. σύγκειται δὲ ἡ λέξις παρὰ τὸ ῥύδην καὶ ἄφενος, τουτέστι τὴν τοῦ πλούτου ῥύσιν.* E. M. p. 706, 9: *ῥυηφενία: σημαίνει δὲ ἡ λέξις τὸν πλοῦτον· καὶ „ῥυηφενέων ἀνδρῶν“, τῶν πλουσίων· παρὰ τὸ ῥυῆναι τὸν ἄφενον. σύγκειται δὲ ἡ λέξις παρὰ τὸ ῥύδην καὶ ἄφενος, τουτέστι τὴν τοῦ πλούτου ῥύσιν.* Articulus aperte Callimachum respicit, cum vox tractata alibi non occurrat et poetae locus laudetur apud Millerum Mélanges de litt. grecque p. 262. *Ῥυηφενέων ἀνδρῶν* legitur apud Dion. Per. 337, ubi exstat in scholio *ἀπὸ τοῦ ῥύδην ἔχειν τὸν πλοῦτον.* Quomodo vox cum adverbio *ῥύδην* cohaereat, non perspicio, cum verbo *ῥυῆναι* sane cohaerere videtur. In E. Gud. p. 484, 10 ab ipso verbo derivatur.

Sch. III, 49: *μύδρον*] *σίδηρον πεπυρακτωμένον, παρὰ τὸ μύρεσθαι καὶ διαρρεῖν.* E. M. p. 593, 32: *μύδρος: ὁ πεπυρακτωμένος σίδηρος. εἴρηται παρὰ τὸ μύρεσθαι καὶ διαρρεῖν. λέγεται δὲ καὶ ὁ χρυσὸς παρὰ Λυκόφρονι „Πακτώλιον σταθμοῖσι τηλαυγῆ μύδρον“.* Apud Millerum p. 218 additur locus Callimachi. Versus Lycophronis est 272, ubi scholion exhibet *μύδρος δὲ κυρίως πεπυρακτωμένος σίδηρος παρὰ τὸ μύρεσθαι.* Idem atque in E. M. legitur E. Gud. p. 348, 56.

Sch. III, 204: *Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι*] *Οὖπις ἐπίθετον Ἀρτέμιδος· ἢ παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰς τικτούσας αὐτήν, η παρὰ τὴν θρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν, ἢ παρὰ τὰς Ὑπερβορέους κόρας Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ, ἃς ἐτίμησεν Ἀπόλλων καὶ Ἄρτεμις. καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Ἄρτεμις, Λοξίας δὲ καὶ Ἑκάεργος ἐκ τῶν λοιπῶν Ἀπόλλων.* E. M. p. 641, 54: *Οὖπις: ἐπίθετον Ἀρτέμιδος· ἢ παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰς τικτούσας αὐτήν· ἢ παρὰ τὴν θρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν· ἢ διὰ τὰς ὑπερβορέας κόρας Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ, ἃς ἐτίμησεν Ἀπόλλων*

καὶ Ἄρτεμις. καὶ ἀπὸ μὲν τῆς Οὔπιδος ἡ Ἄρτεμις Οὖπις, Λοξίας δὲ καὶ Ἑκάεργος ἀπὸ τῶν ἄλλων [*ὁ Ἀπόλλων*]. Differentia inter has explicationes fere nulla est. Imprimis nota illud *ἃς ἐτίμησεν Ἀπ. καὶ Ἄρτ.* Callimachum respici manifestum est, quod maxime docet Loxo virgo Hyperborea, quam grammaticus sibi finxit ipso poeta praeeunte.

Sch. III, 215: *ποδορρώην*] *τὴν τοῖς ποσὶν ὀρούουσαν καὶ ὁρμῶσαν.* E. M. p. 678, 29: *ποδορρώρη : ἐπώνυμον Ἀταλάντης· παρὰ τὸ ποῦς καὶ τὸ ὀρούειν· οἷον, ἡ τοῖς ποσὶν ὁρμῶσα.* Poetae locus additur apud Millerum p. 249. Vox ipsa alibi non occurrit, quam iure Schmidtius composuisse videtur III p. 439 cum Hesychii *ῥωρὸς σφοδρός*. Forma *ποδορρώη*, quae legitur in scholii lemmate et in libris recentioribus poetae, illi *ὀρούειν* magis conveniret.

Sch. IV, 102: *Βοῦρά τε Δεξαμενοῖο*] *Βοῦρα πόλις Ἀχαίας· ᾤκησε δὲ αὐτὴν Δεξαμενὸς ὁ Κένταυρος· ἐκεῖ δὲ αὐτοῦ τὰ βουστάσια ἐφυλάττετο, διὸ καὶ Βοῦρα ὠνομάσθη.* E. M. p. 209, 42: *Βοῦρα: πόλις τῆς Ἀχαίας· ἣν ᾤκησεν Δεξάμενος* (vulgo *ᾤκισεν Ἑξάδιος*) *ὁ κένταυρος· καὶ ἐκεῖ αὐτοῦ τὰ βουστάσια ἐφυλάττετο. διὸ καὶ Βοῦρα ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ βοῦς ὤρεῖν, ὅ ἐστι φυλάττειν. „Βοῦρά τε Δεξαμένοιο βοόστασις Οἰκιάδαο.“* Commune vitium est *βουστάσια ἐφυλάττετο*, quasi de boum stabulis cogitari possit. Quare Meinekius in scholio maluit *βουβόσια*, Schneiderus *βουκόλια* edidit, nullo iure. Nam *βουστάσια* fluxit e poetae *βοόστασις*. In scholii fine etymologia vocis *ἀπὸ τοῦ βοῦς ὤρεῖν* excidit, alias illud *ἐφυλάττετο* perspici non posset. In E. M. pro *Ἑξάδιος Δεξάμενος* restituendum esse locus docet poetae qui postea affertur atque in cod. D. (i. e. Bodl.) et Taurin. exstat. Quid centaurus Dexamenus sibi velit, obscurum est. Poeta enim innuere videtur Dexamenum, qui alibi rex Oleni dicitur: cf. Schneid. ad l. Centaurum igitur auctor adnotationis sibi finxisse videtur.

Nemo, ut puto, negabit scholia et Etymologici articulos easdem esse adnotationes. Iam quaestio est, quid de hac re iudicandum sit. Quem ad consensum explicandum tres rationes per se admitti possunt: aut etymologus e scholiasta hausit aut scholiasta ex etymologo aut uterque ad eundem fontem redit. Prima ratio ideo veresimilis non est, quod in scholio I, 84 locus

Dionysii, in sch. III, 49 Lycophronis cum Callimacheo coniunctus est, et quod in E. M. similes articuli exstant Callimachum respicientes, qui in commentario non inveniuntur. Alteri obstant pauca scholia eiusdem generis, quae in E. M. non leguntur, quae statim addere placet.

Sch. I, 22: *σαρωνίδας*] *δρῦς· παρὰ τὸ σεσηρότα καὶ συνεστραμμένον τὸν φλοιὸν ἔχειν.* In E. Gud. nihil legitur nisi *σαρωνὶς ἡ δρῦς, διὰ τὸ σεσηρέναι κ. τ. λ.*

Sch. I, 62: *νενίηλος δὲ ὁ ματαιόφρων καὶ ἐστερημένος τοῦ αἰόλλειν καὶ κινεῖν τὸν νοῦν.* Perversa etymologia sic est intellegenda: *νε* vi negativa positum, *ν πλεονάζει, αἰόλλειν.* Poetam respicit Hes. III p. 148: *νενίηλος· τυφλός. απόπληκτος. ἀνόητος.*

Sch. II, 33: *τό τ' ἄεμμα*] *ἡ νευρά· παρὰ τὸ ἑκατέρωθεν δεδέσθαι.* Vox, apud poetam solum obvia, significat arcum, non nervum. Interpres eam sine dubio composuit cum *ἅμμα* a verbo *ἅπτειν.*

Sch. III, 46: *νῆσος δέ ἐστιν ἡ Λίπαρα πλησίον Σικελίας. ἔνθα ἦν τὰ χαλκεῖα Ἡφαίστου. ἔστι δὲ μία τῶν Αἰολίδων. λέγεται δέ, ὅτι σίδηρα διάφορα θέντες ἐν αὐτῇ ναῦται ἕωθεν εὑρήκασιν ἐκ τῆς ἀναδόσεως τοῦ πυρὸς πεπανθέντα* (*ἀναλιπανθέντα* E). *καὶ διὰ τοῦτο ἐκλήθη ἡ νῆσος Λιπάρα διὰ τὸ αὐτὰ διάφορα ὄντα ἓν γενέσθαι.* Habemus aperte etymologiam vocis „Lipara". In lectione vulgata non omnia clara sunt. Nam etymon, ad vocem ipsam pertinens, frustra quaeritur. Itaque Schneiderus inseruit *τὰ χαλκεῖα Ἡφαίστου* post *ἐκλήθη ἡ. ν. Λίπαρα,* quod parum probabile est, cum initio dictum sit *ἔνθα ἦν τ. χ. Ἡφ.* et cum etymologiam exspectemus e verborum ordine. Itaque videtur verum coniecisse Hemsterhusius scribens pro *πεπανθέντα „λιπανθέντα",* quae lectio firmatur scriptura codicis E. Vox quidem *λιπαίνειν* hoc sensu liquefaciendi nusquam occurrit, sed ubique pinguefaciendi. At quid grammatici in etymologiis non finxerunt? Sub fine Schneiderus addidit *πεπανθέντα,* cuius rei causam non video.

Quae scholia cum non legantur in Etymologico Magno, probabile non est scholia illa fluxisse ex Etymologo. Restat tertia ratio communem fontem adhibitum esse, quae sententiae valde

verisimilis mihi videtur etiam hanc ob causam. In duobus articulis Etymologici Magni ex eodem genere, qui poetam respiciunt, subscriptum legimus *οὕτως Μεθόδιος*. Sic E. M. p. 8, 32: *Ἀγεσίλαος: ἐπώνυμον Ἅιδου. Καλλίμαχος κ. τ. λ. οὕτως Μεθόδιος.*

E. M. p. 55, 12: *ἄκυθος: λέγεται ἡ ἄγονος. Καλλίμαχος κ. τ. λ. ἢ παρὰ τὸ μὴ ἔχειν σπέρμα. κύθος γὰρ τὸ σπέρμα. κύθεται γὰρ καὶ κρύπτεται ἥ τε γονὴ καὶ τό κύημα ἐν τῇ μήτρᾳ. οὕτως Μεθόδιος.* Cuius articuli frustulum saltem restitit in nostri commentarii sch. II, 53: *ἄκυθοι] ἄγονοι. κύθος γὰρ τὸ κύημα,* ubi nullo iure edidit Schneiderus *κύτος,* ut docet E. M.

Adde etiam sch. III, 45: *ἀμορβούς] ἀκολούθους. παρὰ τὸ ἅμα πορεύεσθαι,* quod neglegenter dictum est, cum vox cum *πορεύεσθαι* non cohaereat; cf. E. M. p. 85, 20: *ἀμορβὴς καὶ ἀμορβές: σημαίνει καὶ τὸν ἀκόλουθα, ὁ ἅμα τινὶ ὁρμῶν, τροπῇ τοῦ μ εἰς β, ἀμορβὸς καὶ ἀμορβής. Μεθόδιος.* Quae cum ita sint valde probabile, ne dicam certum mihi videtur Methodium communem fontem scholiorum et Etymologici fuisse. Quis fuerit hic Methodius, et quo tempore lexicon eius compositum sit, prorsus ignotum est. Quo iure M. Schmidtius eum (quaest. Hes. p. 58) medicorum *γραμματικώτατον* nominet, nescio. Sed de lexici huius conditione accuratius hic agi nequit; cf. imprimis Boysen: de Harpocr. lex. font. diss. Kil. 1876 p. 42 et Kopp: rh. mus. XXXX p. 374 = Beiträge zur griech. Excerptenlitt. 1887 p. 104 sq. Qua de re quaestio adhuc nondum ad exitum perducta est. Is igitur Methodius facile, ut videtur, ad Callimachum adhiberi potuit, praesertim cum eius glossis interpretandis maxime operam dedisse videatur. Si sententia nostra vera est, eidem lexico Methodii haec scholia debentur:

Sch. I, 25: *κινώπετα] τὰ θηρία, οἱονεὶ κινώπεδα, παρὰ τὸ ἐν τῷ ἐδάφῳ κινεῖσθαι.* Schneiderus addidit *πέδῳ* ante *τῷ ἐδάφει.* Sed similem neglegentiam iam vidimus supra in scholio III, 45. E. M. p. 513, 58: *κινώπετα: τὰ ἑρπετά, τὰ θηρία, τὰ οἱονεὶ κινούμενα ἐν τῷ πέδῳ, ὅ ἐστι τῇ γῇ, κινώπεδα τινὰ ὄντα.* Eadem etymologia legitur in sch. Nic. Ther. 27. Suid. Apud Millerum laudatur p. 187 Dionysii v. 544.

Sch. II, 49: *ἠϊθέου] ἀγάμου, ἄπαιδος.* Explicatio per *ἄπαιδος* mira est, quam ob rem Meinekius maluit *ἀγάμου παι-*

δός. Sed cf. E. M. p. 422,40: *ἠίθεος: — τὸν ἄπαιδα καὶ ἄγαμον κ. τ. λ.*

Sch. II, 45: *κείνου δὲ Θριαί] μαντικαὶ ψῆφοί εἰσιν αἱ Θριαί. λέγεται δὲ αὐτὰς εὑρῆσθαι ὑπό τινων τριῶν νυμφῶν. διὰ τοῦτο καὶ Θριαὶ ὠνομάσθησαν οἱονεὶ τριαί.* E. M. p. 455,34 *Θριαί: αἱ μαντικαὶ ψῆφοι, οἱονεὶ τρίαι τινὲς οὖσαι· καὶ γὰρ αἱ τρεῖς νύμφαι αἱ θυγατέρες τοῦ Διὸς εὑρηκυῖαι τρεῖς ψήφους μαντικὰς παρέσχον τῇ Ἀθηνᾷ κ. τ. λ.* cf. ibid. 48. E. Gud. p. 266, 6. Orion p. 72, 11. Bekk. A. p. 265, 15. Cum numero ternario nymphas iam composuit auctor hymni Hom. in Merc. 252.

Sch. II, 83: *κρόκον] κρόκος τὸ ἄνθος παρὰ τὸ ἐν κρύει θάλλειν.* Cf. E. M. p. 539, 48: *κρόκος: παρὰ τὸ κίειν καὶ ἀναβλαστάνειν ἐν τῷ κρύει, κρύοκός τις ὤν.* Idem E. Gud. p. 348,28. Zon. p. 1350.

Sch. III, 59: *λέγει δὲ τὰς σφύρας ῥαιστῆρας παρὰ τὸ ῥαίειν καὶ φθείρειν τὰ ὑποπίπτοντα.* E. M. p. 701,15 *ῥαιστήρ: ἡ σφύρα (παρὰ τὸ ῥαίω τὸ φθείρω, ὁ μέλλων ῥαίσω, ῥαιστήρ) ἡ φθείρουσα καὶ συντρίβουσα τὰ ὑποκείμενα.* Vox in sch. Il. A. XVIII, 477 derivatur a *ῥαίζειν*, in E. Gud. p. 489,55 *παρὰ τὸ ῥάσσω*, perversissime apud Orionem p. 139 a *φθείρω φθαίρω κατὰ Δωριέας, καὶ ἀποβολῇ τοῦ φ θαίρω, ὑπερθέσει ῥαίθω ῥαίσω ῥαιστήρ.* Videtur cum *ῥαίειν* re vera cohaerere.

Sch. III, 79: *κόμην ἐπενείματ' ἀλώπηξ] πάθος περὶ τὴν κεφαλὴν γινόμενον, ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ ζῴου· τὸ γὰρ ζῷον τοῦτο (περὶ γὰρ τ. ζ. τ.?) λέγεται ὅτι ἔνθα ἂν οὐρήσῃ, ἄγονος ὁ τόπος τῷ ἔτει ἐκείνῳ γίγνεται.* E. M. p. 74, 51: *ἀλωπεκία: τὸ πάθος τὸ ψιλωτικὸν τῶν τριχῶν καὶ γενείων, ἀπὸ τῆς ἀλώπεκος ἡ μεταφορά. ἡ γὰρ ἀλώπηξ τὸ ζῷον, ἔνθα ἂν οὐρήσῃ, τὸν τόπον ἄκαρπον ποιεῖ κ. τ. λ.* id. E. Gud. p. 40, 6. Alia explicatio est apud medicos, vulpes ei morbo maxime obnoxios esse cf. exempla congesta in Stephani thes. I p. 1610.

Sch. III, 88: *ὁ δὲ κρέα λυγκός] εἶδος θηρίου, οὗ τὸ οὖρον πήγνυται, ὃ καλοῦσι λυγκούριον.* Lyncurion cur commemoraretur, causa non erat in explicando poeta. Itaque puta-

verim scholion fluxisse e lexico etymologico. Ceterum legitur eadem explicatio iam apud Theophr. frg. II, 100. Plin. 8, 38.

Sch. III, 143: *Ἀκακήσιος*] *ἀπὸ ὄρους Ἀρκαδίας, ἢ ο μηδενὸς κακοῦ παραίτιος ὤν.* Cognomen Mercurii *ἀκάκητα* sic explicatur etiam in sch. Il. A. 16, 185. Cf. Cram. An. P. III p. 21 sch. Od. 24, 10. E. M. p. 547, 2. Forma *Ἀκακήσιος* ante Callimachum non occurrit; de cognomine ipso cf. Welckerum Götterl. I p. 335, de monte Bursian. II p. 239.

In scholiis III, 54: *ὑπογλαύσσοντα*] *ὑπολάμποντα, ὅθεν καὶ γλαῦκος.* (cf. E. M. p. 233, 23) et III, 224 *νάεν, ἔσταξεν, ἔβρεξεν, ὅθεν καὶ νᾶμα καὶ νασμός,* additamenta illa *ὅθεν κ. τ. λ.* etymologicum sapere videntur.

Quae omnia scholia ex eodem lexico etymologico fluxisse possunt. Suntne vero addita a compositore? Huic sententiae non video quid obstare possit, etsi certis argumentis probari nequit. Veteri collectioni haec pauca scholia ad derivationem verborum pertinentia assignari possunt:

Sch. II, 48: *ζευγίτιδας δὲ τὰς ὑπὸ ζυγὸν ἀγομένας.* Vox hoc sensu apud Callimachum solum occurrit.

Sch. II, 76: *Ἀσβυστίδα δὲ λευκὴν λέγει παρὰ τὴν ἄσβεστον . τοιαύτη γὰρ ἡ Λιβύη λευκόγειος,* quae interpretatio arcte cum antecedentibus bonae notae cohaeret. Vocem lucem accipere ex Herodoto IV, 170: *Ἀβύσται — τὰ ὑπὲρ Κυρήνης οἰκέουσι,* recte observavit Schneiderus ad l., adde Steph. B. s. *Ἀσβύστα.*

Sch. II, 41: *Κερατώδεος δὲ τῆς κέρατα ἐχούσης ἤτοι ἀκρωρείας.* Nunc legitur rectius *κεραώδεος* (cf. Schneid.); interpres formam, litteram *τ* exhibentem, iam invenit.

Sch. IV, 314: *θεωρίδος ἱερά*] *νῦν τῆς τὰ ἱερὰ φερούσης, κυρίως δὲ θεωρὸς ὁ τὰ τοῦ θεοῦ ὡρῶν, ὅ ἐστι φυλάσσων, ἐκ δὲ τούτου ὁ ἱερεύς.* Cf. Hes. II p. 313: *θεωροί· οἱ θεοπρόποι. καὶ οἱ θεώμενοι, ἢ οἱ φροντίζοντες περὶ τὰ θεῖα.* Cf. praeterea Phot. Suid. E. M. p. 448,43.

Iam satis de his scholiis etymologicis dictum est.

Technicus doctissimus Herodianus laudatur in sch. III, 235[b] *τὸν δ' ἐνὶ Λούσσοις*] *ἡ εὐθεῖα τὰ Λοῦσσα οὐδετέρως, ὡς Ἡρωδιανός,* quae urbs vulgo dicitur Lusi, e. gr. Paus. VIII, 18, 7. Steph. B. s. v. Sed causa non est, cur de fide scholii dubitemus.

Itaque iure posuit Lentzius: Herod. techn. reliqu. I p. 206, 25 in fragmentis catholicae illius grammatici prosodiae. Addiditne etiam hoc scholion compositor? Opponat quispiam eum Herodianum saepius adhibiturum fuisse. Sed hoc non impedit, quominus ei tribuamus. Nam talia singula Herodiani adnotamenta etiam in aliis scholiis insunt: cf. Lentz. praef. I p. 216. Ac potuit compositor scholion addere non ex Herodiano ipso integro, quod sane credibile non est, sed ex excerpto aliquo exili.

Cum viderimus compositorem multa scholia aliunde exscripsisse, quaeri potest, num quaedam addiderit ab ipso excogitata. De paucis scholiis geographicis supra iam dictum est. Praeterea multa scholia tam vulgaria occurrunt, ut etiam grammatico parum docto posteriorum temporum tribui possint. In ea scholia nunc diligentius inquiram. Multa iisdem verbis ac poeta usus est, constructiones verborum explanant, plerumque per *τὸ ἑξῆς* inducta.

Sch. I, 1: *Ζηνὸς ἔοι] πότερον Ζηνὸς σπονδῆσιν ἢ Ζηνὸς τί λώιον ἀείδειν.* Prior structura unice vera, altera perversa est, cui repugnant ea quae sequuntur *ἢ θεὸν αὐτόν.*

Sch. I, 32: *τόθι χρόα] τὸν σὸν χρῶτα, ὦ ἄνα, ἐσπείρωσε φαιδρύνασα.* Cf. v. 32: *τόθι χρόα φαιδρύνασα | ὦνα τεὸν σπείρωσε.*

Sch. III, 1: *Ἄρτεμιν οὐ γὰρ ἐλαφρὸν ἀειδόντεσσι] τὸ ἑξῆς· Ἄρτεμιν ὑμνοῦμεν ἀρχόμενοι.* Cf. v. 1 seq. *Ἄρτεμιν (οὐ γὰρ ἐλαφρὸν — λαθέσθαι) ὑμνέομεν, τῇ — μέλονται καὶ — ἄρχμενοι ὥς ποτε.*

Sch. III, 16: *τὸ δὲ ἑξῆς· αἴτε μοι, ὁπότε δὴ μὴ λύγκας* (*βάλλοιμι* add. Schn.), *ἐνδρομίδας τε καὶ θοοὺς κύνας εὖ κομέοιεν.* Cf. v. 16 *αἴτε μοι ἐνδρομίδας τε καί, ὁππότε μηκέτι λύγκας | μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι, θοοὺς κύνας εὖ κομέοιεν.*

Sch. III, 59: *εὖθ' οἵ γε ῥαιστῆρας] τὸ ἑξῆς· ἐπεὶ μέγα πολύ τ' ἄημα, εὖθ' οἵ γε ῥαιστῆρας.* Mira constructio, sed perspicua, si meminimus in libris omnibus falsam exstare lectionem *ἐπεὶ μέγα,* pro qua *ἐπὶ μέγα* legendum est. Illam cum interpres legeret, constructionem contortam enucleavit, quam perversam esse cognoscere potuit e v. 56 *φυσάων αὐτῶν τε βαρὺν στόνον,* qui accusativi ab *ἄκουσαν* v. 54 pendent;

idem interpres autem coactus est eos referre ad ἔδδεισαν v. 51 in sch. ad. v. 56.

Reliqua scholia ex eodem genere, in quibus nihil memorabile inest, exscribere non necesse puto. Haec sunt: sch. III, 46. 134. 170; V, 97.

Alia scholia περιφράσεις sunt, poetae verba circumloquentia.

Sch. I, 13: ἑρπετόν] οὔτε ἑρπετὸν οὔτε γυνὴ χρῄζουσα τοῦ τεκεῖν ἐπιμίσγεται. ἢ οὕτως· οὐ χρῄζει Εἰλειθυίας τουτέστι γεννήσεως· ὅτι πᾶν ζῶον εἰςιὸν ἐκεῖ μεμολυσμένον ἄγονον ἐγίγνετο καὶ σκιὰν τὸ σῶμα αὐτοῦ οὐκέτι ἐποίει. Altera explicatio in verbis poetae inesse non potest. Ultima verba καὶ σκιὰν κ. τ. λ. etiam cum hac explicatione nihil commune habent. Itaque putavit Meinekius diatr. p. 124 locum respici Pausaniae VIII, 38, 6, ubi idem de luco quodam Iovis Lycaei commemoratur. Quod sane cogitari potest, etsi Pausaniam in scholiis adhibitum esse alio vestigio non indicatur.

Sch. I, 50: ἐξαπιναῖα] τουτέστιν ἐξαίφνης ἐγένετο ἡ Ἴδη πλέα μέλιτος. Interpres intulit in verba poetae, quod non inest. Nam Idam plenam mellis factam esse non dicitur, sed subito mel in Ida ortum esse.

Sch. I, 62: τίς δέ κ' ἐπ' Οὐλύμπῳ τε] τίς δ' ἂν φρόνιμος ἐπὶ Ὀλύμπῳ καὶ ᾅδῃ κληρωθῆναι ἀνάσχοιτο; Cf. v. 62: τίς δέ κ' ἐπ' οὐλύμπῳ τε καὶ ἄιδι κλῆρον ἐρύσσαι, | ὃς μάλα μὴ νενίηλος;

Sch. I, 63: ἐπ' ἰσαίῃ γάρ] κλῆρος ἐπ' ἴσων πραγμάτων χωρεῖ· ὁ οὐρανὸς δὲ καὶ ὁ ᾅδης πλεῖστον διαφέρουσιν. Cf. v. 63: ἐπ' ἰσαίῃ γὰρ ἔοικε | πήλασθαι· τὰ δέ τόσσον ὅσον διὰ πλεῖστον ἔχουσι. Ex ceteris ea eligam, quae memorabilia sunt, reliqua infra appositurus.

Sch. I, 67: πέλας εἴσαο δίφρου] τὸ κράτος πλησίον ἵδρυσας τοῦ δίφρου. Erravit interpres, cum ὅ pronomen relativum esse putaret ad κράτος pertinens, cum sensu vocis διό hoc loco usurpatur: cf. Schneid.

Sch. II, 14: εἰ τελέειν μέλλουσι γάμον] εἰ μέλλουσι καὶ γάμων ἐντὸς γενέσθαι καὶ πολιάσαι. Schneiderus quidem negavit πολιὴν κερεῖσθαι senectutem significare, coniciens πολιήν τε κυρεῖσθαι. Sed iure traditam scripturam defenderunt Meinekius diatr. p. 135 et Bergkius op. II p. 195.

Sch. III, 136: *εἴη μὲν ἐμοὶ φίλος*] *εἴη μοι φίλος, ὅστις ὑπὸ σοῦ προνοεῖται, εἴην δὲ καὶ αὐτός.* Poeta optat, ut in eo numero, quos a Diana augeri antea dixerat, etiam is sit, qui verus sibi sit amicus, et ipse. Cui sensui scholion non respondet. Itaque Meinekio auctor aliud legisse videbatur quam quod nunc legitur, cui opinioni apta esset coniectura Fabri *ὅν κε φιλήσῃς* vel *ὅς κε φίλος σοι.* Sed equidem putaverim interpretem poetam falso esse interpretatum illo *ὅς τις ἀληθής* non intellecto. Nam verba *ὅςτις ὑπὸ σοῦ προνοεῖται* ad antecedentia spectare possunt. Recentiorem adnotationis originem haec eadem verba prodere mihi videntur, cum *προνοεῖσθαι ὑπό τινος* singulariter dictum sit, pro quo Schneiderus edidit *ὅστις σου προνοεῖται,* iniuria ut apparet. Nam hac mutatione sententia prorsus aliena infertur, quasi poeta optet, ut omnes, qui deam colant, sibi amici sint!

Sch. IV, 88: *Θήβη, τίπτε τάλαινα τὸν αὐτίκα*] *τὸ ἑξῆς, ὦ Θήβη, τί αὐτίκα ἐλέγχεις τὸν ἐσόμενόν σοι πότμον;* Particula *αὐτίκα* arcte cohaeret cum *τὸν πότμον* i. e. factum, quod statim fiet, non cum *τί ἐλέγχεις* coniungi debuit.

Sch. IV, 115: *πεποίησαι*] *προςποιῇ τὸ ὀξέως τρέχειν.* Immo *πεποίησαι* non „fingis" est, sed proprie „factus es".

Sch. IV, 246: *μάλα γάρ τε κακῶς*] *καὶ γὰρ κακῶς τῇ Λητοῖ ἐχαρίσατο.* Illud *μάλα* neglectum est in interpretatione. Itaque Schneiderus ex codicis E scriptura *καίτοι περ* edidit *καὶ γάρ τοι περικάκως κ. τ. λ.,* quod mihi non probavit. Nam lectioni corruptae illius codicis tantum non tribuo, ut vocem raram *περίκακος* inferam.

Sch. VI, 5: *μηδ' ἃ κατεχεύατο χαίταν*] *μηδ' ἥτις ἄγαμός ἐστιν.* Quam interpretationem iure defendit Meinekius diatr. p. 217. 218. Nam Schneideri sententii, qua intellegit mulieres cuiuscunque aetatis „quarum comae libere vagarentur", aliena est.

Sch. VI, 6: *μηδ' ὅκ' ἀφ' αὐαλέων*] *μὴ δὲ ὅταν ἐκ τῶν αὐαλέων χειλῶν τοῦ στόματος πτύωμεν ἄπαστοι, τουτέστι μετὰ τὸ δεῖπνον· τότε γὰρ οὐ μεταλαμβάνομεν τῶν σιτίων.* Locus poetae difficilis est. Neque enim clarum est, quid *αὐαλέα στόματα* sibi velint. Interpres sine dubio nugas agit. Matutino quidem tempore ieiuni sumus. Sed cum pompa calathi sub

vespero ducatur, de matutino tempore cogitari nequit. Itaque videtur Schneiderus verba recte intellexisse de iis „quae etiamnum sub vesperum ieiunae sunt“.

Sch. VI, 7: Ἕσπερος] Ἕσπερος μόνος ἐθεάσατο τὸν κάλαθον, ὅστις ἔπεισε τὴν Δήμητρα μεταλαβεῖν σιτίων μετὰ τὸ παύσασθαι ζητοῦσαν τὴν κόρην. Schneiderus assentiente Wilamowitzio iure a sententia scholiastae Hesperum calathum prospicere, recessit, cui obstat particula πηνίκα interrogativa, quae pro ἡνίκα poni nequit, et diversa temporum ratio ἐσκέψατο — νεῖται. Itaque nunc legitur recte ἕσπερος ἐκ νεφέων ἐσκέψατο (πανίκα νεῖται;), ut poeta interroget, nonne calathus prodeat, cum Hesperus iam fulgeat in caelo. In enuntiato relativo interpres poetae πιεῖν expressit per μεταλαβεῖν σιτίων. Certe poeta vix de solo potu cogitavit. Quod sequitur μετὰ τὸ παύσασθαι ζ. τ. κ. poeta non dicit, si verba eius accurate examinas. Sed alienum non erat addere.

Sch. VI, 89: κακὰ δ' ἐξάλλετο] ηὔξάνετο ἐπὶ τῷ ἐσθίειν. Dubitaverunt viri docti de voce ἐξάλλεσθαι, quod verbum si proprio sensu accipimus, intellegendus est Erysichthonis esurientis venter exsiliens i. e. excrescens, cui explicationi scholion convenit. Alii vocem improprie dictam putaverunt pro „immoderate inhiare“, „gestire“. Meinekius coniecturam Blomfieldi ἐξάλδετο recepit. Equidem puto cum Schneidero primam sententiam veram esse. Neque enim in Graeco sermone ἐξάλλομαι vel simile verbum translate usurpatur. De coniectura autem cogitare necesse non est.

Sch. VI, 129: πρυτανήια τὰς ἀτελέστως] τὰς μὲν ἀμυήτους κελεύω μέχρι τοῦ πρυτανείου παραγενέσθαι. αἵτινες δέ εἰσιν ἑξήκοντα ἐνιαυτῶν ἢ καὶ πλειόνων, ταύτας κελεύω κατὰ τὸ δυνατὸν ἀκολουθῆσαι τῷ καλάθῳ. Scholiasta prorsus neglexit v. 130, nempe initiatas iuberi ad deam ipsam sequi, quatenus sexaginta annis minores sint. Cetera recte expressit.

Sch. VI, 133: ταῖσι δὲ Δηώ] ταῖς ἐλθούσαις καὶ ταῖς μὴ ἐλθούσαις ἴσον μισθὸν δώσει. Locus difficillimus est. Interpres verba καὶ ὡς ποτὶ ναὸν ἵκωνται intellexisse videtur „velut si ad templum venerint“, ut Ceres iis, quae ad ipsam venire non potuerint, eandem mercedem det atque iis, quae

venerint. Quae sententia aptissima est. Neque vero perspicitur, quomodo insit in verbis καὶ ὡς κ. τ. λ. Itaque Hermannus proposuit ἅ κεν αἷς κ. τ. λ., nimis violenter; Schneiderus καὶ ὧς κ. τ. λ. i. e. „etiam si eo usque tandem ad templum venissent", quod mihi nimis obscure dictum videtur. Alii viri docti ὡς acceperunt pro coniunctione „ut": nempe dea etiam iis, quae non venerunt, omnia dabit cumulatim et ut ad templum veniant. Quo tamen in conexu particulam aliquam temporalem desideramus, ut Ernestius in versione latina addidit „post". Qua eadem causa commotus Meinekius ποτί mutavit in ποτέ i. e. tandem aliquando, cui coniecturae iure repugnat Schneiderus. Itaque fatendum est locum adhuc egere emendatione.

Adde sch. I, 82; III, 176. 180; IV, 30. 185. 283; VI, 85. 96. 106.

Alia scholia viles exhibent explicationes ad varias res spectantes.

Sch. II, 8: οἱ δὲ νέοι] ὡς τῶν νέων καθιερευομένων τῷ Ἀπόλλωνι. Quod legitur καθιερευομένων aptum non est, cum καθιερεύω sit „opfern", „schlachten". Itaque Meinekius probabiliter coniecit καθιερωμένων, ut putaverit interpres νέους appellari a poeta, quod iuvenes deo essent sacri, qui ipse iuvenis erat. De quo poeta certe non cogitavit. Schneiderus pro νέων edidit ἱερῶν retento καθιερευομένων, quod verisimile non est. Nam poeta de iuvenibus dicit, non sacris, ac lemma scholii νέοι exhibet.

Sch. II, 42: ἀμφιλαφής] πλούσιος . ἔστι γὰρ τοξότης, ἀοιδός, μάντις, ἰατρός, ποιμήν.

Sch. II, 59: καλῇ ἐν Ὀρτυγίῃ περιηγέος] κυκλοτέρης· οὕτω γὰρ στρογγύλη λίμνη ἐν Ὀρτυγίᾳ καλεῖται.

Sch. II, 66: κόραξ ἡγήσατο] ὡς ἀνακείμενος τῷ Ἀπόλλωνι ὁ κόραξ.

Sch. II, 108: Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας] τὸν τῶν Περσῶν λέγει τὸν καλούμενον Εὐφράτην. Quaesivit Spanhemius, cur scholiasta Euphratem appellaverit fluvium Persarum, utrum quod ab aevo Alexandri Severi regnum Persarum usque ad hoc flumen extenderetur, an quod fontem in Perside haberet. Equidem id non anxie quaerendum puto. Videtur homo neglegens in universum Asiam significare voluisse.

Sch. III, 14: ἀμίτρους] ἀζώστους· μὴ διαπεπαρθενευμένας. μίτρας γὰρ ἐζώννυντο, ἃς ἔλυον ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι. ἢ ὅτι οἱ ἄγαμοι γυμνοὶ ἐβάδιζον. Quod scholion in hoc conexu tracto propter ultimam absurdam explicationem. Schneiderus γυμναί edidit, sed potuit auctor etiam mares innuere, non solas feminas. Prima interpretatio vera est, cum vox ἄμιτρος nihil significet nisi puellas cingulum nondum ferentes. Altera in poeta locum non habet, neque omnino vox illa sic explicari debuit.

Sch. III, 36: ξυνῇ] μετὰ τὰς λ', κοινῇ δέ σοι καὶ τῷ Ἀπόλλωνι. Potius cum aliis diis communes, non cum Apolline solo. Cf. v. 34.

Sch. III, 96: καὶ ὕστριχος] ὕστριξ θηρίον τι τραχύτατον. Legebatur ταχύτατον, quod de erinaceo dici non potuit. Quapropter Meinekius iure correxit τραχύτατον.

Sch. III, 171: Ἰνωποῖο] Ἰνωπὸς ποταμὸς Δήλου. Αἰγύπτιος δὲ διὰ τὸν Νεῖλον, ὅτι καὶ αὐτὸς ἐκεῖ πλημμυρεῖ. ἢ ὅτι λέγεται τοῦ ὕδατος τοῦ Νείλου μετέχειν λαθραίως. In priore explicatione illud ἐκεῖ obscurum est. Nam Inopus in Aegypto non abundat. Fortasse imprudenter additum est ab aliquo qui Aegypti mentionem desiderabat propter Αἰγύπτιος. Sublato ἐκεῖ habemus hanc interpretationem, Inopum Aegyptium dici, quod et ipse sicut Nilus abundaret, quam auctor sibi finxit. Alteram explicationem ipse exhibet poeta h. IV 306 sq.

Sch. IV, 18: νῆσοι ἀολλίζονται] οὐχ ὅτι αἱ νῆσοι ἀθροίζονται, ἀλλ' οἱ ἔξαρχοι θεοί. Recte. Pro ἔξαρχοι Schneiderus ἔπαρχοι coniecit, fortasse iure. Nam ἔξαρχοι „praesides", qua significatione opus est, non significat, et facile e v. 18 irrepere potuit.

Sch. IV, 48: νήσοιο διάβροχον] τῆς Σάμου τὸ γόνιμον. Quo videtur auctor poetae μαστόν explicare voluisse, quam tamen vocem hic translate usurpavit de monte vel colle.

Sch. IV, 251: ἑβδομάκις] ἑπταμηνιαῖος γὰρ ἐτέχθη ο Ἀπόλλων. Constat deo septenarium numerum sacrum fuisse, septimoque mensis die natum eum esse Graecos credidisse cf. Welck. Götterl. I p. 476. At deum post septem menses natum esse, errore ortum est.

Sch. IV, 282: οἰκία θινός] θῖνα νῦν τὴν Ὠκεανοῦ ζώνην

λέγει. Videtur indicare voluisse poetam loqui de extrema ora Oceani, ubi Hyperborei habitare dicebantur.

Adde II, 86; III, 21. 95. 127. 154.

Permulta huius generis scholia ad singulas voces pertinent.

Sch. I, 21: ὅτ' ἐλύσατο] ὕστερον μετὰ τὸ τεκεῖν τὴν Ῥέαν. Quod scholion ad αὖτις spectare apparet.

Sch. I, 37: τὸ μέν] τὸ χεῦμα.

Sch. I, 40: Νηρῆι] τῇ θαλάττῃ.

Sch. I, 68: θήκαο δ' οἰωνόν] τὸν ἀετόν. Rectius nunc legitur οἰωνῶν propter μέγ' ὑπείροχον.

Sch. I, 89: οἱ δέ] δηλαδὴ οἱ ἄλλοι βασιλῆες.

Sch. II, 5: ὁ δὲ κύκνος] ὄρνεον ἱερὸν Ἀπόλλωνος.

Cetera huius generis enumerare sufficit: sch. II, 90; III, 149. 224. 239; IV, 21. 67. 86. 91. 96. 109. 112. 125^{b}. 215. 256. 281. 292. 305; V, 24. 57. 81. 109. 120; VI, 11. 45. 80.

Iam scholia illa omnia percensenda sunt. Ex iis, quae constructiones exhibent, pleraque structuras explanant si non inusitatas, certe primo oculorum obtutu non perspicuas. Quare causa non est, cur negemus ea iam fuisse in vetere collectione. Attamen manus compositoris cognosci videtur in sch. I, 1, ubi perversa constructio affertur, et in sch. III, 59, ubi falsa lectio ἐπεὶ μέγα, quae explicatur, tunc cum vetera ὑπομνήματα scribebantur, vix exstabat. Periphrases temporibus satis antiquis esse compositas et in bonis quoque poetarum Graecorum commentariis exstare, nemo est quin sciat. Itaque ex his scholiis multa e vetere collectione profecta esse possunt; quae compositori pro certo tribuam, non habeo, nisi forte in sch. I, 13 adnotationem alienam de animalibus umbram non iacientibus. Nam quod nonnulla poetae verba non recte vel neglegenter exprimunt, causa non est, cur ea illi addicamus. Sed fortasse eius manus cognosci potest in interpretationibus vilibus, imprimis in falsis, ut sch. II, 8; III, 4; IV, 48. 251. 282. Praeterea si molem et ut ita dicam nubem trivialium adnotatiuncularum, quas ultimo loco comprehendi, respicio comparans frustula illa pauca, quae iure veteri commentario tribuere possumus, mihi persuadere non possum illas omnes ex hoc remansisse. Itaque puto haec scholia si non omnia, certe magna ex parte a compositore profecta esse.

Subiungo scholia, quae res mythologicas triviales referunt.

Sch. I, 14: *Ἀπιδανῆες] οἱ ἀρχαῖοι Ἀρκάδες.* Callimachus primus Arcades sic appellavit. Propter scholii *ἀρχαῖοι* Stephanus putavit in poeta legendum esse *ὠγύγιοι*. Sed interpres nihil dicere vult quam veteres Arcades sic appellatos esse, ut lemmate indicatur.

Sch. I, 36: *Φιλύρην τε] μήτηρ Χείρωνος τοῦ Κενταύρου.*

Sch. II, 4: *ἐπένευσεν ὁ Δήλιος] λέγεται δὲ ὅτι παρὰ τῷ δένδρῳ τούτῳ ἐγέννησεν ἡ Λητὼ τὸν Ἀπόλλωνα.*

Sch. III, 161: *Θειοδάμαντι] βασιλεὺς Δρυόπων ὁ Θειοδάμας.*

Adde sch. III, 208. 245. 254; IV, 50. 104. 118. 150; V, 71; VI, 16. 22. 100.

Memorabilia haec sunt:

Sch. I, 33: *Νέδη] ὄνομα νύμφης Ὠκεανίνης θρεψαμένης τὸν Δία.* Nedam, Iovis nutricem, solus auctor scholii nominat Oceaninam nescio quo iure. Fortasse sibi rem finxit. Schneiderus mavult *θρεψάσης* pro *θρεψαμένης*, quo opus non videtur esse: cf. exempla apud Steph. thes. VII p. 2393 infra.

Sch. II, 88: *Δωριέας δὲ τοὺς Ἡρακλείδας λέγει τοὺς ἀπὸ Σπάρτης μετοικήσαντας εἰς Θήραν καὶ ἀπὸ Θήρας εἰς Κυρήνην.* Quid Heraclidae sibi velint, non est perspicuum. Poeta de Doriensibus loquitur.

Sch. III, 209: *καὶ Κεφάλου ξανθήν] ἤγουν τὴν Πρόκριν* (vulgo *Πρόκνην*). *καὶ „καλὴν Ἀντίκλειαν“ ἢ τὴν μητέρα Ὀδυσσέως ἢ ἄλλην τινα.* Conicit igitur de Anticlia, Dianae comite, interpres poetam matrem Ulixis intellexisse aut aliam quandam, neque nos aliud dicere possumus, etsi prius e more Alexandrinorum haud improbabile videtur. Quod laudat Schirmerus in Roscheri lexico s. v.: Od. XI, 172. 178, ut probet Anticliam Ulixis matrem venationis cupidam fuisse, ridiculum est.

Sch. IV, 41: *ἀπὸ Ξάνθοιο πολίχνης] ἀπό τινος Ξάνθου βασιλεύσαντος Τροιζῆνος.* Adnotatio haec de rege aliquo Xantho aperte ficta est. Poetae versus difficillimus sic legitur in libris: *πολλάκις ἐκ Τροιζῆνος ἀπὸ Ξάνθοιο πολίχνης.* Cum duae praepositiones ferri non possint et pronomine *σε* opus sit, Meinekius recte scripsisse videtur *πολλάκι σε.* De Xantho acquiescendum nobis est, si scriptura recte se habet,

poetam innuisse hominem aliquem Troezenium, nobis ignotum. Mira mihi videtur sententia Wilamowitzii, quam protulit in Herm. XIV p. 166, ξάνθοιο adiectivum intellegendum esse dictum de urbe Troezene — nam formam masculinam apud Callimachum ferri posse censet — quia prope urbem fons esse, dicebatur colore quodam inficiens, cl. sch. Eur. Hipp. 123. Sed ut omittam formam masculinam, cum feminino coniunctam, exemplis non probari apud poetam, tota urbs a fonte, cuius color num flavus fuerit nescimus, „flava“ appellari non potuit, quod vix quisquam perspexisset. Alii viri docti ad coniecturas profugerunt (cf. Meinek. diatr. p. 179 et Schneid.), ex quibus Meinekii ζαθέοιο pracplacet.

Sch. V, 34: Ἀκεστοριδᾶν] Ἀκεστορίδαι φυλὴ ἐπίσημος ἐν Ἄργει. Hoc quoque aperte e poeta inventum est. Iure videtur Valckenaerius in versu Callimacheo correxisse Ἀρεστοριδᾶν, cum Arestor vetus rex Argivorum saepius commemoretur ex. gr. Ap. Rh. I, 112; Apd. II, 13; Paus. II, 1, 3.

Sch. V, 42: οὔνομα Παλλάτιδες] οὕτω γὰρ καλοῦνται ἀπὸ τῆς Παλλάδος. Alibi montes illi non commemorantur.

Sch. V, 47: ᾗ ς Φυσάδειαν] Φυσάδεια καὶ Ἀμυμώνη θυγατέρες Δαναοῦ, ὅθεν ὀνομασίαν ἔσχον αἱ κρῆναι. Amymone, filia Danai, nota est, Physadeam praeter poetam commemorat Euphorio apud Steph. B. s. Ἄσβωτος. Sed filiam hanc quoque Danai fuisse, interpres sibi finxit e verbis poetae.

Sch. VI, 75: ἦνθον Ἰτωνιάδος] γένος δὲ ἐπίσημον οἱ Ὀρμενίδαι. Hoc quoque scholiasta invenit. Nam vix memor fuit Amyntoris, qui Ὀρμενίδης dicitur Hom. Il. IX, 448. X, 266. Notandum est istud ἰπίσημον, quod iam legimus in sch. V, 34 et quod recurrit in sch. VI, 78: ἦνθε Πολυξώ] ἐπίσημος αὕτη. Schneiderus quidem edidit ἐπίσημος ταύτῃ, cum e poeta apparere dicat Polyxo in Thessalia notam fuisse, non in universum. Quae ratiocinatio falsa est. Nam adnotatio, sine dubio ficta est, quam delendum cur mutetur, causa non exstat.

Ex his scholiis mythologicis ea quae primo loco posui, cum ad interpretationem apte afferantur, e vetere collectione esse possunt. Sed ea quae ultimo tractavi, optimo iure puto nos compositori tribuere posse, imprimis commenta illa.

Restant ea scholia, quae ex ipsius verbis poetae sumpta sunt.

Sch. I, 24: *Καρίωνος*] *λείπει ἡ ὑπέρ. πολλὰ δ' ὑπὲρ τοῖ Καρίωνος τοὺς φωλεοὺς ἐποίησαν.* Erravit interpres. Nam *ἄνω* versu laudato hac significatione usurpatur. Ernestio dicere voluisse videtur auctor *ὑπεράνω* scribi debuisse, quod valde improbabile puto, cum vix quisquam *ἄνω* usitato sensu legens *ὑπέρ* desideraverit. Fortasse interpres non perspexit *ἄνω* praepositionis vice fungi, praesertim cum substantivo postpositum sit.

Sch. I, 65: *ψευδοίμην κ. τ. λ.*] *λείπει λέγων.* Videtur scholiasta putasse *ψεύδεσθαί τι* dici non posse, cuius tamen usus exempla supersunt ex. gr. Hdt. VI, 32. Ar. Plut. 571.

Sch. IV, 132: *τί περισσά*] *λείπει τὸ φθέγγομαι.* Sane in verbis poetae aposiopesis inest.

Sch. III, 18: *ἥντινα νεῖμον*] *περιττὸν τὸ ἥν.* Intellexit igitur *ἥντινα* pro simplici *τινά*, quam locutionem probant Lobeckius ad Soph. Aiac. 178 et Schneid. ad l. Sed verisimilius est, *ἥντινα νεῖμον, ἥντινα λῇς* ita intellegendum esse, ut prius *ἥντινα*, pleonastice dictum, idem significet atque alterum. Neque enim poetam idem hoc vocabulum bis diverso sensu in eodem enuntiato usurpasse putaverim: cf. quem laudat Meinekius, Hermann ad Soph. Ai. 179.

Sch. III, 28: *μέχρις*] *περιττόν ἐστιν.* Singulariter dictum est *μέχρις ἵνα ψαύσειε*, et si *ἵνα* finale intellegimus, sane ratio vocis *μέχρις* non perspicitur. Sed cum Ernestio „ubi" intellegendum est: cf. h. III, 195. VI, 112.

Sch. III, 35: *καὶ Ἀρτέμιδος καλέεσθαι*] *ἀπὸ κοινοῦ το εἴσεται.* Recte. Nam mutata verborum structura pendet ab *εἴσεται* et activum *ἀέξειν* et passivum *καλέεσθαι.*

Sch. III, 36: *διαμετρήσασθαι*] *ἀπὸ κοινοῦ τὸ ὀπάσσω σοι.* Ex quo pendent accusativi v. 33, 34 et infinitivus v. 36.

Sch. III, 56: *αὐτῶν δὲ βαρὺν στόνον*] *ἀπὸ κοινοῦ τὸ ἔδεισαν.* Potius *ἄκουσαν* v. 54 *ἀπὸ κοινοῦ* est, sed cf. supra p. 53.

Sch. IV, 298: *παρθενικαί*] *ἀπὸ κοινοῦ τὸ φορέουσιν.* Sane. Nam et *ἄρσενες* v. 299 et *παρθενικαί* v. 298 pertinet ad *φορέουσιν.*

Sch. V, 13: *μηδ' ἀλαβάστρως*] *ἀπὸ κοινοῦ τὸ οἴσετε.* A quo verbo pendent accusativi v. 13, 15, 17.

Sch. III, 140: *ἄντυγες*] *ἀπὸ τῆς ἄντυγος τὸ ὅλον ἅρμα σημαίνει.* Vocem illam de toto curru tragici iam usurpant.

Sch. V, 5: ἀπενίψατο πάχεις] ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον. Videtur indicare totum brachium πῆχυν appellari a cubito.

Sch. I, 7; II, 4. 6.

Sch. III, 30: τυτθόν κεν] ἀντὶ τοῦ οὐδὲ τυτθόν. Ineptam esse hanc adnotationem elucet. Schneiderus post ἀντὶ τοῦ inserendum putavit ὀλίγου . καί, apposito Homeri Il. I, 354. Sed τυτθόν vocem notissimam explicatione egere Schneidero non concedo; scholiastam autem fortasse dicere voluisse τυτθόν ita positum esse ut etiam οὐδὲ τυτθόν poni potuerit, ne Schneiderus quidem negat.

Sch. III, 125: κτήνεά φιν] φὶν χωρὶς τοῦ σ διὰ τὸ μέτρον. Num metri causa poeta formam doricam (Ahrens. Dial. II p. 261) usurpaverit, dubitare licet. Eandem adhibuit h. III, 213, fr. 183.

Sch. IV, 28: πολέες — ἀοιδαί] ἔδει δὲ εἰπεῖν πολλαί. Cf. h. III, 42: πολέας δ' ἐπελέξατο νύμφας, et IV, 37: βαθὺν — τάφρον. Similia composuit Friedlaenderus Aristonici reliq. p. 31.

Sch. IV, 66: νησάων] παραλόγως ἔχει τὴν διαίρεσιν . οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν εἰς α ἐστίν. Recte. Nam hanc formam usurpare solus Callimachus ausus est. Cf. Ahrens. Dial. II p. 228 adn. 1.

Sch. IV, 240: ἐφύλαξα] ἀντὶ τοῦ φυλάξω. Habet hic sane quodam modo aoristus significationem futuri: cf. Kuehner. II p. 142. 11. Schneiderus putat scholiastam potius activum notare voluisse pro medio positum, ἀντὶ τοῦ ἐφυλαξάμην, quod vix putaverim.

Sch. IV, 266: πολύβωμε] πρὸς τὴν γῆν λέγει πᾶσαν. Qui versus valde adhuc torsit viros doctos. In libris sic legitur ὦ μεγάλε (vel μεγάλη) πολύβωμε, πολύπτολι, πολλὰ φέρουσα. Itaque vides personam certam non appellari. Interpres igitur terram intellexit, qua de re dubitatio esse nequit, cui unica epitheta illa conveniunt. Sed quaestio est, num allocutio omitti potuerit. Quod sine dubio durum est. Itaque varia viri docti proposuerunt (v. Schneid. adn. crit.), postremo Wilamowitzius ὦ μῆτερ κ. τ. λ. Ex quibus mutationibus nulla certa est, simplicissima videtur Ernestii γῆ μεγάλη. Perverse locum intellexit Schneiderus, qui putat Asteriam verbis ὦ — πολύπτολι parvulum Apollinem alloqui, cui opinioni epitheta illa repugnant.

Etiam in his scholiis multa recte adnotata sunt, ex quibus quae pro certo compositori tribuam, non habeo, nisi forte sch. I, 24, III, 56, III, 30.

Duae adnotationes aetati Byzantinae tribuendae esse videntur cum maiore probabilitate quam sch. III, 52 et III, 188. Quarum una adscripta est ad h. IV, 150, *Κοιηίς*] *Κοίου γὰρ καὶ Φοίβης θυγάτηρ Λητώ. ἴσως Κοιαντίς.* Epitheton Latonae *Κοιηίς,* etsi hic solum occurrit, tamen recte formatum est (v. Schneid.). Itaque causa non erat, cur interpres rarum illud *Κοιαντίς* coniceret. Ernesti quidem suspicatus est lectionem in margine adscriptam esse in libro, in hac ipsa voce vitioso, quod sane fieri potuit. Sed cum constet Callimachi hymnos una cum hymnis Orphei Homeri Proculi in unum corpus receptos esse atque in hymno Orph. 34, 2 forma *Κοιαντίς* exstet, potest etiam sic res se habere, ut aliquis loci Orphei memor Callimacho glossam illam adscriberet.

Adde sch. I, 26: *πολύστειον δὲ τὸν πολύψηφον καὶ πολυπάτητον.* Metopen fluviolum *πολύστειον* i. e. multis lapillis insignem poeta dicit. Neque vero perspicitur, quomodo vox per *πολυπάτητος* explicari potuerit. Sed recte iam Ernesti interpretationem rettulit ad lectionem codicis E *πολύστειβον,* ex qua sine dubio orta est. Lectio *πολύστειβος* autem recte se habere non potest, sed errore librarii alicuius orta est archetypo nostrae hymnorum recensionis posterioris. Hinc explicatio *πολυπάτητος* in scholia venit et cum vera *πολύψηφος* coniuncta est.

Etiam voces Latinas tres inveni.

Sch. I, 48: *λίκνον οὖν τὸ κοσκίνον ἢ τὸ κουνίον, ἐν ᾧ τὰ παιδία τιθέασιν. Κουνίον* idem est atque „cunae", quae forma etiam legitur in sch. Arat. 268.

Sch. II, 32: — *ἐπιπορπὶς δὲ ἡ περόνη, ἡ λεγομένη φίβλα.* Glossa Latina *φίβλα* i. e. fibula etiam in Hesychium illata est IV p. 242. Cf. Schmidt. quaest. Hes. p. 143 sq.

Sch. III: *καὶ τὰν αἴλουρον*] *τὸν ἰδιωτικῶς λεγόμενον κάττον* i. e. cattus.

Etiam haec scholia compositori vix tribuenda sunt, sed postea accessisse videntur.

Iam singulis pertractatis paucis comprehendamus, quid assecuti simus. Multa, ut fatendum est, incerta sunt; attamen pauca quaedam pro certo affirmari possunt. Ac primum quidem dubium esse nequit, quin olim vetus commentarius in Callimachi hymnos exstiterit bonas adnotationes continens, initio ut videtur imperii Caesarum conscriptus, unde frustula tantum in scholiis servata sunt, in quibus Theonis studia fortasse cognosci coniecimus. Quae frustula coniuncta sunt cum glossis Hesychianis, brevibus adnotationibus e lexico aliquo geographico exili sumptis, articulis ex Etymologico ut videtur Methodii. Nonnulla compositor ille nostri commentarioli de suo addidisse videtur. Quo tempore collectio consuta sit, non constat neque coniecturam certam de hac re facere licet. Apparet igitur scholia Callimachea minime comparanda esse cum studiis veterum grammaticorum, quae exstant in scholiis Homeri Aristophanis Apollonii Rhodii aliorum, sed nonnulla exhibent recte adnotata et ad poetam interpretandum utilia. Quae cum ita sint, concidunt sententiae Ruhnkenii et Valckenaerii, qui putant scholiastam esse nugatorem, vel Graeculum recentiorem, cum non respiciant commentariolum nostrum e diversis constare elementis. Sine dubio vera est Wilamowitzii opinio (p. 6). Denique si quaeris, quid ex commentario ad historiam textus poetae lucremur, apparet textum iam tum, cum ille conscribebatur, fere eundem fuisse.

IOANNES ROSENBOOM:

QUAESTIONES DE ORPHEI ARGONAUTICORUM ELOCUTIONE.

Post praestantissimam Godofredi Hermanni de Orphei Argonauticorum aetate dissertationem [1]) quaestio illa de huius carminis origine, quam ad litterarum graecarum historiam non sine momento esse constat, a nullo viro docto accuratius rursus tractata est.

Quae enim Vossius [2]) contra Hermanni sententiam parum subtilia attulit, ut antiquitatem quandam dictionis in hoc carmine inesse demonstraret, longissime recedunt ab accurata illius argumentatione, qua recentissimae aetatis vestigia illam orationem in se habere probavit; atque minus etiam prospere ea sunt excogitata, quibus Koenigsmannus [3]) ex carminis argumento vetustiorem poetae aetatem vindicare conatus est.

Quibus autem argumentis Hermannus ipse summum momentum tribuit ad illam certius definiendam, ex numeris petita, quamquam haec potissimum dubitationem movere possunt, a nullo dum diligentius examinata sunt. Hermannus enim ex variis numerorum proprietatibus, quae non nisi apud poetas ante Nonnum inveniuntur, a Nonno ex poesi epica prorsus remotae sunt, Argonauticorum scriptorem ante illius tempora fuisse colligit: hae sunt caesura principalis post tertii pedis arsim, cui Nonnus caesuram trochaicam in eodem pede substituit, caesura trochaica in quarto pede, productio brevium syllabarum ob caesuram, hiatus; quae omnia Nonnus eiusque imitatores non admittunt.

---

[1]) Edit. Orphic. p. 675—826.

[2]) Allg. Jen. Lit.-Zeitung 1805 Iuni. p. 490—536.

[3]) De aetate carminis epici, quod sub Orphei nomine circumfertur. Slesvic. 1810. Quae refutavit Hermannus in dissertatione: „De argumentis pro antiquitate Orphei Argonauticorum maxime a Koenigsmanno allatis.“ Lips. 1811, in opp. tom. II p. 1—17.

Sed licet Nonnus carminibus tantam auctoritatem consecutus sit, ut mox magnum imitatorum numerum inveniret, qui ut alterum Homerum eum colerent legesque metricas ab eo constitutas diligenter observarent: quis negabit, unum tamen poetam exsistere potuisse, qui illa praecepta neglegeret, sive quod arte metrica parum imbutus esset sive quod haec numerorum severitas ei non placeret? Etenim magna diligentia et arte opus esse ad versus Nounianos formandos non necessarium est demonstrare.[1]) Quanto facilius noster poeta, qui et in totius carminis compositione et in dicendi genere exiguam artem ingeniumque manifestat, illa numerorum difficultate adduci potuit, ut priorum epicorum licentia uteretur!

Sed ad illam vincendam satis habuerit ingenium, ne displicuerint ei, quae novavit Nonnus: nonne is, quem in carmine componendo secutus est finem, satis causae esse potuit, ut recentiorum numerorum proprietates evitaret? Ac profecto, si epos suum vetustissimo illi Orpheo supponere voluit, ut maiorem adipisceretur auctoritatem, certe studere debuit, ut omnia recentioris aetatis vestigia et in argumento et in dictione nec non in numeris posita diligenter occultaret.

Denique, si haec omnia praetermittimus: nihil obstat, quominus Argonauticorum poetam aequalem Nonni fuisse putemus et Panopolitani carmen nondum satis auctoritatis habuisse, cum ille suum conderet.

Minime igitur Hermannus, verum si quaerimus, certis argumentis Argonauticorum poetam ante Nonnum vixisse probavit. Multo magis elucent ea, quae collegit, ut illum post Quinti Smyrnaei tempora exstitisse demonstraret; in quibus ea sunt, quae de licenti pronominum *οἷ* et *σφίν* usu uberrime exposuit[2]), cuius auctorem Quintum Smyrnaeum fuisse non caret probabilitate.

Quae cum ita sint, cum tota illa quaestio de Orphei Argonauticorum aetate et origine nondum absoluta sit, sed omnibus

---

[1]) Cf. Herm. Orph. p. 691: „tamque severam accepit disciplinam (versus heroicus), ut nisi peritus, non posset epos moliri."

[2]) Orph. p. 773—811. In restituendo autem pronomine *οἷ* Hermannum constat vehementer peccasse. cf. Guil. Wiel, Observationes in Orphei Argonautica. diss. Bonn. 1853. p. 17 sqq.

argumentis, quae et ex orationis et numerorum proprietatibus et rerum narratione desumi possunt, denuo accurate examinatis certius demum diiudicari possit: tum is, qui de integro hanc rem tractandam suscipiet, multo meliore apparatu, quam Godofredus Hermannus, instructus erit. Nam post illius editionem ad Argonauticorum textum permultis magnisque corruptelis deformatum restituendum variis commentationibus multum collatum est, quarum optimae sunt diligentes Wielii [1]) observationes, qui multos locos corrupte traditos sagaciter et prospere sanavit, et Hillmanni [2]) dissertatio, qui primus, quae inter codices intercedat ratio, recte cognovit et versionem a Cribellio latinis versibus factam nihil in arte critica factitanda valere pro certo demonstravit. Quorum omnium quamquam Abelius in ea, quam novissime fecit, Orphicorum editione diligenter rationem habuit, tamen in hac quoque multa satis probabili emendatione carentia remanserunt. Accurata librorum collatio — qualem Hermanni editionem non praebere constat [3]) — adhuc desideratur.

Ego igitur id mihi proposui, ut unam illius quaestionis partem, quae spectat ad orationis proprietates, quae in Argonauticis inveniuntur, absolverem. Sed quoniam et universa haec disputatio latius paullo patet et illae proprietates imprimis verborum copia atque quasi colore contineri mihi videntur, in hanc tantummodo materiam hac commentatione accuratius inquirere conabor; alterum caput, quod ad verborum formas et syntaxim pertinet, alio loco postea tractaturum me esse spero. Quo in genere nonnulla iam Hermannus et in adnotationibus et in fine egregiae illius dissertationis [4]) collegit, ut permulta in Argonauticorum dictione recentissimi aevi

---

[1]) Guil. Wiel, Observationes in Orphei Argonautica. Pars I. diss. Bonn. 1853. P. II—IV in libellis a schola Bedburgensi editis. 1861. 1862. 1866.

[2]) F. Hillmann, De arte critica in Orphei Argonauticis factitanda. diss. Lips. 1883. Cf. recensiones: Zeitschr. f. d. ö. GG. t. XXXV, 1 p. 29—31; Philol. Anz. t. XIV, 5. 6 p. 275—276; Bursian. Jahresbb. 1884 p. 25—28. Praeterea cf. A. Guttmann, Zur Handschriftenkunde der Orphischen Argonautika. I. Koenigshütte 1887.

[3]) Cf. Abel, Philol. Wochenschr. ed. Hirschfelder 1882 n. 8 col. 226—228. Hillmann. l. l. p. 10.

[4]) Orphica p. 811—826.

propria esse probaret; sed veteriorum poetarum imitationi minus animum intendit.

Quam autem materiae feci dispositionem, eius haec fuit ratio. Ea aetate, quae careat vero ingenio, et qua prisci sermonis simplicitas venustasque artificioso abundantique dicendi generi cesserit, poetas, ut aliquem carminibus elegantiae colorem dent, ad antiquos bonosque scriptores confugere neque solum prisca verba sententiasque desumere, sed etiam ad eorum exemplar novis formandis operam dare solere, cum maxime extrema Graecorum post Christum natum poesi epica probatur. Neque mirabimur, hoc modo priscum recens, simplex artificiosum, sublime pedestre ad miram quandam farraginem commisceri in eaque ipsa, quo quisque ingenio praeditus arteque poetica imbutus sit, luculenter apparere. Hoc videbit, quicumque Quinti Smyrnaei aut Nonni Panopolitani carmina perlegerit. Quare ad Argonauticorum quoque elocutionem illustrandam eam optimam esse rationem duxi, ut primum de Homeri et posteriorum epicorum imitatione, deinde de verbis singulariter formatis et singulari vi adhibitis, postremo brevi de iis dicerem, quae cum Nonni dictione congruunt: nam haec quoque non sine momento ad elocutionem Argonauticorum cognoscendam esse censeo.

Libros manuscriptos hisce litteris notavi:

L = Lugdunensis Vossianus
R = Lugdunensis Ruhnkenianus
S = Strahovianus (cuius collationem publici iuris fecit Schubertus, „Eine neue Handschrift der o. Arg." Sitzungsbb. d. Wien. Akad. philol.-hist. Kl. 1881. p. 449—485)
V = Vindobonensis
M_1 M_2 = Monacenses (antea Augustani)
A = Ascevianus
Π = Parisinus.
Φ = Vratislaviensis.

Cf. Hillmann. l. l.

Cap. I.

De imitatione Homeri.

Homeri, poeseos Graecorum epicae quasi parentis, carmina numquam oblivione obruta, sed etiam extrema post Chr. n. aetate, cum hoc carminum genus a paucis colebatur, ab his quidem magno cum studio lecta esse, cum optime ex Quinti Smyrnaei opere appareat, qui omnium recentium epicorum diligentissime Homericam elocutionem imitatus est [1]), tum praeclare confirmatur Pseudo-Orphei carmine. Nam hic quidem non solum epithetis quae dicuntur ornantibus Homeri propriis diligenter usus est, sed etiam versus hemistichiaque aut integra desumpsit aut manifesta imitatione expressit.

a) Integri versus ex Homero desumpti.

Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ὄμοσάν τε τελεύτησάν τε τὸν ὅρκον Arg. 357.[2]) Idem versus invenitur *μ* 304, *ο* 438, *σ* 59; *ὄμοσεν* et *τελεύτησεν*: *Ξ* 280, *β* 378, *κ* 346.

Ὣς ἔφαθ', οἳ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ Arg. 829. Idem saepius apud Homerum[3]), ut *Γ* 95, *ϑ* 234.

---

[1]) Cf. Koechly, praef. edit. Qu. Smyrn. Lehrs. Arist. p. 413.

[2]) Versus secundum Hermanni editionem numeravi, quia in compluribus de hoc carmine commentationibus ante Abelii editionem publicatis, quae in hac dissertatione saepius commemorandae erunt, eadem ratio observatur.

[3]) Eorum, quae apud Homerum non saepe inveniuntur, omnia exempla attuli; in iis, quae frequentius adhibentur, eos tantummodo locos enumeravi, qui primi in Iliade et Odyssea exstant. Dubias lectiones asterisco * notavi.

b) Versuum partes ex Homero desumptae.[1])

Ἄγχι παρισταμένη Arg. 542: *κ* 377, *π* 455, *ρ* 361, *σ* 70, *ω* 368.

ἄγχου δ' ἱστάμενος Arg. 399: *Δ* 203, *N* 462. 768, *Ξ* 356, *Π* 537, *P* 684, *δ* 25, *ρ* 552, *χ* 100.

ἀθάνατος (*τε πέλῃ*) *καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα* Arg. 651: cf. *Θ* 539 (*εἴην*) *ἀ. κ. ἀ. ἤ. π.* et *ε* 136, *η* 257, *ψ* 336: (*θήσειν*) *ἀθάνατον κ. ἀ. ἤ. π.*

ἀνὰ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν Arg. 302: *ἐπὶ τ. τ. κ. ὑ.* *Ξ* 308, *υ* 98.

ἀπ' Αἰσήποιο ῥοάων Arg. 145. Idem *Δ* 91.

ἀτρυγέτοιο θαλάσσης Arg. 1173. Eodem modo versus finitur *Ξ* 204; multis aliis locis, ut *Α* 316, *ε* 52: *ἁλὸς ἀτρυγέτοιο.*

ἀχνύμενοι κῆρ Arg. 1214: *H* 428, *Ψ* 165, *μ* 250, *ω* 420.

Βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν Arg. 1217: *H* 446, *ρ* 386, *τ* 167. [RLVS *εἴ τίς σφε βροτῶν*, RL *ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν,* VS *γ' ἀπείρονα, ΑΠΦ τίς ἄρ' ἀνθρώπων ἀν' ἀπείρονα γαῖαν,* quae sine dubio deterior lectio est.]

Γυναικῶν εἶδος ἀρίστη Arg. 477. Idem *η* 57.

γαιήοχον Ἐννοσίγαιον Arg. 1375. Idem *Ψ* 584; nominativi forma: *N* 43. 59. 677, *O* 222, *λ* 241; dativus *I* 183, *Ξ* 355.

Διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλας Arg. 681. Idem (sed *ὕλην*) *Λ* 118, *κ* 150. 197. [L *διὰ δριμὰ* in textu, *ὑπὸ δρυμὰ* in mrg., ceteri codd. *ὑπὸ δρυμά*; Hermannus et Abelius iure *διὰ δρυμά.* Praepositiones persaepe in hoc carmine corruptae vel permutatae inveniuntur.]

διαπρήσσουσα κέλευθα Arg. 1354. Cf. *Α* 483, *β* 429 (*κέλευθον*); *διαπρήσσωσι κέλευθον* *β* 213.

δικαιότατος Κενταύρων Arg. 381 Chiro appellatur. Idem de Chirone *Λ* 832.

Εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Arg. 1181. Idem *Γ* 374, *E* 312. 680, *Θ* 91. 132, *Υ* 291.

ἐνὶ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν Arg. 1178. Idem *Θ* 366; *ἐπὶ φ. π.* *Υ* 35*, *φ. π.* *Ξ* 165*, *O* 81.

---

[1]) Sub hoc titulo earum dicendi formularum, quae ex nomine et epitheto constant, eas tantummodo attuli, quae versus partem non minus quam trium pedum efficiunt; ceteras sub *d* enumeravi.

ἔπεα πτερόεντα προσηύδα Arg. 282. Frequentissima apud Homerum locutio, ut *E* 242, *α* 122.

ἐπ' ἐσσομένοισι πυθέσθαι Arg. 630: *καὶ ἐ. π.* *B* 119, *X* 305, *γ* 204*, *λ* 76, *φ* 255, *ω* 433. [*ἐπ' ἐσσομένοισι* V*AΠ*, *ἐπεσσομένοισι* LRS*Φ*. Librorum lectiones variae sunt etiam Arg. 96: *ἐπ' ἐσσομένοισι* S$M_1 M_2$*AΠ*, *ἐπὶ ἐσομένοισι*, sed altero *σ* superscr. L, *ἐπεσσομένοισι* RV (scil. *κλέος ὄπαζεν*); 613 S *ἐπεσσομένοισι*, LR *ἐπεσσομένοις*, ceteri libri *ἐπ' ἐ.* (scil. *ἀνθρώποις*); 456 omnes codd. *ἐπ' ἐσσομένοις* (scil. *μερόπεσσιν*). Quamquam *ἐπεσσόμενος* apud recentiores poetas exstat — sed ibi quoque saepius librorum lectiones variae sunt —, ut Theocr. XII 11, Nonn. Dion. XLI, 180, tamen illis locis sine dubio *ἐπ' ἐ.* legendum est.]

ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσιν Arg. 844 (820 *ὑπ' ὀφθαλμοῖσι δ' ἐσέδρακε*): idem *ι* 146, *τ* 476.

εὖ εἰδότες ἶφι μάχεσθαι Arg. 828: idem *B* 720.

ἐυκτιμέναις ἐπ' ἀγυιαῖς Arg. 1142: *ἐυκτιμένας κατ' ἀγυιάς* *Z* 391.

εὖ καὶ ἐπισταμένως Arg. 390: *K* 265, *υ* 161, *ψ* 197.

Ζεὺς ὑψιβρεμέτης Arg. 1285. Idem *A* 354, *M* 68, *Ξ* 54, *Π* 121, *ε* 4, *ψ* 331.

Ἦ ὅς βασιλεύτερός ἐστιν Arg. 854: *καὶ ὅς β. ἐ.* *I* 391. Similiter: *ὅσσον βασιλεύτερός εἰμι* *I* 160; *μηδ' εἰ β. ἐστιν* *K* 239.

Θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ Arg. 326: *μ* 236. 240. 431, *ο* 294.

θεὰ λευκώλενος Ἥρη Arg. 777. Frequentissimum in Iliade hemistichium, ut *A* 55, non in Odyssea.

θεράποντας Ἄρηος Arg. 1078. Idem *H* 382. Nominativus: *B* 110, *Z* 67, *Θ* 79, *K* 228, *O* 733, *T* 78.

θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος Arg. 1266 Thetis vocatur. Idem de Thetide *A* 538. 556, *Ω* 562; de Idothea *δ* 365.

Κασιγνήτην καὶ ὄπατρον Arg. 1028: *-τον κ. ὄ.* *A* 257, *-τος κ. ὄ.* *M* 371.

Μερμήριζε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν Arg. 771 (sic omnes codd., Herm. male *οἶ μέρμηρε*). Idem *υ* 10[1])

[1]) Quamquam enim *υ* 10 omnes meliores libri *-ιξε* habent, tamen propter praecedens *πολλὰ* imperfectum legendum.

et *Θ* 169 (hoc loco -ιξε); *μερμήριξε δ' ἔπειτα κ. φ. κ. κ. ϑ.*: *E* 671, *δ* 117, *ω* 235.

Νεὼς κυανοπρῴροιο Arg. 1208. Idem *O* 693. In Odyssea saepius, ut *ι* 482.

Ξεῖνος δέ τοι εὔχομαι εἶναι Arg. 82. Sic LRSM_2, ut *ω* 114, quod praefero cum Abelio lectioni *σοι* ex V*ΑΠΦ* ab Hermanno receptae (*σοι* in textu, *τοι* in mrg. L).

Ὃ δ' οὐκ ἀπίϑησεν ἀκούσας Arg. 1021. Cf. *ὃ δ' ἄρ' οὐκ ἀπίϑησεν ἀ.* *Θ* 319, *ο* 98.

οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν Arg. 1024. Idem *δ* 378, *π* 200, *τ* 40, *χ* 39.

Πῖα τε μῆλα καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς Arg. 508: *πολλὰ δὲ ἴφια μ. κ. ἑ. ἑ. β.* *I* 466, *T* 166. [Propter insolitam formam *πῖα* Wielius restitui vult *πίονα* aut *ἴφια*, quod non probabile est ob magnum ceterarum formarum numerum, quae huius carminis propriae sunt.]

πλεύσας ἐπὶ οἴνοπα πόντον Arg. 100: *πλέων ἐ. ο. π.* *H* 88, *α* 183, *δ* 474. [Praeter R, ubi est *πλείων*, omnes codd. *πλεύσας* praebent, quod suo iure Abelius recepit. *πλείων*, quod probat Hermannus, ex Homeri memoria fluxisse videtur.]

πολυφλοίσβοιο ϑαλάσσης Arg. 333: *A* 34, *B* 209, *Z* 347, *I* 182, *N* 798, *Ψ* 59, *ν* 85. 220.

ποτὶ ζόφον ἠερόεντα Arg. 91: *M* 240, *ν* 241.

Σφῇσιν ἀτασϑαλίῃσιν Arg. 476. 868. Idem versus initium *α* 34.

Τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμεν'(α) Arg. 210: *A* 70.

τοῖσι δὲ μύϑων ἦρχεν Arg. 378: usitatissima apud Homerum formula, ut *E* 420, *α* 28.

Ὑπὲρ μέγα λαῖτμα ϑαλάσσης Arg. 684 (460 *ὑπὲρ μέγα λαῖτμα δὲ πόντου*). Idem *ι* 260.

ὑπὸ κεύϑεα γαίης (sc. *μολεῖν*) Arg. 175: cf. *ὑπὸ κεύϑεσι γαίης* *X* 482, *ω* 204. [RS *κεύϑεσι*, LVM_2*ΑΠΦ* *κεύϑεα* et sic priores editores, recte, ut mihi videtur. Cf. hymn. h. in Cer. 341 *ἄφαρ δ' ὑπὸ κεύϑεα γαίης ἐσσυμένως κατόρουσε*; ibid. 416 *φέρων ὑπὸ κεύϑεα γαίης*.]

Φαεσιμβρότου Ἠελίοιο Arg. 55: idem *κ* 138. [Arg. 1082 *φ. ἠὼς* in fine versus, ut recte *Ω* 785 Venetus *A* exhibet.]

Χρυσόρραπις Ἀργειφόντης Arg. 130, ut *κ* 331.

Ὣς εἰπὼν ἵπποισιν ἐκέκλετο Arg. 857. Idem *Ο* 184, *Ψ* 442.

Ὣς ἔφαθ', οἳ δ' ἄρα πάντες ἐπῄνεον Arg. 295. Idem *Ψ* 539, *δ* 673, *η* 226, *ϑ* 398, *ν* 47, *σ* 66. (*ἐπῄνησαν* *Η* 344, *Ι* 710.)

c) Hemistichiorum et locutionum imitatio.

Ἃ δὴ τελέεσθαι ἔμελλεν Arg. 867. Cf. *β* 156 *ἅπερ τελέεσθαι ἔμελλον.*

ἀκηχέμενοι δὲ φίλον κῆρ Arg. 1094. Cf. *Ε* 364 *ἀκηχεμένη φίλον ἦτορ.*

ἀλλ' ὅτε δὴ σχεδὸν ὄντες ἐπ' ἀλλήλοις βάλον ὄσσε Arg. 812. Cf. *οἳ δ' ὅτε δὴ σχεδὸν ἦσαν ἐπ' ἀλλήλοισιν ἰόντες,* quae est sollemnis in Iliade formula, ut *Γ* 15.

Βαρὺν οἶτον ἀναπλήσαντες Arg. 1149. Cf. *Θ* 354 *κακὸν οἶτον ἀναπλήσαντες.*

Γυναίων εἵνεκα φίλτρων Arg. 676. Cf. *λ* 521, *ο* 247 *γυναίων εἵνεκα δώρων.*

Δαίμονος αἴσῃ Arg. 1200 et *ὕβριος αἴσῃ* 833. Cf. *λ* 61 *δαίμονος αἶσα.*

δακρυόεν γελόων Arg. 449. Cf. *Ζ* 484 *δακρυόεν γελάσασα.*

δμωαὶ δέμας εἰκυῖα Arg. 1340. Cf. *ϑ* 194, *ν* 222 *ἀνδρὶ δέμας ἐικυῖα.*

δόλον καὶ μῆτιν ὑφαίνων Arg. 845. Cf. *ι* 422 *δόλους καὶ μῆτιν ὕφαινον.*

Εἰ δέ κέ μοι πείθησθε, τὸ καὶ πολὺ κέρδιόν ἐστιν Arg. 853. Cf. *Η* 28, *υ* 381 *ἀλλ' εἴ μοί τι πίθοιο, τό κεν πολὺ κέρδιον εἴη.* [LV*ΑΠΦ* *πείθησθε,* R *πίθησθε,* S *πείθοισθε.*]

Ἣν ἀτίταλλεν ἐνὶ μεγάροισιν ἑοῖσιν Arg. 783. Cf. *ο* 450 *παῖδα . . . . . ἐνὶ μεγάροις ἀτιτάλλω.*

Κῆρ' ὀλοὴν καὶ πότμον ἐπίσπῃ Arg. 682. Cf. *Β* 359, *Ο* 495, *Υ* 337 *θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ* (*ἐπισπεῖν* *ω* 31).

κραδίη θυμός τε μενοινᾷ Arg. 285. Cf. *Ν* 784,

ϑ 204, ξ 517, ο 339, π 81, φ 198. 342 *κραδίη θυμός τε κελεύει.*

κτέρεα κτερεΐξαι Arg. 548. Idem α 291; cf. Ω 38, γ 285 *κτέρεα κτερίσαιεν.*

Νύκτας τε καὶ ἤματα συννεχὲς αἰεὶ Arg. 724. Cf. ι 74 *δύω νύκτας δύο τ' ἤματα σ. α.*

Παραιφάμενος ἐπέεσσιν Arg. 767. 774. 1098. Cf. Ω 771 *ἐπέεσσι παραιφάμενος.*

Τά τε ζώει τε καὶ ἕρπει Arg. 1013. Cf. *P* 447 *ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.*

τέλος θανάτοιο κίχω Arg. 106. Cf. *I* 416 *οὐδέ κε μ' ὦκα τέλος θανάτοιο κιχείη*; *Λ* 451 *φθῆ σε τέλος θανάτοιο κιχήμενον*; ρ 476 *Ἀντίνοον πρὸ γάμοιο τέλος θανάτοιο κιχείη.*

τόν ῥ' ὑποκυσαμένη ἔτεκεν Arg. 189: *ἡ δ' ὑ. . . . . γείνατο* *Z* 26; *ἡ δ' ὑ. . . . . τέκε* λ 254.

Χλωρὸν ἀκάχητο Arg. 1229 sine dubio ex Homerico *χλωρὸν δέος* profectum, quod saepissime, ut *H* 479, λ 43 invenitur.

Ὣς φάτο· τοῦ δ' ἄρα θυμὸς ὀρίνετο ἶσος ἀέλλῃ Arg. 843. Cf. *ὣς φάτο· τῷ δ' ἄρα θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινεν* *Δ* 208, *Z* 51*, *Λ* 804, *N* 468; *τῇ* *T* 395, ρ 150; *τοῖσι δὲ* *B* 142.

d) Epitheta.[1]

Ἀγακλειτός: Arg. 70 *βασιλῆας*, 1327 *βασίλεια*. A. H. frequentissimum cum variisque nominibus coniunctum, ut *B* 564, γ 59.

ἀγάρροος: Arg. 45 *Νεῖλος*. A. H. duobus locis: *B* 845, *M* 30 de Hellesponto.

ἀγέρωχος: Arg. 1049 *Σινδῶν*. Virorum fortium (imprimis Troianorum) epitheton frequens in Iliade: *B* 654 *Ῥοδίων*, in Odyssea non nisi λ 286 *Περικλύμενον.*

ἀγρότερος: Arg. 509 *σύας*. Aprorum epitheton etiam *M* 146, λ 611, *ἐλάφους* ζ 133, *αἶγας* ρ 295.

---

[1]) In exemplis non nisi substantiva eo quo usurpantur casu attuli, si hoc modo epitheti terminatio dubia esse non potest. A. H. = apud Homerum.

ἀγχίαλος: Arg 464 *Ὁμόλη*. Cf. *B* 640 *Χαλκίδα*, 697 *Ἀντρῶνα*.

ἀδευκής: Arg. 715 *πῆματ' ὀλέθρου*. Cf. *δ* 489 *ὀλέθρῳ ἀ.*, *ζ* 273 *φῆμιν*, *κ* 245 *πότμον*. [*πῆματ'* omnes codd. praeter S, ubi est *πεῖρατ'*, quod sane Homericum est, cum *πῆματ' ὀλέθρου* alibi non inveniatur. Sed multo veri similius est, lectionem *πεῖρατ'* a librario profectum esse Homericorum locorum recordati, quam unum codicem S pristinam lectionem servasse.[1]) Dicendi abundantiae saepius in nostro carmine reperiuntur.

ἀδήριτος: Arg. 849 *γέρας*. Cf. *P* 42 *πόνος*.

ἀελλόπους: Arg. 1284 *ἀελλοπόδων ἵππων*. A. H. ter: *Θ* 409, *Ω* 77. 159 epitheton Iridis, et semper forma *ἀελλόπος*. Hymn. h. in Ven. 218 *ἵπποις ἀελλοπόδεσσι* et haec quidem coniunctio apud recentiores poetas frequens est.

ἀζάλεος: Arg. 332 *πεύκης*. A. H. cum variis nominibus coniunctum: *ι* 234 *ὕλης*, *H* 239 *βοῦν* (= scutum bovum pelle contextum), *Y* 491 *οὔρεος*.

ἀίδηλος: Arg. 17 *ἔργ' ἀ.* Idem a. H. uno dubio loco exstat: *E* 757 codices minoris notae et Apollonii lex. hom. *ἀίδηλα* exhibent, Venetus *A* optimus codex *καρτερὰ ἔργα*, quod probatur Aristarcho. Aliis locis variis substantivis adiectum: de Minerva *E* 880, de Marte *E* 897, *ϑ* 309; de Melanthio *χ* 165; de procorum turba *π* 29, *ψ* 303; de igne *B* 455, *I* 436, *Λ* 155. Quare vis „delens", „perniciosus", certa est.[2])

αἰνόμορος: Arg. 862 *Μινύαι*. Cf. *X* 481, *ι* 53, *ω* 169.

αἰπεινός: Arg. 382 *αἰπεινὰ κάρηνα*. Idem *B* 869, *Y* 58, *ζ* 123.

ἀκαλαρρείτης: Arg. 1055 *Σαράγγης*: *H* 422, *τ* 434 *ἀ. Ὠκεάνοιο*.

ἀκραής: Arg. 487 *Ζέφυρος*: *β* 421 *Ζέφυρον*, *ξ* 253. 299 *βορέῃ ἀνέμῳ*.

ἀμαιμάκετος: Arg. 23 *Κρονίωνος*, 178 *ὀιστοῖς*, 520 *βασιλῆες*, 860 *ἔθνος Κόλχων*. Ter a. H.: *Z* 179, *Π* 329 *Χίμαιραν*; *ξ* 311 (ubi vis vocis valde iam attenuata est) *ἱστὸν νηός*;

---

[1]) Quod putant Schubertus l. l. p. 480 et Herwerdenius, Mnemos. n. s. XIV p. 20.

[2]) Cf. Buttmann. lexilog. I p. 247 sqq.

Hes. scut. 207 *θαλάσσης*. Poetae Alexandrini rursus susceperunt, postea etiam Nonnus; sed ibi vis iam paene evanuit: cf. Dion. VI, 326 *νιφετοῖο*.

ἀμέγαρτος: Arg. 12 *ἀνάγκην*, 1068 *δύην*. Cf. *B* 420 *πόνον*, *λ* 400 *ἀνέμων ἀυτμήν*, *ρ* 219, *φ* 362 *συβῶτα*. Buttmannus[1]) hanc vocem recte derivat a *μεγαίρω*: „quod tam miserum est, ut nulli, qui id habeat, invidere debeas". Hermannus sine causa Arg. 12 *ἀτέκμαρτον* restituere voluit, quod multo minus aptum est.

ἀμφιέλισσος: Arg. 1205 *νηῶν*. A. H. frequens navium epitheton, ut *B* 165, *γ* 162.

ἀνάπυστος: Arg. 1317. 1166. Homerus uno tantummodo loco: *λ* 274 *ἄφαρ δ' ἀνάπυστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν*, quod scholiis recte explicatur vocibus *διάδηλα*, *ἐξάκουστα*. Difficultatis autem aliquid inest in Argonauticorum locis explicandis. 1316 sqq. timet Medea

μή οἱ ἑλὼν ἀέκουσαν ἑὸν πέμψειε δόμονδε
Φαιήκων βασιλεύς, ἀνάπυστά τε ἔργα γένοιτο.

Quod vertit Gessnerus: „et exempla in se edantur". Sed praeterquam quod hoc non satis aptum efficit sensum, non video, quemadmodum haec vis in traditis verbis inesse possit. Equidem puto similem huic loco subesse significationem, atque illi Homerico: „ne omnia facta (scil. Medeae et Iasonis) manifesta fierent". Nam profecto, si Medea domum revertisset, multo magis etiam, quam iam antea erant, quae fecerat, inter Colchorum populum divulgata essent. Difficilior quaestio exsistit altero Argonauticorum loco, ubi *ἀνάπυστος* usurpatur. 1164 sqq. queritur Argo:

ὤμοι ἐγών, ὄφελόν με διαρραισθεῖσαν ὀλέσθαι
Κυανέαις πέτρῃσιν ἐν Ἀξείνῳ τε κλύδωνι,
ἢ καὶ νῦν ἀνάπυστον αἰδρείῃ βασιλήων
νώνυμνον φορέεσκον·

Gessnerus probat *αἰδρείῃ* (ut in V*ΑΠΦ* exstat, *αἰδρείης* L, *αἰδρίῃ* RS), et *νώνυμνον* pro substantivo positum „probrum et ignominiam" putat notare „scelere contractam"; vocem *ἀνά-*

[1]) Lexil. I p. 261.

πυστον vi Homerica intellegit: „utinam antea periissem, quam nunc regum ignorantiae causa manifestum probrum ferrem". In qua explicatione tam multa tamque gravia offendunt, ut refutare eam non opus sit. Hermannus αἰδρείην et νώνυμνος scribendum esse censuit (praeterea pro καὶ substituit οἱ) sensumque esse putavit: „utinam potius periissem, quam nunc manifestam regum inscitiam paterer". Sed pro magno navis dolore, qui significatur prioribus versibus, mirum quantum tenuitatis inest in verbis: „ἦ καὶ νῦν ἀνάπυστον αἰδρείην βασιλήων νώνυμνος φορέεσκον". Nec non offendit significatio tolerandi in verbo φορέω. Quare aliam emendandi rationem ingreditur Wielius.[1]) Is primum φορέεσκον ex obscurata archetypi lectione φορέεσθαι natum esse existimat; qua mutatione etiam durissimae constructioni medetur.[2]) Deinde voci ἀνάπυστος vim inauditi, occulti, contrariam igitur significationi Homericae subicit. Sensum enim hunc esse: „utinam potius periissem, quam nunc regum imperitiae causa in obscuritate, sine gloria circumicerer!" Apte confert Wielius Apoll. Rh. IV, 1305 sqq., ubi reges hoc idem conqueruntur, se in longinquis regionibus perire neque praeclare factorum gloriam in patriam venire.

De vi autem vocis ἀνάπυστος iam veteres grammaticos vehementer dissensisse neque abhorrere ab eorum interpretatione eam significationem, quam nostro loco exstare putat Wielius, tribus argumentis probare conatur. Primum enim confert, quae exponit Pausanias IX, 5, 11 de Homeri illo ἄφαρ δ' ἀνάπυστα θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν. Sed ex hoc loco nihil nisi hoc concludere licet, veteres non consensisse, statuissetne iam Homerus, Oedipodem cum Iocasta liberos genuisse necne[3]); „ἀνάπυστα" autem varie ab iis explicatum esse ex Pausaniae

---

[1]) P. IV p. 13 sqq.

[2]) Nam quod meliores libri LR exhibent, ἦ καὶ rectum, quod in deterioribus VAΠΦ est, οὔ κεν grammatici alicuius vel librarii mutationem esse, qui constructionem emendare voluit, certum mihi videtur.

[3]) Cf. schol. λ 274: ἄφαρ, οὐκ εὐθέως· ἐπεὶ πῶς εἶχε παῖδας; ἀλλ' ἐξαίφνης. Scholiasta igitur vere iudicat, Homerum illud statuisse, id quod negat Pausanias.

verbis minime potest effici.[1]) Deinde Wielius adhibet Suidae glossam: ἀνάπυστα· ἔκπυστα· δῆλα. Ἀνάπυστον δὲ τὸ ἀνήκοον. Sed hic maiore cum probabilitate Kuesterus mutavit: ἄπυστον δὲ τ. ἀ., quam Bernhardyus: οἱ δὲ ἀνάπυστον τὸ ἀ. Denique ille in Hesychii glossa: ἀνάπυστα[2])· φανερά. ἀνήκοα. ἀναφανδά duas plane diversas vocis ἀ. explicationes inesse existimat; et hoc quidem recte.[3]) Praeterea Wielius, si probare voluit, Argonauticorum scriptorem loco illo Homerico vocem ἀνάπυστος vi „obscuri" intellegere potuisse, alia adiectiva, ut ἀνάϝεδνος, ἀνάϝελπτος, ἀνάπνευστος, ἀνάγνωστος afferre potuit, in quibus ἀνα- sensum negativum habere constat[4]); quibus respondere formationem vocis ἀνάπυστος apud Homerum, quidni statuere potuerit Pseudo-Orpheus?

Hoc igitur quamquam per se non omni caret probabilitate, tamen Wielii sententia duas ob causas probari mihi non potest: primum quod Arg. 1317 vox ἀνάπυστος aliter atque significatione „manifesti" bene explicari non potest; deinde, quod in iis vocibus, quas poeta noster ex Homero desumpsit, nulla est, quae tam distantem ab Homerica habeat significationem, nulla, quae tam male Homerum ab eo intellectum esse doceat. Itaque, quamquam bona mihi videtur Wielii emendatio φορέεσθαι, tamen in altera illa re sequi eum non possum faciliusque esse censeo, ἀνάπυστον in ἀναπίστῳ mu-

---

[1]) Inepta ea est argumentatio, quam Gessnerus Pausaniae subicere vult: „si Polynices Eteocles Ismene et Antigone essent nati ex incesto Oedipodis coniugio cum Iocasta, poeta non posset dicere, a Iove statim abolitam eius esse notitiam et memoriam: ponitque adeo (scil. Pausanias), ἀνάπυστον esse, de quo non auditur". Immo vero hoc dicit Pausanias: si Oedipus cum Iocasta liberos genuisset, non dicere posset poeta, deos illa mox (ἄφαρ) patefecisse.

[2]) Sic recte emendavit Salmasius, cod. ἀνάπτυστα.

[3]) Sine dubio etiam in glossa (p. 180, 15 edit. maior. M. Schmidt.): ἀνάπαυστα· ἀνεκλάλητα καὶ ἀνεξάκουστα. ὁ δὲ Ἡλιόδωρος ἀνάγγελτα, ἔκδηλα. καὶ ἐξάκουστα. καὶ ἄρρητα. καὶ ἐξάγγελτα Musurus ἀνάπαυστα recte mutavit in ἀνάπυστα. Cf. Apoll. lex. p. 35,17: ἀνάπυστα· ἔκδηλα· ὁ δὲ Ἡλιόδωρος ἀνάγγελτα.

[4]) Cf. Buttmann, Ausf. gr. Sprachl. II p. 466. Hiller, Eratosth. carm. reliq. p. 62. Aliter has formas explicant Hermannus opp. VI p. 164 et Lobeckius, pathol. Gr. serm. el. p. 194.

tare, ut sensus fiat: „utinam potius periissem, quam propter manifestam principum inscitiam sine gloria circumicerer!"

ἀνδροφάγος: Arg. 1079 *Ταύρους* [RVS *ἀνδροφάγους*, L *ἀνδρομάγους*, *ΑΠΦ* *ἀνδροφόνους*]. Cf. *κ* 200 *Κύκλωπος*, ubi haec lectio praeferenda est ei, quam nonnulli deteriores codices exhibent, *ἀνδροφόνοιο*.

ἀπείριτος: Arg. 20. 102 *γαῖαν*, 340 *Ἀμφιτρίτην*. A. H. semel: *κ* 195 *πόντος* sic vocatur; magis usitatum *ἀπείρων*, quod saepe cum *γαῖα* coniungitur. Saepius *ἀπείριτος* apud Hesiodum: Scut. 204 *ὄλβος*, Theog. 109 *πόντος*, 878 *γαῖαν*.

ἀπορρώξ: Arg. 1271 *πέτρη*. Eodem sensu *ν* 98 *πέτραι ἀπορρῶγες*. (Alio sensu haec vox usurpatur *Β* 755, *κ* 514, *ι* 359.)

ἀργαλέος: Arg. 679 *κότου*: *Σ* 119 *χόλος*, *Κ* 107 *χόλου*.

ἀργεννός: Arg. 230 *παρηΐδας*, 654 *ὀθόναις*. A. H. plerumque de ovibus: *Γ* 198, *Ζ* 424, *Σ* 529. 588, *ρ* 472; semel: *Γ* 141, *ὀθόνῃσιν*.

ἀργυρόπεζα: Arg. 387 *Θέτις ἀ.* In Iliade frequens Thetidis epitheton, ut *Ι* 410, in Odyssea semel: *ω* 92.

ἀρήϊος: Arg. 521 *τεύχεα*. Idem *Ζ* 340, *Ξ* 381, *π* 284, *ω* 219.

ἀρηΐφατος: Arg. 516 *ἀνέρες*, 847 *Κόλχοισιν*; vis igitur est: „bellicosus". Apud Homerum tribus locis exstat: *Τ* 31, *Ω* 415 *φῶτας*; *λ* 41 *ἄνδρες*, ubi significat „Marte occisus" (a radice *φεν*). Cf. autem Hesych. s. v. *ἀρείφατος*· „*ἀρείφατον λῆμα*· *ἀντὶ τοῦ Ἄρει ἐοικός* . *Αἰσχύλος Νεανίσκοις*" (Nauck, fragm. trag. p. 36 N. 143). Exemplum Aeschyleum — si quidem rectum est — docet, iam antiquis temporibus hanc vocem male intellectam esse; cuius falsae interpretationis qui auctores fuerunt, iis fortasse voces a radice *φα* derivatae (*φήμη*, *φάτις*) in mente erant, ut vis esset: „bello clarus" (cf. *φατοί* Hes. Opp. 3): neque exemplum Homericum *λ* 41 eiusmodi est, ut plane abhorreat ab hac explicatione. Cf. infra in cap. III[b] *μελανήφατος*.

ἀριπρεπής: Arg. 798 *εἶδος*. Eadem coniunctio invenitur *ϑ* 176; aliis locis variis nominibus adiectum.

ἄσπετος: Arg. 998 *αἰθήρ*: *Π* 300; aliis locis variae coniunctiones.

Βύκτης: Arg. 126 *ἀέλλαις*, 1108 *ἀνέμων*, quod idem *κ* 20 invenitur.

Γλαυκῶπις: Arg. 697 *Ἀθήνη*. A. H. frequentissimum Minervae epitheton, ut *Α* 206, *α* 44.

Δαΐφρων: Arg. 1196 *Μουσαῖε*. A. H. epitheton usitatissimum, plerumque virorum fortium: „pugnae peritus", „bellicosus". Sed iam uno Iliadis loco et compluribus Odysseae, ut Argonauticorum loco, significationem attenuatam haec vox habet: „*φρόνιμος*": *Ω* 325 Idaeus, Priami praeco, sic vocatur, *ϑ* 373 Polybus artifex, *ζ* 256, *ϑ* 8. 13 Alcinous rex minime bellicosus, *ο* 356 Laertis uxor; quare etiam *δ* 687 *Τηλεμάχοιο δαΐφρονος* sic intellegendum videtur. Contra Hesiod. Opp. 654 ut Amphidamantis epitheton genuinam vim habere videtur.[1])

δασπλῆτις: Arg. 872 *Ἐριννύς*. Idem *ο* 234.

δινήεις: Arg. 794 *Φᾶσιν*. A. H. frequens fluviorum epitheton, ut *Β* 877 *Ξάνθον*, *ζ* 89 *ποταμόν*.

Ἑανός: Arg. 880 *λῖτι καλυψαμένη ἑανῷ* (Medea). Notanda est alterius syllabae correptio, quae ab usu Homerico abhorret. Apud Homerum enim, si haec vox adiectivi vi usurpatur (*Ε* 734, *Θ* 385 *πέπλον*, *Σ* 613 *κασσιτέροιο*, *Σ* 352, *Ψ* 254 *ἑανῷ λῖτι κάλυψαν*), producitur secunda syllaba, si substantivi (*Γ* 385 *νεκταρέου ἑ.*, *Γ* 419 *ἑ. ἀργῆτι φαεινῷ*, *Ξ* 178 *ἀμβρόσιον ἑ.*, *Φ* 507 *ἀμβρόσιος ἑ.*), corripitur.[2]) Haec lex etiam ab Apollonio Rhodio observatur, qui *ἑανός* IV, 169. 1155. 1189 pro substantivo adhibet. Argonauticorum autem scriptorem, cum eam non secutus sit, eorum grammaticorum sententiam secutum esse probabile est, qui alteram huius vocis syllabam ancipitem esse putarent, sive substantivi sive adiectivi vim haberet.[3]) Multo difficilior est ad explicandum alter locus apud poetam nostrum, ubi *ἑανός* legitur:

1228 *λῖτι καλυπτομένην ἑανῷ δ' ἄμπισχε παρειάς* (sc. Medea). Sic deteriores codices *ΑΠΦ*; *δὲ σχέθε* LS, *δ' ἔσχε* VR. Hermannus conicit *δέ οἱ εἶχε*, ut *ἑανῷ* hoc loco aliud significetur

---

[1]) Cf. Buttmann, lexil. I p. 200 sqq.

[2]) Hoc primus Clarkius ad *Γ* 385 observavit.

[3]) Hoc re vera nonnullos putasse, efficitur ex Etym. M. p. 308, 15: „*τὸ α μακρὸν καὶ βραχὺ κατὰ ποιητικὴν ἄδειαν*".

vestimentum quam λἶτι; similiterque Wielius ἄμφισχε, Schenkelius (et Abelius) ἄμπισχε. Hoc omni probabilitate carere puto propter Arg. 880, ubi ἑανῷ ut adiectivum cum λἶτι coniungitur. Quamquam v. 880 restitui posse „ἑανῷ τ' ἀνὰ νύκτερον ὄρφνην" — magna quidem cum dubitatione — dicit Hermannus; sed hoc ab artis criticae legibus abhorrere nemo negabit. Equidem igitur conicio:

λἶτι καλυπτομένην ἑανῷ, κατὰ δ' ἔσχε παρειάς: „eoque (scil. velamine) genas obvolvit." Facile enim ex antecedentibus verbis significatio velaminis, quo verbum κατέχειν accuratius definitur, audiri potest. Cf. etiam *T* 419 βῆ δὲ κατασχομένη ἑανῷ ἀργῆτι φαεινῷ, quem locum nostro poetae ob oculos versatum esse non caret probabilitate.

εἰλάτινος: Arg. 68 ἐρετμοῖς. Cf. β 424, ο 289 (ἱστόν), τ 38 (δοκοί), *Ξ* 289 (ὄζοισιν).

εἰνοσίφυλλος: Arg. 389 Πήλιον. Eiusdem montis epitheton *B* 757, λ 316; Neriti montis *B* 632, ι 22.

ἑκατηβόλος: Arg. 1 ἑκατηβόλε omisso Apollinis nomine. In Iliade frequens Apollinis epitheton, ut *A* 75; in Odyssea uno loco: ϑ 339.

ἑκηβόλος: Arg. 1364 Παιάν, h. e. Apollo. Iterum ac saepius in Iliade de eodem deo, ut *A* 14.

ἐπήρατος: Arg. 111 ἄντρον. Cum eodem substantivo coniungitur v. 103. 347; aliis locis cum variis.

ἐπίφρων: Arg. 197 μῆτιν. Idem τ 326; βουλῇ γ 128, βουλήν π 242.

ἐπιχϑόνιος: Arg. 38 substantivi vi = ἄνϑρωπος. A. H. frequenter cum ἄνϑρωπος coniunctum, ut *A* 266, α 167. Sed iam tribus locis *Ω* 220, ρ 115, ω 197 pro substantivo adhibetur.

ἐρίβωλος: Arg. 132 Φϑίῃ. Eiusdem regionis epitheton *I* 363, sed cum aliis quoque nominibus saepius coniungitur.

ἐρίηρες: Arg. 839 ἑταῖροι, 1216 ἑταίρους. Haec coniunctio a. H. sollemnis est: cf. *Γ* 47, ι 100.

ἐρισϑενής: Arg. 330 βασιλήων. A. H. semper Iovis epitheton: *N* 54, *T* 355, *Φ* 184, ϑ 289. Sic etiam in Hesiodi carminibus et hymnis homericis. Sed iam apud Apoll. Rh. liberius: *I* 41 Λαπιϑάων, 543 ἀνδρῶν.

εὔβοτος: Arg. 1141 Hermioneae urbis epitheton. Semel a. H.: ο 406 de Syria insula. Apoll. Rh. III, 1086 *γαῖα*, Callim. hymn. in Del. 164 *νῆσος*.

ἐύγναμπτος: Arg. 498 *ἀγκύρας*. Cf. σ 294 *κληῖσι*.

εὐειδής: Arg. 163 *Μελέαγρον*. Cf. *Γ* 48 *γυναῖκα*.

εὐεργής: Arg. 609 *εὐεργέα νῆα*. Idem ϑ 567, ι 279, λ 70. 106, μ 305, ο 33. Nominativi forma *Ω* 396.

ἐυμμελίης: Arg. 864 *Ἄργος*. A. H. cum aliorum virorum fortium epitheton, tum Priami, ut *Δ* 165.

ἐύννητος: Arg. 511 *χιτῶνας*. Cum eodem substantivo coniunctum *Σ* 596, *Ω* 580; η 97 *πέπλοι*.

εὔξεστος: Arg. 571 *πλατέεσσιν* [Sic enim — contra sententiam editorum inde ab Hermanno — recte melioribus libris traditum esse mihi videtur], 899 *μύδροισιν*. A. H. variorum nominum epitheton, ut H 5 *ἐλάτῃσιν*, δ 48 *ἀσαμίνθους*.

εὔπωλος: Arg. 60 *Θεσσαλίην*, 71 *Θρῄκην*. A. H. semper Ilii epitheton: *E* 551, *Π* 576, β 18, ξ 71.

εὔπυργος: Arg. 148 *Ταναγρης*. A. H. semel: *H* 71 *Τροίην*.

ἐυρρείτης: Arg. 786 *ποταμοῖο* [sic LV, *εὐρρύτου* SV *ΠΦ*]. Cf. *Z* 34 *Σατνιόεντος*, ξ 257 *Αἴγυπτον*.

εὔσελμος: Arg. 100 *νηΐ*. A. H. frequens navium epitheton, ut *B* 170, β 390.

εὔστρεπτος: Arg. 241 *κάλωσι*. Similiter β 426, ο 291 *βοεῦσι*. Usitatior forma *εὐστρεφής* est.

εὔτυκτος: Arg. 614 *λάεσιν*. Cf. *T* 336, ξ 276 *κυνέην*; *Θ* 44, *N* 26 *ἱμάσθλην*; *K* 566 *κλισίην*.

Ζάθεος: Arg. 29 *Λῆμνον*, 468 *Σαμοθρῄκην*. Non nisi in Iliade urbium a dis magnopere amatarum epitheton: *A* 38. 452, *B* 508. 520, *I* 151. 293.

Ἠγάθεος: Arg. 44 *Μέμφιν*, 474 *Λήμνῳ*. A. H. eadem vi qua *ζάθεος* adhibetur, sed saepius, ut *A* 252, β 308.

ἠεροειδής: Arg. 395 *αὐλήν* „caliginosus". A. H. plerumque de mari, ut *Ψ* 744, β 263; sed etiam de aliis rebus: cf. μ 80 *σπέος*, ν 103. 347 *ἄντρον*.

ἠερόφοιτος: Arg. 47 *δήιος οἶστρος*: „per aerem vagans".[1]) A. H. bis: *I* 571, *T* 87 *Ἐρινύς*. Posteriores poetae,

---

[1]) Cf. Apoll. Rh. III, 1151 et Eschenbachii adn. ad Arg. 47.

imprimis Orphici rursus susceperunt, sed liberius utuntur: hymn. Orph. LI, 5 *νύμφαι*, LXXXI, 1 *αὖραι*, IX, 2 *μήνη*. Christod. ecphr. 129 *ἀηδών*.

ἠλίβατος: Arg. 2 *κορυφῆς*, 264. 708 *πέτρας*. A. H. saepius rupium epitheton, ut *O* 273, *ι* 243.

ἠνεμόεις: Arg. 371 *κολώνη*, 1290 *Κύπρον*, 1378 *Ταίναρον*. Cf. *B* 606 *Ἐνίσπην*, *γ* 172 *Μίμαντα*, et saepius urbium et montium epitheton.

ἠριγένεια: Arg. 369. 1190 substantivi vim habet, auroram significans. Tribus in Iliade locis: *A* 477, *Θ* 508, *Ω* 787 exstat, sed cum *ἠώς* coniunctum. Saepius in Odyssea, atque uno quidem loco *ψ* 347 sine *ἠώς* legitur (*χρυσόθρονον ἠριγένειαν*). Apud Hesiodum non nisi Theog. 381 invenitur, ubi pro substantivo adhibetur.

Θεοειδής: Arg. 1322 *Ἀλκίνοος*. Frequens a. H. virorum epitheton, ut *B* 623, *α* 113.

θεσπέσιος: Arg. 332 *φλόξ*. Frequens a. H. et de variis rebus, ut *B* 457 *χαλκοῦ*, 600 *ἀοιδήν*, *β* 12 *χάριν*, *γ* 150 *ἠχῇ*.

θέσφατος: Arg. 181 *θέσφατον ὀμφήν*: „per deum pronuntiatus". Uno loco Iliadis: *Θ* 477, saepius in Odyssea, ut *δ* 461: *θέσφατόν ἐστιν*: „divino ore pronuntiatum est."

θυσανόεις: Arg. 816 *στεφάνη*. Cf. *P* 593, *Σ* 204 *αἰγίδα θυσανοέσσαν*.

θυώδης: Arg. 796 *θαλάμοιο*, 959 *ἀδύτοιο*. Cf. *δ* 121 *θαλάμοιο*, *ε* 264, *φ* 52 *εἵματα*.

Ἴκμενος: Arg. 628 *οὖρον*. Idem *A* 479, *β* 420, *μ* 149.

ἰχθυόεις: Arg. 340 *Γλαύκην*, 1042 *πόντον*, 718 *Τέμβριος*. Frequens maris epitheton a. H., ut *I* 4, *γ* 177; fluvii uno loco: *Y* 392 Hylli.

Καλλιπάρῃος: Arg. 506 *Αἰνήτῃ*. A. H. in Iliade frequens feminarum epitheton, ut *A* 143; in Odyssea non nisi *ο* 123, *σ* 321.

καλλιρέεθρος: Arg. 762 *Φᾶσιν*. A. H. uno loco: *κ* 107 *κρήνην*. Hesiod. Theog. 339 *Ἴστρον*, hymn. hom. in Apoll. I, 240 *Κήφισον*.

καλλίροος: Arg. 660 *Φᾶσιν*. Cf. *ε* 441 *ποταμοῖο*, *X* 147 *κρουνώ*, *ρ* 206 *κρήνην*, *B* 752, *M* 33 *ὕδωρ*.

κοῖλος: Arg. 528 *νηός,* 358 *νηὸς κοῖλον κύτος*. A. H. frequenter usurpatur de nave, ut *A* 26, *β* 18.

κυανοχαίτης: Arg. 347 *Κρονίδην,* i. e. Neptunus. A. H. iterum ac saepius huius dei epitheton, ut *N* 563, *γ* 6.

κωπήεις: Arg. 321 *ἄορα*. Cf. *φάσγανα* *O* 713, *ξίφει* *Π* 332, *Υ* 475.

Λαιψηρός: Arg. 113 *πόδεσσιν,* 342 *ἀνέμους,* 1300 *ἀνέμοισιν*. In Iliade et ventorum epitheton, ut *Ξ* 17 *ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα,* et genuum, ut *K* 358; ac saepius.

λιγύς: Arg. 363 *οὖρον,* 1246 *οὖρος*. Cf. *γ* 176 *ὦρτο δ' ἐπὶ λιγὺς οὖρος ἀήμεναι,* quo loco comparato Hermannus *ἀήτης,* quod v. 1246 traditum est, in *ἀήμεναι* recte mutasse videtur. *O* 620 *ἀνέμων*; aliis locis (*A* 248, *B* 246, *T* 82) de oratore.

Μέλας: Arg. 269 *νηὶ μελαίνῃ,* 484 *νῆα*. Frequens de navibus a. H., ut *A* 141, *β* 430.

μελίγηρυς: Arg. 73 *ἀοιδήν*. A. H. uno loco exstat: *μ* 187 *ὄπα*. Hymn. h. in Apoll. I, 519 *ἀοιδήν*; lyrici quoque poetae nonnulla praebent exempla.

μελιηδής: Arg. 407 *οἶνου,* 1118 *φορβά,* 620 *νόστον*. A. H. frequens vini epitheton, ut *Z* 258, sed etiam vi metaphorica: *λ* 100 *νόστον,* *τ* 551 *ὕπνος*.

μενεχάρμης: Arg. 217 *Ἀστέριος*. A. H. virorum fortium epitheton, ut *I* 529. Uno loco forma *μενέχαρμος* invenitur: *Ξ* 376 *ἀνήρ μ.*

μενοεικής: Arg. 1207 *δῶρα*. A. H. plerumque de cibo potoque, ut *I* 90 *δαῖτα,* *ε* 166 *οἶνον*; sedetiam *ὕλην*: *ψ* 139; *ληΐδα* *ν* 273; *θήρην* *ι* 158.

μέροψ: Arg. 64 *μερόπων* (sine *ἀνθρώπων*). A. H. semper ut adiectivum cum *ἀνθρώπων* coniungitur. Substantivi loco primum adhibetur in Batrachomyomach. v. 5: *μερόπεσσιν*. Deinde apud recentiores poetas, qui multis epithetis, quae Homerus substantivis adicere solet, pro substantivis utuntur.[1]) Cf. Apoll. Rh. IV, 536, Paul. Sil. in Anthol. Pal. VII, 563. Inusitatius Manetho IV, 577 singularis formam *μέροψ* habet.

---

[1]) Cf. O. Schneider in Philol. t. XXIII p. 427 sqq.

Νιφόεις: Arg. 1291 *σκοπέλου*. A. H. quoque montium epitheton: *Ξ* 227, *τ* 338 *ὄρεα*, *N* 754 *ὄρει*, *Y* 385 *Τμώλῳ*, *Σ* 616 *Ὀλύμπου*.

νήδυμος: Arg. 540 *ὕπνος*. A. H. cum eodem nomine saepe coniungitur, ut *B* 2, *δ* 793.

νώνυμνος[1]): Arg. 839 *νώνυμνοι ἑταῖροι* [vulgo *νώνυμοι*, quod metro non aptum est]. 1167 de Argo nave (cf. p. 80 sqq.). Eadem vi a. H. adhibetur, ut *M* 70 *νωνύμνους ἀπολέσθαι . . . Ἀργείους*, *α* 222 *γενεήν*.

Οὖλος: Arg. 779 *ὄνειρον*. Cf. *B* 6 et *B* 8 *ὄνειρε*. Arg. 960 *οὖλα πλάσματα* [VS*Π* *οὖλα π.*, LR*ΑΦ* *οὐλαοπ.*]. Hic epitheton *οὖλος* idem mihi significare videtur quod *δεινός*: *δεινὰ* sunt *πλάσματα* propter venena a Medea (cf. v. 958) iis iniecta, quibus terribilissimae illae inferorum deae exsuscitantur. Cf. *P* 756. 759 *οὖλον κεκλήγοντες* de ingenti sturnorum et Troianorum clamore, ubi genuina significatio „perniciosus" (a radice *ὀλ-ὄλλυμι*, valde iam attenuata est. Cf. etiam Hesych. *οὖλος Ἄρης* (*E* 461). *ἀντὶ τοῦ ὀλετήρ· δεινός*. Plura invenies exempla apud Dindorf. in thes., quibus satis explicantur *οὖλα π.* Arg. 960. Ceterum Hermannus scripsit: *οὐλοπλάσματ'*, quod probatur Abelio, fortasse recte: cf. Hilberg, Princip der Silbenwägung p. 20 sqq. (Nescio tamen an Pseudo-Orpheus in talibus rebus contra meliorum poetarum usum peccare potuerit.)

Παναίολος: Arg. 586 *κρητῆρα*. A. H. de variis rebus: *Δ* 215, *K* 77, *Λ* 236 *ζωστῆρα*, *Δ* 186 *ζωστήρ*, *Λ* 374 *θώρηκα*, *N* 552 *σάκος*.

Πανομφαῖος: Arg. 663 et 1306 Iovis epitheton. Idem iam uno loco Homerico: *Θ* 250.

περιμήκετος: Arg. 898 *ἕρκος*. Cf. *Ξ* 287 *ἐλάτην*, *ζ* 103 *Τηΰγετον*.

πετρήεις: Arg. 135 *Ἀλόπῃ ἐνὶ πετρηέσσῃ*. A. H. quoque de regionibus dicitur: *B* 496. 519. 640, *I* 405, *δ* 844.

πλησίστιος: Arg. 760 *Ἀργώ*, „plenis velis currens". Ho-

---

[1]) Quamquam haec vox non epitheton est, tamen, quod ad Homeri imitationem attinet, hoc loco aptissime eam afferre me posse putavi.

merus duobus locis: λ 7, μ 149 de vento dicit, „qui vela implet", i. e. activa significatione. Passiva, ut in Argonauticorum loco, invenitur nonnumquam in pedestri oratione: cf. Plut. Cat. 3 de Scipione: πλησίστιος εἰς τὸν πόλεμον φερόμενος: „plenis velis, i. e. magna eum fiducia in bellum profectus".

πολυδαίδαλος: Arg. 72 χέλυν, 584 ἔργον Ἀθήνης. Cf. Γ 358 θώρηκος, ξ 15 θάλαμον et aliis a. H. locis de variis rebus.

πολυήρατος: Arg. 75 ἄντρον. Cf. λ 275 Θήβη, ο 126 γάμου, 366 ἥβην, ψ 354 εὐνήν.

πολύμηλος: Arg. 199 Ἀρκαδίης. Similiter Β 605 Ὀρχομενόν; sed etiam de personis: Β 705, Ξ 490.

πολύμητις: Arg. 127 πολυμήτιδι τέχνῃ, 426 πολύμητιν Ἔρωτα. A. H. frequentissimum Ulixis epitheton, ut Α 311, β 173; semel Vulcani: Φ 355 πολυμήτιος Ἡφαίστοιο.

πολύπυρος: Arg. 153 ἄρουραν. Cf. ξ 335, π 396, τ 292, ubi Dulichium sic vocatur, ο 406 Συρίη (insula), Λ 756 Βουπρασίου, Ο 372 Ἄργει.

πολύρρηνος: Arg. 78 Κικόνεσσιν. Duobus locis Homericis Ι 154. 296 ἄνδρες πολύρρηνες; forma πολύρρηνος, ut apud nostrum poetam, λ 257 de Peleo.

πολυσπερής: Arg. 5 βροτοῖς. Cf. Β 804 πολυσπερέων ἀνθρώπων, λ 305 -έας -ους. πολυσπερέεσσι βροτοῖσι invenitur etiam apud Quint. S. XIII, 339.

ποντοπόρος: Arg. 53 νηΐ, 1105 νηῦς. Saepius a. H. de nave, ut Α 439, ξ 295. Idem versus finis qui Arg. 1105 invenitur μ 69, ν 95. 161, ξ 339.

Ῥωγαλέος: Arg. 404 στιβάδεσσιν; „lacer". A. H. non nisi de vestimentis dicitur: Β 417 χιτῶνα, ν 435, ξ 343 ῥάκος ἠδὲ χιτῶνα, ν 438, ρ 198, σ 108 πήρην.

Ταναήκης: Arg. 1131 Ἄλπεις; „longe protensus". RLS ταναήκεες, VΑΠΦ τανυήκεες exhibent. A. H. utraque forma invenitur: ταναήκης Η 77, Ψ 118, Ω 754, δ 257 (χαλκῷ); τανυήκης: Ξ 385. Π 473, κ 439, λ 231 (ἄορ), χ 443 (ξίφεσιν), Π 768* (ὄζους). Utrumque igitur epitheton de rebus dicitur, quae protensam habent aciem. Quare illo Argonauticorum loco non nisi codicum auctoritate diiudicari potest, utra lectio sit

vetustior, probaturque mihi ταναήκεες, quod tres libri melioris familiae exhibent.

τανύφλοιος: Arg. 173 ἐλάτῃσιν, 610 ἐλάτῃ. A. H. uno loco invenitur: *Π* 767 κράνειαν.

τανύφυλλος: Arg. 593 ἐλαίης. Eiusdem arboris epitheton a. H.: ν 102. 346, ψ 190. 195.

τερπικέραυνος: Arg. 428 *Δία*. Idem versus finis π 232; aliae formae aliis locis Homericis.

τερψίμβροτος: Arg. 1052 ἠώς. Semel a. H.: μ 269* τ. ἠελίοιο, ubi codices inter τερψιμβρότου et φαεσιμβρότου discrepant; τερψιμβρότου ἠελίοιο invenitur etiam hymn. hom. in Apoll. I, 411.

τετράγυος: Arg. 874 αὖλακι [codd. τετραγύον, emend. Ruhnk.]. Cf. η 113 ὄρχατος et σ 374, ubi nullum substantivum adicitur.

τριγλώχιν: Arg. 643 ὀιστούς, „tricuspis", 1257 νῆσον, „tres angulos habens". Sagittae epitheton etiam *Ε* 393, *Λ* 507; de insula usurpat etiam Apoll. Rh. IV, 310.

Ὑγρός: Arg. 1106 κέλευθα de mari, ut γ 71, δ 842, ι 252, ο 474. Arg. 319 ἔλαιον, ut *Ψ* 281, ζ 79. 215, η 107.

Χειμέριος: Arg. 500 ἀέλλαις [LR ἀέλλαις, VS*ΑΠΦ* ἀήταις]. Cf. χειμέριαι ἄελλαι *Β* 294, νιφάδεσσιν *Γ* 222, ἤματι *Μ* 279, ὕδωρ *Ψ* 420, ὥρῃ ε 485.

χρυσάωρ: Arg. 141 *Φοίβῳ*. Apollinis epitheton etiam *Ε* 509, *Ο* 256; sed secundae declinationis formae χρυσαόρου et χρυσάορον adhibentur. Cf. autem Hesiod. Opp. 771 et hymn. hom. in Apoll. I, 123 (χρυσάορα).

Ὠκύαλος: Arg. 473 νηῦν. Navis epitheton etiam *Ο* 705, μ 182, ο 473.

ὠκύπους: Arg. 306 ἵπποις ὠκυπόδεσσιν. In Iliade saepius equorum epitheton, ut *Β* 383, in Odyssea duobus locis σ 263, ψ 245 invenitur.

Hunc magnum hemistichiorum locutionum vocabulorum Homericorum numerum qui consideraverit, Argonauticorum scriptorem diligentissime Homerum legisse non negabit. Notandum etiam est, pleraque eum epitheta eadem vi, de iisdem rebus

atque Homerum adhibuisse, cum recentissimi epici, imprimis Nonnus, vel maxime epithetis vehementer abusi sint.[1] Significationibus ab Homericis prorsus diversis usurpantur *πλησίστιος* et *ἀρηΐφατος*; de *ἀνάπυστος* autem hoc mihi non videtur. Neque permulta sunt verba, quae in Homeri carminibus non nisi uno duobusve locis inveniuntur, cum recentiorum epicorum orationis proprium sit, quod talia potissimum ex Homero desumpserunt. A prosodia Homerica in una voce *ἑανός* recedit noster poeta. Atque haec quidem diligens Homeri imitatio fortasse veteriores philologos, qui de hoc carmine scripserunt, adduxit, ut aetatem ei tam vetustam vindicarent[2]), nimis neglectis iis, quae spuriae dictionis propria singulariaque in eo reperiuntur.

Cap. II.

De imitatione posteriorum epicorum.

§ 1. Hesiodus.

Hesiodum, poetam apud recentiores epicos multo minus notum cultumque, quam Homerum, a Pseudo-Orpheo lectum esse clare elucet e descriptione Macrobiorum, in qua Argonauticorum scriptor Hesiodeam illam de hominibus aureae aetatis narrationem paene iisdem verbis expressit.

Cf. Hesiod. Opp. 112—119	Arg. 1112—1123
Ὥστε θεοὶ ἔζωον ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες	*Μακροβίων, οἳ δὴ πολέας ζώουσ' ἐνιαυτούς,*
νόσφιν ἄτερ τε πόνων καὶ ὀιζύος, οὐδέ τι δειλὸν	*δώδεκα χιλιάδας μηνῶν ἑκατονταετήρων*[3])

---

[1]) Cf. Kreutz, de differentia orationis Homericae et posteriorum epicorum, maxime Nonni in significatione epithetorum. diss. Regimont. 1863. Bintz, de usu et significatione adiectivorum epicorum apud Nonnum Panopolitanum. diss. Hal. 1865.

[2]) Mirum est, etiam Ruhnkenium, virum summi acuminis, tam perverse hac in re iudicasse. Cf. epist. crit. II p. 264: „orationis forma Homericam refert, sic tamen, ut pauca(!) singularia in ea notentur.“

[3]) *ἑκατονταετήρων* codicum lectio a Wielio recte defensa; Hermannus *ἑκατονταετήρους*. Cf. cap. III[a] sub voce *ἑκατονταέτηρος*.

γῆρας ἐπῆν, αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὅμοιοι	πληθούσης ἥβης[1]) χαλεπῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων·
τέρποντ' ἐν θαλίῃσι κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων·	αὐτὰρ ἐπὴν ἥβης τὸ πεπρωμένον ἐξανύσωσιν,
θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι· ἔσθλα δὲ πάντα	ὕπνῳ ὑπὸ γλυκερῷ θανάτου μάρπτουσι τελευτήν.
τοῖσιν ἔην· καρπὸν δ' ἔφερεν ζείδωρος ἄρουρα	Οὐδ' ἄρα τοῖσι μέλει βίοτος καὶ ἔργ' ἀνθρώπων,
αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον· οἱ δ' ἐθελημοὶ	ποίαις δ' ἐν μεσάταις μελιηδέα φορβὰ νέμονται
ἥσυχοι ἔργ' ἐνέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν.	ἔρσῃ ὑπ' ἀμβροσίῃ θεῖον ποτὸν ἐξαρύοντες,
	πάντες ὁμῶς στίλβοντες ὁμηλικίην ἐρατεινήν.
	Μειλιχίη δέ οἱ αἰὲν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε γαλήνη
	παίδεσιν ἠδὲ τοκεῦσιν, ἐπιφροσύνη[2]) δὲ νόοιο
	αἴσιμά τε ῥέζειν πεπνυμένα τ' ἐξαγορεύειν.

Vides, ea, quae de hominibus aureae aetatis dicat Hesiodus, non eodem ordine praedicare de Macrobiis nostrum poetam, sed nullam maiorem virtutem illis hominibus ascriptam occurrere apud alterum poetam, quae desit apud alterum. Notandum etiam est, Hesiodeum illud *κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων* (v.115), quod omnes virtutes quasi complectitur, iisdem paene verbis a nostro poeta receptum esse (Arg. 1114 *χαλεπῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων*), ut vel ex uno illo imitatio Hesiodi concludi possit. Quae confirmatur aliis hemistichiis et vocabulis ex Hesiodo desumptis. Atque **hemistichia** quidem haec sunt.

γλαυκώπιδι Τριτογενείῃ Arg. 494. Apud Homerum et *γλαυκῶπις* ut Minervae epitheton frequenter usurpatur, et *Τριτογένεια* quattuor locis (*Δ* 515, *Θ* 39, *X* 103, *γ* 378) eadem dea appellatur; sed ambo epitheta coniuncta occurrunt primum apud Hesiodum: Theog. 895 *γλαυκώπιδα Τριτογένειαν.*

ἓξ γὰρ χεῖρες ἑκάστῳ ἀπ' ὤμων αἴσσοντο Arg. 519

---

[1]) *ἥβης* recte, ut mihi videtur, Wielius; codd. et Herm. *μήνης*; etiam in sequente versu pro tradito *μήνης* Wielius *ἥβης* restituit; Schneiderus et Hermannus *μῆκος*.

[2]) Codd. *ἐπὶ φρεσὶν ἠδὲ νόοιο*, Herm. *ἐπεὶ φρεσὶν οἶδαν ἑοῖσιν*, Wielius *ἐυφροσύνη τε νόοιο*, melius Abelius, sic, ut scripsi.

de Arctoeorum montium incolis gigantibus similibus dicitur. Imitatio haec est sine dubio versus Hesiodei (Theog. 150): *τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων αἴσσοντο,* qui ad gigantes ipsos pertinet. Sex bracchia, non centum, noster poeta illis hominibus vindicat, ut Apoll. Rh. I, 944: *ἓξ γὰρ ἑκάστῳ χεῖρες ὑπέρβιοι ἠερέθονται.*

ἐπιχθονίοις μέγ' ὄνειαρ Arg. 38. Idem Hesiod. Opp. 822. Similiter Theog. 871 *θνητοῖς μέγ' ὄνειαρ.* Simplex *μέγ' ὄνειαρ* iam *δ* 444 invenitur.

Voces autem has censeo ex Hesiodo sumpta esse.

εὐρυβίης: Arg. 341 *Τρίτωνα,* 1267 *Πηλῆα.* Cf. Theog. 931 *Τρίτων εὐρυβίης* et Theog. 239 *Εὐρυβίην,* nomen proprium dei alicuius marini. Tritonis epitheton est etiam Apoll. Rh. IV, 1552.

εὐρύστερνος: Arg. 425 *γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν.* Cf. Theog. 117 *γαῖ' ε.* Apud recentiores poetas cum aliis substantivis coniungi solet. Cf. Orph. Lith. 542 *Ἀτρυτώνη,* Christod. ecphr. 65 *Κυανοχαίτης.*

ἰδμοσύνη: Arg. 612 *ξέσσε δ' ἐπισταμένως βρέτας ἱερὸν ἰδμοσύνῃσιν,* 1239 *Ὀρφέως ἰδμοσύνῃσιν.* Raro usurpatur haec vox. Apud antiquiores non exstare videtur nisi uno loco Hesiodeo: Theog. 377 *μετέπρεπεν ἰ.* Praeterea cf. Crinagoras app. Plan. 273,2, ubi singularem legimus. (Adiectivum *ἴδμων* iterum ac saepius apud Nonnum invenitur: cf. Paraphr. e. J. VII, 56 *τέχνῃ,* ibid. VIII, 143 *βουλῇ,* ibid. IV, 160 *ἴδμονες ὡράων.*)

ὀμβριμόθυμος[1]: Arg. 417 *Κενταύρων ὀ.* Cf. Theog. 140 *Ἄργην ὀ.* Etiam hymn. hom. VII, 2, ubi haec vox de Marte usurpatur, certe ex Hesiodi imitatione fluxit. *Ὄβριμος* Homerica vox est.

ὑπέροπλος: Arg. 666 *πυγμαχίης ὑ.,* 811 *ἠνορέην,* 1297 *μορφήν.* Quamquam huius adiectivi neutrum iam apud Homerum usurpatur (*O* 185 *ὑπ. ἔειπεν,* *P* 170 *ἔειπες*), tamen cum substantivo primus coniungit Hesiodus: Theog. 619 *ἠνορέην ὑ.,* ut Arg. 811; 516 *ἠνορέης,* 670 *βίην*: ut Hesiodi illam in nostro carmine esse imitationem apertum sit.

---

[1]) Sic, non forma *ὀβριμόθυμος* legitur in codd.

§ 2. Hymni Homerici.

Ex his quae desumpta esse admodum probabile sit, duo tantummodo in Argonauticis inveni.

Ῥέη λιπαροκρήδεμνος Arg. 628 altera est versus pars. Eodem modo versus finitur in hymn. hom. in Cer. 460. Epitheton λιπαροκρήδεμνος exstat iam uno loco Homerico *Σ* 382, ubi *Χάρις* sic dicitur. Praeterea Proserpinae epitheton est in hymn. h. in Cer. 25. 439.

ὀιζυροῖο πόνοιο Arg. 687. 940 versus finis est, ut in hymn. hom. in Diosc. (XXXII), 17. Vox *ὀιζυρός* saepius apud Homerum invenitur; exstat etiam *ὀιζυροῖο γόοιο* *ϑ* 540 in altera versus parte, ibique cod. *M* (secundum Larochium) *πόνοιο* exhibet — quod quidem huic loco non aptum est —: ut dubites, utrum Argonauticorum scriptor illum hymnorum locum imitatus sit an exemplar carminum Homericorum habuerit, quod ex eadem recensione qua codex *M* fluxerit.

Nullum igitur horum exemplorum eiusmodi est, ut ex eo pro certo effici possit, nostro poetae hymnos Homericos notos fuisse.[1])

Etiam de voce *ῥοδόπηχυς* (Arg. 160 *Ἀλϑαίη,* 1322 *Ἀρήτῃ*) incertum est, utrum ex Hesiodo fluxerit (Theog. 247 *Εὐνείκη,* ibid. 251 *Ἱππονόη*), an ex hymn. hom. in sol. (XXX) 6, ubi *ἠῶ ῥοδόπηχυν* legitur; prius probabilius est.

§ 3. Apollonius Rhodius.

Cum Pseudo-Orpheum in narratione Argonauticorum Apollonii Rhodii carmen ante oculos habuisse ex variis locis magna cum probabilitate effici possit, ex verborum copia quoque, qua ille

[1]) A. Ludwichius in commentatione, quam nuper edidit, „Streifzüge in entlegenere Gebiete der griechischen Litteraturgeschichte“ (Koenigsberger Studien t. I p. 63 sqq.) ex variis proprietatibus et ad narrandi genus et ad rem metricam pertinentibus, quae Argonauticis communes sunt cum hymn. hom. in Liberum (*Διόνυσος ἢ λῃσταί*), colligit, utrumque carmen, si non eiusdem poetae, ad certe ex eadem disciplina profectum esse. Quam sententiam probabilitatem quandam habere concedo; poetam nostrum illum hymnum legisse certe probari non potest.

usus est, fructum eum cepisse exspectes, quoniam haec arcte cohaerere solent. Sed pauca huius rei exempla probabilia repperi.

καταΐγδην Arg. 1187; Arg. 1288, ubi codd. *καὶ ῥ' αἴγδην* exhibent, Schraderus recte restituit *καί ῥα καταΐγδην*, minus bene Hermannus *καί ῥά οἱ αἴγδην*. *Καταΐγδην* praeterea non nisi apud Apoll. Rh. I, 64 et Orph. Lith. 502 notavi; sed ex Apollonio nostrum desumpsisse verisimillimum mihi videtur; *αἴγδην* Apoll. Rh. II, 826.

ἀπροφάτως: Arg. 626. 668. Hoc adverbium fere non nisi apud Apollonium legitur, sed ibi frequenter. Cf. I, 1201, II, 580, III, 1117, IV, 1005.

ἐπαρηγόνα μόχθων Arg. 89 et Arg. 350 *ἐπαρηγόνες ἄθλων*, ut Apoll. Rh. I, 32, III, 1211 *ἐπαρωγὸν ἀέθλων*; *ἐπαρωγός* iam uno loco Homerico exstat: *λ* 498, sed absolute positum.

ἐπ' ἀλλήλοις βάλον ὄσσε Arg. 812. Haec verborum coniunctio: *βάλλειν ὄσσε* „oculos convertere" usitatissima est apud Apollonium: I, 726. 790, III, 1008, IV, 726. 1467. Cf. etiam III, 1023 *βάλλον ὀπωπάς*, 288 *βάλλεν ἀμαρύγματα*. Apud alios scriptores non inveni.

νήνεμον ἀκτήν Arg. 546. 1134, ut Apoll. Rh. II, 162 *νήνεμος ἀκτή*. Aliis locis hoc epitheton de litore non invenitur. Apud Homerum semel exstat: *Θ* 556 *αἰθήρ*.

νηὸς ἀποπροθορόντας Arg. 547 [quamquam enim in codicibus *ἄπο προθορόντας* legitur, tamen sine dubio recte coniunxit Schneiderus.], ut Apoll. Rh. III, 1280 *νηὸς ἀποπροθορών*. Etiam Arg. 452, ubi in libris exstat: *σπήλυγγος ἄπο προθορόντας*, Abelius recte restituisse mihi videtur *ἀποπροθορόντες*.

ὀλοὸν τέρας Arg. 931 draco vocatur, sicut idem Apoll. Rh. II, 820 de apro dicitur. Cum vero *ὀλοός* apud Homerum non ita rarum sit epitheton, quod cum aliis nominibus coniungi solet: *Ν* 629 *πῦρ*, *Ξ* 139 *κῆρ*, *ξ* 313 *ἀνέμοισιν*, et saepius: hoc non certum imitationis Apollonii exemplum esse concedo.

ὄπα λείριον (*ἐξελόχευσα*) Arg. 255 de Orpheo dicitur. Similiter Apoll. Rh. IV, 903 (*ἵεσαν ἐκ στομάτων*) *ὄπα λείριον* de Sirenis. Aliis locis adiectivum *λείριος* non invenitur (si

omittimus Pind. Nem. VII, 79 (Momms.): *λείριον ἄνθεμον*, ubi genuina vis exstat). Apud Homerum bis *λειριόεις* legitur, quod eandem habet vim, quam *λείριος*, et ab eadem radice derivatum est: *Γ* 152 *ὄπα λειριόεσσαν*, *N* 830 *χρόα λειριόεντα*; similiterque Hesiod. Theog. 41 *ὀπὶ λειριοέσσῃ*.

§ 4. Quintus Smyrnaeus.

Quae inter Argonauticorum et Quinti Smyrnaei dictionem — quantum ad vocabulorum thesaurum pertinet — ita congruentia inveni, ut ex communi fonte ea fluere potuisse non bene iudices, pauca sunt.

βαθυσκόπελος: *βαθυσκόπελοί τε κολῶναι* Arg. 641, *Οὐλύμπου β.* 466. Hoc adiectivum compluribus locis Quinti legitur, ut I, 316, V, 372 *βήσσης*; III, 104 *βαθυσκόπελοί τε κολῶναι* altera versus pars est, ut Arg. 641.

χρυσήνιος Ἠώς Arg. 565, ut Quint. V, 395; *χρυσήνιος* iam apud Homerum legitur, sed ut aliorum deorum epitheton: *Z* 205 *Ἄρτεμις*, *ϑ* 285 *Ἄρης*. Procl. hymn. in sol. 1 (ed. Abel.) *χ. Τιτάν*.

εὐθαλής: Arg. 751 *εὐθαλέες λειμῶνες* [LVRS *εὐθαλέα λειμών*, *ΑΠΦ εὐθαλής*, emend. Herm.] alterum hemistichium est, ut Quint. V, 77; *δένδρεσιν εὐθαλέεσσιν* Arg. 915. Apud alios poetas hoc adiectivum raro invenitur cum aliisque substantivis coniunctum.

ὑπεξεπέρησε Arg. 69 (*ναῦς ἁλιμυρέα βένθη*). Cf. Quint. V, 246 *πόντον ναῦται ὑπεκπερόωσιν*. Aliis locis hoc verbum non invenitur.

Haec etsi non magis pro certis argumentis haberi posse concedo, quam ea, quae Hermannus attulit, ut Pseudo-Orpheum post Quintum vixisse demonstraret, sed probabilitatis tantummodo vim habere posse: tamen multo probabilius mihi videtur esse, Argonauticorum scriptorem tenui ingenio praeditum, et cuius carmen certe non in multorum usum initio venit, Quintum, poetam et sententiis et verborum copia multo locupletiorem, imitatum esse, quam hunc ex Orpheo illa desumpsisse.

§ 5. Hymni Orphici.

Nonnulla exstant in Argonauticis adiectiva composita, quae in aliis fere nullis litterarum Graecarum monumentis inveniuntur nisi in hymnis Orphicis.[1])

ἁγνοπόλος: Arg. 38 *καθαρμόν*. Hymn. Orph. XVIII, 12 *Δημήτερος*.

ἁγνοτελής: Arg. 551 *Θέμιν*. Cf. hymn. LIV, 4, ubi Sileni est epitheton.

αἰολόμορφος: Arg. 978 de Proserpina. Usitatissimum in hymnis epitheton: IV, 7 caelo tribuitur, XII, 3 Herculi, XV, 10 Iovi, XXXII, 11 Minervae, XXXVI, 12 Dianae, XXXIX, 5 Corybanti, L, 5 Libero, LX, 5 Gratiis, LXIX, 8 Eumenidibus. Praeterea Nonn. Paraphr. X, 15 *ποίμνη αἰολ.* invenitur.

ἀπροσόρατος: Arg. 776 de Pandora et Proserpina. Praeter Pind. Ol. II, 67 (Momms.) non nisi hymn. Orph. XXXIX, 2 *Κύρβαντα*.

εὐδύνατος: Arg. 17 *Βριμοῦς τ' εὐδυνάτοιο γονάς*. Frequens vox in hymnis: XXXIII, 1 *Νίκην*, XXXVIII, 20 *Κουρῆτες*, LXXIV, 2 *Λευκοθέην*, LXXVI, 6 *νόου*, ibid. 10 *θεαὶ* (*Μοῦσαι*), LXVII, 5 *λογισμόν*, LXXXIV, 1 *Κρόνου*.

πολυεθνής: Arg. 432 *ἀνθρώπων πολυεθνέα φύτλην*. Praeter nonnullos pedestrium scriptorum locos haec vox exstat in hymn. LXXVIII, 11: *εἰναλίων πολυεθνῶν*; quod sane parum certum exemplum est; idem valet de

πυριφεγγής: Arg. 215 *Ἠελίοιο*. Praeter nonnulla in Nonni Dionysiacis exempla, ut XXXVIII, 85 *δίφρου* (scil. solis), invenitur haec vox in hymn. Orph. LII, 9 ut Liberi epitheton; Procl. h. in Ven. 6 *αὐλάς*.

τυμβίδιος: Arg. 579 *ἀγῶνος*. Cf. hymn. I, 3 *Ἑκάτην*, LXXII, 5 *Ἄρτεμιν*.

Praeterea Arg. 1127 pro voce *πυριβρόμου* (*ἠελίοιο*) libris tradita Ruhnkenius

πυριδρόμου recte emendasse mihi videtur. Haec duo adiectiva aliis quoque locis in codicibus permutata inveniuntur: hymn. XX, 2 traditum est *πυρίδρομον* de Iove fulguratore

[1]) Ubi alios locos non attuli, vox non exstat nisi in hymnis Orphicis.

dictum; sed *πυρίβρομος* recte restituit Piersonius. Etiam hymn. LVIII, 2, ubi *πυρίδρομον* legitur de Amore, aptius est *πυρίβρομον*. *Πυρίδρομος* autem recte traditum est hymn. VII, 9 de stellis, VIII, 11 de sole.

His compositis cum ceteris huiusmodi vocibus, quae hymnorum Orphicorum propriae sunt, id fere commune est, quod abundantem quandam artificiosamque habent formationem; quam eorum quoque verborum propriam esse videbimus, quae ab Argonauticorum poeta inventa sunt. Ceterum verborum, quae in hac paragr. attuli, quis fuerit auctor, difficile est ad diiudicandum. Primum enim non caret probabilitate, pro communi eorum fonte alia carmina Orphica esse habenda, quae permulta magnaque fuisse ex iis scimus fragmentis, quae cum apud alios scriptores, tum apud ecclesiasticos nobis servata sunt. Hymnorum autem auctorem vel auctores ex Argonauticis ea hausisse, praeterquam quod per se hoc non credibile est, propterea quoque persuadere mihi non possum, quod in hymnis et haec verba pleraque saepius inveniuntur, et aliorum compositorum abundantissima in iis exstat copia, ut hic paene unus sit totius dictionis thesaurus.[1]) Maxime vero probabile esse mihi videtur, Argonauticorem scriptorum illa ex hymnis desumpsisse, quibus maiores non invenire posset neque huiusmodi vocabulorum neque Orphicae religionis reliquiarum fontes.

Cap. III.

De vocibus Argonauticorum propriis.

Non solum ad eas, quae in nostro carmine insunt, elocutionis proprietates cognoscendas vehementer pertinere puto, ut eas, quae in hoc uno litterarum monumento inveniuntur, voces, et

---

[1]) Ex chronologia dubito hoc in genere argumentum desumere, quoniam de ea, qua hymni Orphici compositi sint, aetate virorum doctorum sententiae summopere discrepant (cf. Büchsenschütz, de hymnis Orphicis. diss. Berol. 1851 et Petersen, Philol. t. XXVII p. 385 sqq.), necdum adhuc, quae recta sit, pro certo constat.

quas ab Argonauticorum poeta inventas esse statuere licebit, colligantur; sed etiam ad artem criticam factitandam hoc non sine usu esse mihi videtur. Nam ut criticus omnia, quae uno tantummodo loco exstare videt verba, tum potissimum in suspicionem vocat, si aut male formata ea esse aut nimis artificiosam explicationem requirere putat, apud nostrum quoque poetam editores in multis illius generis verbis offensi sunt nec recte tradita ea esse eo magis censuerunt, quod Argonauticorum textum permultis permagnisque corruptelis deformatum esse constat. Sed qui vocabulorum, quae Argonauticorum propria sunt, haud exiguam eam partem consideraverit, quae recte tradita esse viri docti consentiunt, quamquam ne in his quidem omnia praeclare se habere dicas, is multo maiore iam cautione ad ea accedet, quae e textu removere multi non dubitarunt.

a) Voces certae.

1. Substantiva.

αἰνολέτης: Arg. 428 *Κρόνον α.*

ἀλιτημοσύνη: Arg. 1326 *δίκην ἀλιτημοσυνάων.*

ἀπόθρισμα: Arg. 1003 *λυγρῶν ἀποθρίσματα ῥιζῶν.*

θαμβήτειρα: Arg. 976 *δειναὶ θ.* vocantur Erinnyes. Significare potest hoc loco nihil nisi „pavefaciens", „terribilis", quamquam huius vocis formatio neutralem vim „pavide spectans", „obstupefactus", desiderat, quoniam verbum *θαμβέω* hanc significationem habet. Ceterum substantiva suffixo *τειρα* formata usitatissima sunt in hymnis Orphicis.

ἰθύντειρα: Arg. 354 *Δίκη*. *Ἰθυντήρ* legitur Apoll. Rh. IV, 209. 1260 de navis gubernatore; Nonn. Paraphr. XVII, 22 *λόγον ἰθυντῆρα.*

προποδηγέτις: Arg. 344 *αὐγήν τ' Ἠελίοιο θοῶν προποδηγέτιν ἵππων.* Cf. *προποδηγός*: Phanias Anth. P.VI, 294 *σκήπωνα π.*

Ταρταρόπαις: Arg. 980 *Τ. Ἑκάτη.* Cf. *Οὐρανόπαις*, quod legitur hymn. Orph. LXXIX, 1 de Idothea.

τριγίγας: Arg. 1359 *χάλκειον τριγίγαντα δοκεύμενοι*, scil. Talum. Similis compositio, sed sensu minus universo, inest in voce *τριγέρων* Anth. P. VII, 144 de Nestore, qui tres

aetates vixerat, „trisaecularis". *Αἰνογίγας* legitur Nonn. Dion. IV, 447. Significatur sine dubio syllaba *τρι-* ingens illius hominis magnitudo.

2. Adiectiva.

ἀδαίδαλτος: Arg. 405 *ἀ. ἐπὶ πλεκταῖς*. [LVRS *ὑπὸ πλακταῖς*, *ΑΠΦ ὑποπλαγκταῖς*, Herm. *ὑπὸ πλεκτοῖς*, Wielius sic, ut scripsi.]

ἀείγνητος: Arg. 15 *νυκτὸς ἀ.*, formatum ad analogiam vocabulorum *κασίγνητος*, *ὁμόγνητος*; significat idem quod *ἀειγενής* et *ἀειγενέτης*.

αἰνολεχής: Arg. 881 *παρθένος α.* (scil. Medea), 1180 *α. Μήδειαν*.

αἰνόποτμος: Arg. 1019 *α. Μήδεια*, idem quod *αἰνόμορος* apud Homerum.

ἀκαλάρροος: Arg. 1192 *ἀ. Ὠκεάνοιο*. Cf. *ἀκαλαρρείτης* Arg. 1055.

ἁλικρόκαλος: Arg. 337 *ἀκτὰς ἁ.* „litora calculis marinis aspera." Cf. *εὐκρόκαλος*, quod saepius invenitur apud Nonnum: Dion. XV, 95 *ὄχθῃ*, XVI, 4 *ποταμοῖο*.

ἀμφιπλεκής: Arg. 610 *τανυφλοίῳ ἐλάτης ἀμφιπλεκὲς ἔρνος ἀμπέλου*, „germen vitis pineam amplexum".

ἀνάγνιστος: Arg. 1237 *ἀ. ἀλιτροσύναις ἀχέοντας*.

ἀρτιγένεθλος: Arg. 388 *κοῦρον ἀ.* Idem significat, quod *ἀρτιγενής*. (hoc Nicand. Alex. 357 legitur.)

δηλήεις: Arg. 936 *ἄλλα τε δηλήεντα* (scil. herbae).

ἑκατονταέτηρος: Arg. 1113 *δώδεκα χιλιάδας μηνῶν ἑκατονταετήρων*.[1]) Cf. *ἑκατονταέτης* Pind. Pyth. IV, 282 (Momms.), *ἑκατονταετηρίς* Plat. Civ. X p. 615b. Alterum compositionis elementum exstat etiam in *ἀμφιέτηρος* h. Orph. LII, 10; *πενταέτηρος* *B* 403, *H* 315, *ξ* 419, *τ* 420; *δεκαέτηρος* Plat. legg. VI p. 772b[2]). (*διετήρων* Kaib. Epigr. 1035,21.)

---

[1]) Traditam lectionem *ἑκατονταετήρων* Wielius diss. p. 11 recte explicat. Ingens numerus respondet ceteris rebus tam mirificis, quae de Macrobiis narrantur.

[2]) Adiectiva in *-ηρος* terminantia et a stirpibus in *-ες* formata perpauca exstant, ut *τρυχηρός*, *ἐτνηρός*. Cf. L. Meyer, Vergl. Gramm. d. griech. u. lat. Spr. II p. 573 sqq.

ἐμπύλιος: Arg. 905 *Ἄρτεμιν ἐ.* = portam custodientem.

ἐπινήχυτος: Arg. 39. 314 *ἐ. δῶρα.* [Arg. 39 V*ΑΠΦ* *ἐπινήχυτα*, RSM_1M_2 *ἐπὶ νήχυτα*, L *ἐπὶ νήχυτα* ex *ἐπινήχυτα*; 314 omnes codd. *ἐπινήχυτα* praebent.] Idem significat, quod *νήχυτος*. Cf. Apoll. Rh. III, 530 *ν. ὕδωρ*, ubi scholiasta recte explicat: *τὸ πολύχυτον*; IV, 1367 *ἅλμην*, ac saepius apud poetas Alexandrinos.

ἐρωτοτρόφος: Arg. 480 *Κύπρις ἐ.*, 871 *ἐ. Κυθέρεια.* Similiter *ἐρωτοτόκος* de Amoris sagitta dicitur Nonn. Dion. VII, 276.

ἐτυμηγόρος: Arg. 4. 1183 *ἐ. αὐδήν* [1183 RLS *αὐδήν*, V*ΑΠΦ* *ὀμφήν*]. *Ἐτυμηγορέω* legitur apud Procl. in Plat. Crat. § 86 p. 47 ed. Boiss., *ἐτυμηγορία* ib. § 87 p. 49.

εὐρυμενής: Arg. 990 *τείχεος εὐρυμενοῦς*, 1055 *Φᾶσις ε.* „late valens, potens", ut *εὐρυβίης*.

ἠερομήκης: Arg. 927 *ἠερόμηκες στύπος*, „longe in aerem protensus". Cf. *ἠερόφωνος* *Σ* 505 „in aerem loquens, „aerem voce replens", et quod ad alterum elementum attinet, *εὐμήκης* Arg. 916, *τανυμήκης* orac. Sibyll. I, 262, *οὐρανομήκης* Anth. Pal. VII, 84, 1.

κατέρνης: Arg. 921 *πολύκνημόν τε κάτερνες.* [sic Herm., RS *κατερνές τε πολύκνημον*, LV*ΑΠΦ* *κάτερνές τε π.*] Hoc adiectivum Gessnerus recte explicavit: non „depressos ramos habens", sed „ramis obsitum"; *κατὰ* enim hic multiplicativam quae dicitur vim habet, ut in *κατάδενδρος, κατείδωλος*.

κελαδοδρόμος: Arg. 905 *Ἄρτεμιν.* Idem significat, quod *κελαδεινός*, Homericum Dianae epitheton: *Π* 183, *Υ* 70, *Φ* 511.

κλυτόφημος: Arg. 217 *Ἀμφίων.*

λυροεργός: Arg. 7 *λυροεργέ*, quod ad Musaeum pertinere recte cognovit Gessnerus, non ad Apollinem, quae erat Eschenbachii sententia. Eodem enim modo formatum est, ut *γεωργός, ἐριουργός, θεουργός, κρεουργός*: „qui lyram tractat", i. e. „qui lyram pulsat".

λυσσῶπις: Arg. 982 de Proserpina, „quae rabiose spectat."

μεγαβρεμέτης: Arg. 752 *μ. ποταμοῖο*; idem quod

μεγαλόβρομος: Arg. 465 *ὕδωρ.* Cf. *μεγαλοβρεμέτης* apud Quintum S. II, 508: *Διὸς μ.*

μελισσόρυτος: Arg. 576 *μ. τ' ἀπὸ νασμῶν*, „mellifluus", ut *μελίρρυτος*, quod legitur Nonn. Paraphr. VI, 133 de manna. Significationem mellis *μέλισσα* ut prius compositionis elementum habet etiam in voce *μελισσοκράς*: cf. Hesych. *μελισσοκράς· ἡ γλυκεῖα δέλτος ἢ μέλιτι κεκραμένη.*

μενέδουπος: Arg. 541 *θεὰ μ. Ἀθήνη* „tumultum sustinens", ut apud Homerum *μενεδήιος* *M* 247, *N* 228: „hostes sustinens".

ξυμβλής: Arg. 689 (*πέτραι*) *ξυμβλῆτες πίπτουσι*, „occursu alliduntur". Formatum ut *προβλής*.

πανετώσιος: Arg. 1233 *ἵκεσθε νῆσον ἐφ' ἡμετέρην — πανετώσιον —*: Sic recte interpunxit Abelius; exhibent enim LVRS, omnes igitur veteriores codices, *πανετώσιοι* *ΑΠΦ*. Neutri forma adverbii vi usurpata sensum praebet: „plane frustra venistis" (sc. cum equidem vos adiuvare non possim). Cf. Arg. 703 *ἐτώσιον ἠρείσαντο.* Ceterum ne pluralis *πανετώσιοι* quidem ad personam relatus aliud significare posset. Nam quae in Dind. thes. affertur vis: „inanissimus", improbissimus" citato hoc loco, similibus exemplis probari non potest.

Πεισματίη: Arg. 631 epitheton Cybelae ab Argonautis datum, quippe quae rudentes solvisset (*τόθι πείσματ' ἐεργομένης λῦθεν Ἀργοῦς*). Vox inepte a poeta inventa videtur.

ποιανθής: Arg: 1053 *ποιανθεῖ* [LS*A* *ποιανθεΐ*, RV*ΠΦ* *ποιανθῆ*] *νήσῳ προσεκέλσαμεν*, „herbis florens, viridus, herbidus".

πολυτεχνής: Arg. 588 *π. κόσμον*; idem quod Homericum *πολυδαίδαλος* significat.

τελεσσίνοος: Arg. 1318 *Μοῖρα τ.* = quae cogitata perficit. Idem significat *τελεσσίφρων*, quod legitur Aesch. Ag. 700 (*μῆνις*).

τευχήρης: Arg. 529 *Μινύαι.*

τηλῶπις: Arg. 903 *τ. ἄνασσα* = Proserpina [RLS *τηλῶπες*, V*ΑΠΦ* *τηλῶπις*].

χελυκλόνος: Arg. 385 *φόρμιγγα χ.* „a testudine resonans". Formatum est eodem modo quo *πολεμοκλόνος*, quod hymn. Orph. XXXII, 2 epitheton Minervae est.

χρυσεόταρσος: Arg. 342 *αὔραις χρυσεοτάρσοις* [RLVS *-οις*, *ΑΠΦ* *-αις*]: „aurea talaria habens".

3. Adverbia.

παραδρομάδην: Arg. 861 *π. ἀγορεύσω*: „in transcursu, brevi“: vox formata est ut *ἐπιδρομάδην*.

4. Verba.

ἀναρροχθέω: Arg. 709 *κῦμα δ' ἀνερρόχθησε*.

προπροθέω: Arg. 1263 *οὐδέ μιν* (navem) *εἶα προπροθέειν*. Tales formationes, quarum specimen est Homerica *προπροκυλίνδομαι* (*X* 221, *ρ* 525), apud recentiores poetas epicos usitatae sunt: cf. *προπροβιάζομαι* Apoll. Rh. I, 386, *προπροκαταΐγδην* ib. II, 595, *προπροκαλύπτομαι* Opp. Cyn. IV, 334, *προπροτιταίνομαι* Hal. IV, 103.

ὑπεγκλίνω: Arg. 1210 *σκαιὸν ὑπεγκλίνας οἰήιον*, „paulatim inclino“.

Permagnum igitur eorum vocabulorum numerum esse videmus, quae, etsi aliis locis non inveniantur, tamen, cum satis aliorum verborum analogia defendantur, recte tradita esse viri docti consentiant; quin etiam vocem *θαμβήτειρα*, quae significationem a verbo, unde derivatur, prorsus abhorrentem habet, ei, quod Pseudo-Orpheus manifestat, studio formandi nova recte illi vindicasse videntur. Quae cum ita se habeant, mihi quidem in iis quoque vocibus, quae non solum singulares exstant, sed etiam aut in formatione aut in significatione maiores praebent offensiones, hoc ante omnia considerandum videtur, careantne re vera omni analogia atque explicatione; rationem etiam satis habendam existimo recentis, qua carmen ortum est, aetatis exiguaeque poetae artis, unde multae in eo offensiones explicantur. Nec vero haec semper viros doctos in iis, quas diximus, vocibus satis reputasse multasque voces ab illis e textu remotas melius servari videbimus.

b) Voces a viris doctis in suspicionem vocatae.[1])

ἀγριόμορφος: Arg. 982 *μέσση δ' ἔφυ ἀγριόμορφος* (scil. Hecate). Gessnerus putat, prius huius compositi elementum

[1]) Quae corrupte tradita puto, cruce † notavi; de quibus hoc omnino dubium esse non potest, omisi.

leonem significare; nam commune nomen ad genus princeps referri confirmarique hoc loco Porphyrii de abstin. III, 17: ἡ Ἑκάτη ταῦρος, κύων, λέαινα ἀκούουσα μᾶλλον ὑπακούει. Sed primum etiam a subtilissima interpretatione nimium postules, si hoc loco stirpe ἀγριο- leonis significationem subaudiri velis; deinde Porphyrii expositio non congruit cum nostro loco, cum pro tauro a nostro poeta equus commemoretur: ut illum aliam deae effigiem describere appareat. Ceteri editores vocem ἀγριόμορφος corruptam esse censent variasque proponunt emendationes. Schneiderus mutat: ἀκριτόμορφος, poetam tertiam corporis formam non certius definivisse putans. Quae sententia quamquam non caret probabilitate, tamen emendatio in earum numero est, quae non satis persuadeant; si vocabulum esset traditum, minime in eo offenderemur. Hermannus: μέσση δ' ὄφις ἀγριόμορφος, quod defendi iudicat Sophoclis fragmento apud schol. Apoll. Rh. III, 1214, ubi Hecate fingitur στεφανωσαμένη δρυσὶ καὶ πλεκταῖς ὠμῶν σπείρησι δρακόντων [sic Valckenaer. diatr. p. 167, cod. L πλείστους ὦμοι σπείρουσι δράκοντας, Keil πλείσταις]; quod iure refutat Wielius[1]): aliud est caput anguineum, aliud caput anguineis capillis redimitum. Quare Wielius ipse conicit συαγριόμορφος, una tantum littera mutata, quod Abelius quoque recepit. Tamen ne haec quidem coniectura probari mihi potest propter caesuram trochaicam in quarto pede, cuius quamquam quattuor exempla ex Argonauticis affert Hermannus[2]), tamen legibus artis criticae repugnat, hunc tam exiguum numerum coniecturis adaugere. Praeterea neque in litteris antiquis neque in artificum monumentis ullum nvenire potui testimonium, quod apri figuram aut in Orphica iaut in alia Graecorum religione quicquam valuisse doceret ad effingendam illam deam. Quare equidem malim traditam lectionem ἀγριόμορφος servare, quae profecto non ab omni explicatione abhorret. Probatur mihi enim id, quod iam Schneiderus proposuit, tertiam corporis formam poetam omnino non certius

---

1) P. III p. 8.

2) Orph. p. 696. Re vera tria sunt. Nam v. 672 εἰνὶ praepositio arctissime cum sequentibus nominibus coniuncta est; vid. infra νιφαργής.

definivisse: sed hoc ipsum in tradita voce inesse neque Schneideri emendatione opus esse mihi videtur. Ferae figura continetur capite, sed cuius, intellegi non posse cogitat poeta propter effigiem parum acriter expressam; atque in hoc ipso monstro saevum illud maxime effingi videtur, quod Hecatae imago in se habere narratur. Dices, artificiosiorem hanc esse interpretationem; sed tam malum poetam, qui perversissime verba formaverit (cf. infra ζωοτέμνειν et τηλεσίφαντος), qui obscuris vocabulorum significationibus formulisque abundet (cf. cap. IV), eundem, quem diximus, sensum inscite voce ἀγριόμορφος significare potuisse, hoc mihi quidem haud incredibile videtur.

αἰνοδότειρα: Arg. 354 Ἐριννύες. Cf. ὀλβοδότειρα hymn. Orph. LX, 11. Ruhnkenius et loco quodam ductus Pisonis poetae in Anthol. P. XI, 424, qui Erinnyas ἀνθρώπων ὀλετεῖρας vocat, et eo, quod noster poeta v. 428 de Saturno epitheton αἰνολέτης usurpat, mutandum statuit: αἰνολέτειραι. Sed traditam lectionem, in qua nihil est, quod offendat, recte retinuit Hermannus.

ἁμηῷος[1]: Arg. 486 in omnibus codicibus legitur:

ἔνθεν ἐς Ἑλλήσποντον ἅμ' ἠῴους φέρεν οὖρος.

Si seiuncta legimus verba, quod faciunt Schneiderus et Gessnerus, vox ἠῷος difficilis est ad defendendum; si coniuncta, vocem habemus, quae et aliis locis non invenitur, et vitiosam habet compositionem. Tamen ne hanc quidem nostro poetae abiudicari velim; nam valde probabile mihi videtur, illum falsa analogia vocis ὑπηοῖος adductum[2]), simul memorem locutionis ἅμ' ἠοῖ, formasse ἁμηῷος. Quare quod Wielius — Cribelli versione commotus — maiore mutatione restitui vult, recepit Abelius, ὑπηῴους non necessarium esse recteque Hermannum α. servasse censeo.

---

[1]) In traditis hanc vocem propterea enumerare me posse putavi, quod verborum separatio in vetustissimis codicibus nondum adhibebatur eaeque, quae in recentioris aetatis libris inveniuntur, apostrophi in iis haberi non possunt, quae antiquitus tradita sunt. Cf. infra *ὑπονάτιος*.

[2]) Cum enim ὑπό vera, ἅμα non vera sit praepositio, minime eodem modo, ut ex ὑπ' ἠῷ — ὑπηοῖος, ex ἅμ' ἠοῖ — ἁμηοῖος formari potuit. Alia huiusmodi cum ἅμα compositionis exempla non invenio.

†*ἀπροφανές*: Arg. 790 *δολίου ἐξέσσυτ' ὕπνοιο ἀπροφανές* [LVRS *ἀπροφανῆ*, *ΑΠΦ ἀπροφανές*]. Adiectivum *ἀπροφανής* si exstaret, secundum formationem nihil aliud significare posset, nisi „antea nondum conspectus", neutrum igitur pro adverbio usurpatum: „ratione antea non visa". Hic autem cum vis desideretur: „subito", quae male ex illa derivari potest, probabilissimum est id, quod Hermannus coniecit: *ἀπροφάτως*, quod in nostro carmine vv. 626 et 668 invenitur.

δεινοβίης: Arg. 65 *δεινοβίην ἥρωα*. Heynius restituere voluit vocem *αἰνοβίης*, quae etiam apud Anacr. Anthol. P. VII, 226 invenitur. Sed hoc non satis est causae, cur *δεινοβίης* recte formatum damnemus. Aliter res se habet in voce

†*δεινολεχής*: Arg. 909 *δ. Μήδεια*. Nam eadem virgo 881 et 1189 *αἰνολεχής* vocatur, ut v. 909 quoque hanc genuinam fuisse lectionem haud improbabile sit. Adiectiva *δεινός* et *αἰνός* enim aliis quoque locis in codicibus commutata invenimus.

δυσαίνητος: Arg. 1348 *δ. ὑμεναίοις*. Cf. *εὐαίνητος*: Pind. Pyth. IV, 177 (M) *ἐ. Ὀρφεύς*. Hermannus hoc adiectivum sic explicat: „nuptiae ita, ut nunc ineuntur, aegre initae; quippe solemnes desiderabat Medea." Quae interpretatio nimis artificiosa est. Ruhnkenius vocem corruptam esse censuit emendavitque: *δυσαντήτοις*, collato loco Nonniano Dion. XLII, 406: *φεῦγε δυσαντήτων Ποσιδήιον οἶστρον ἐρώτων*; Nonnum enim, imitatorem Orphei [1]), hunc Argonauticorum locum ante oculos habuisse. Sed illo loco *δυσάντητος* vim habet: „cui adversari difficile est", quae hic omnino non apta est. Aliam autem, quam Hermannus, Wielius proposuit interpretationem traditae lectionis *δυσαινήτοις*, eamque mea quidem sententia rectam. Ut enim Pind. Pyth. IV, 222 de Medea et Iasone dicit: *καταίνησάν τε κοινὸν γάμον γλυκὺν ἐν ἀλλάλοις μίξειν*, h. e. „inter se polliciti sunt, nuptias se facturos": sic nostro loco *γάμοι δυσαίνητοι* sunt „nuptiae adverso omine promissae." Nihil igitur mutandum.

†*ἐπιτείρω*: Arg. 1096 *κέαρ δ' ἐπετείρετο λιμῷ* [LS *δ' ἐτείρετο*, RV*ΑΠΦ δ' ἐπετείρετο*]. Hoc verbum a Wielio explicatur: „Fames insuper urgebat." Sed hoc significare

---

[1]) De hac Ruhnkenii sententia postea in cap. V dicemus.

posse praepositionem ἐπί verbo adiunctam aliis exemplis non demonstravit Wielius; neque equidem talia invenio. Quare probatur mihi Hermanni coniectura δέ τε τείρετο, quam Abelius quoque recepit.

εὐπελαγής: Arg. 168 εὐπελαγέος Μελιβοίης. Sic LM_2A, εὐλαγέος VΠΦ; εὐπελαγοῦς R, εὐπελάγους S. Schneiderus e coniectura Toupii legit: εὐγλαγέος: „lacte abundans". Sed et mirum hoc urbis epitheton, et supervacanea hoc loco omnis coniectura; nam εὐπελαγής, i. e. „bene ad mare situs"[1]) aptissimum esse Meliboeae significationem recte adnotat Gessnerus, quippe quae urbs ad sinum sita sit inte litora aspera navibus tranquillitatem atque praesidium praebentem[2]); synizesim γεος autem Homericis Πηλέος Α 489, Π 21, Τ 216 et Μηκιστέος Β 566, Ψ 678 excusari posse puto.[3]) Cf. etiam ἠρίθμεον κ 204, similia. Quare Hermannus quoque et Abelius εὐπελαγέος in textum receperunt.

†εὐοίνιστος: Arg. 606 ὄφρα κε μειλίξαιντο εὐοινίστοις ἐπιλοιβαῖς. (ΑΠΦ εὐοινίστοις (οι), R ἑοινίσταις, V εὐνοίστοις, S εὐνοίσταις, L εὐνοΐστοις corr. ab altera m. in εὐοινοΐστοις) Εὐοινίστοις, quae una traditarum lectionum defendi possit, duas graves praebet offensiones. Primum enim adiectivum εὐοίνιστος a verbo οἰνίζω, quod aut „vinum redolere, resipere", aut „vinum emere, comparare" significat, derivatum, quam vim habeat, non satis intellegas; deinde vocabuli εὐ in compositione correpti alia non inveni exempla. Quamquam igitur hoc vitium tollitur, si legimus: μειλίξαιντ' εὐ., tamen ob alterum maiorem emendationem quaerendam puto. Varias priores editores proposuere. Quod Gessnerus primo coniecerat: ἀοινίστοις, non melius est formatum; praeterea cum traditum non acceperimus, magnae matri sacra vino carentia fieri solita esse[4]), ipsi Gess-

---

[1]) Cf. Hor. carm. I, 7, 2 bimarisve Corinthi.

[2]) Cf. Strab. IX, 22 p. 443 C.

[3]) Nam etsi virorum doctorum de his locis sententiae in eo discrepant, utrum Πηλέος Μηκιστέος cum synizesi, an Πηλῆος Μηκιστῆος (priore vocabuli υἱός syllaba correpta) genuina fuerit pronuntiandi ratio, tamen recentioribus temporibus non nisi prius lectum esse — id quod probabatur Aristarcho — certum est.

[4]) Apud schol. Soph. Oed. Col. 100 in numero eorum deorum, qui-

nero illud improbatur. Quod Piersonius vult, εὐαγνίστοις (cf. 1237 ἀναγνίστοισιν ἀλιτροσύναις), secundum formationem vim „bene piati" habere oportet, quae huic loco non apta est. Melius mutat Ruhnkenius: μειλίξαιντ' οἰνοσπείστοις; sed propius etiam ad traditas lectiones accedas, si legas: ἐνσπείστοις — quamquam ne haec quidem vox aliis locis invenitur. Certe haec emendatio et probabilior et facilior mihi videtur, quam Hermanni ab Abelio recepta: οἱ εὐοίνοις. De dictione cf. 617 ταυροθύτους λοιβάς.

ζωοτέμνω: Arg. 317 ζωοταμών de mactando tauro. Quamquam codicum lectiones discrepant: VAΠΦ ζωοτάμνων, LRS ζωοτάμον, tamen illa verbi compositi forma necessario hic est restituenda. Quod enim V et deteriores libri praebent, ζωοτάμνων, probatur Gessnero, ab ea prosodiae lege abhorret ex qua duae liquidae positionem efficiunt. Sane etiamsi ζωοταμών legamus, non tollimus aliud vitium, quod ad compositionem verbi ζωοτέμνειν pertinet. Nam cum ex „divino praecepto Scaligeri" in omni verbo composito, cuius prius elementum non praepositio est, alterum verbum simplex esse non possit, sed tale verbum terminatione aliqua derivativa, plerumque έω- formatum esse debeat, ex elementis ζωο- et τέμνειν perverse formatur ζωοτέμνειν, recte ζωοτομεῖν; ζωοτομῶν autem, quod Herwerdenius[1]) vult restitui, non aptum est, quia aoristus desideratur. Lobeckius[2]) legi voluit: ζῶα ταμών, sicut ζῶα γράφειν pro ζωγραφεῖν, ὠμὰ δάσασθαι pro ὠμοφαγεῖν, ζώγρια λαβεῖν pro ζωγρεῖν inveniantur. Sed hoc loco pluralis forma ζῶα ad singularem περιμήκεα ταῦρον relata durissima est. Quae cum ita sint, equidem non dubito cum editoribus inde a Schneidero perversam formationem malo poetae vindicare et ζωοταμών restituere. Cf. infra τηλεσίφαντος.

†ἠλιτόποινος: Arg. 1373 καὶ ἠλιτόποινον Ἐριννύν. In hac lectione omnibus libris tradita primum vitiosa est particula καὶ ante vocalem producta; vitiosa etiam significatio. Cum enim ceteris adiectivis cum ἠλιτο- compositis: ἠλιτοεργός, ἠλι-

---

bus νηφάλιαι θυσίαι, i. e. ἄοινοι deberi dicuntur, Cybele non commemoratur.

1) Mnemos. n. s. XIV p. 20.

2) ad Phrynich. p. 617.

τόμηνις, ἠλιτόμηνος, vis „non assequendi“ insit, consentaneum est, *ἠλιτόποινος* significare: „quae in puniendis noxiis, quod vult, non assequitur“. Atqui numquam, qui deliquissent, Erinnyas effugere Graeci putabant. Quare recte mihi Ruhnkenius *νηλιτόποινον* videtur restituisse, quod ab Hermanno quoque et Abelio receptum est, cum Gessnerus et Schneiderus traditam lectionem servaverint. Errat autem Ruhnkenius, cum illam vocem etiam Hesiod. Theog. 217 pro tradita *νηλεοποίνους* (scil. *κῆρας*) legendam censet: *νηλεόποινοι* illae deae vocantur, quia misericordiae expertes sunt in persequendis hominibus. De formatione cf. G. Meyer in Curtii Stud. V p. 67. *νηλεόθυμος*, quod affertur ex Apollinarii metaphrasi, exstat etiam in epigrammate Sulpicii pueri, Kaib. epigr. 252,13 (*μοῖρα*).

†*κρημνόθεν*: Arg. 1000 *κ. ἐκ ῥίζης*. Sic exstat in codd. RV*AΠΦ*; *πρυμνόθεν* L, *κρυμνόθεν* S. *Κρημνόθεν* a voce *κρημνός* derivatum, quae locum praeruptum significat, vim habet: „e praecipitio“, contrariam igitur verbis *ἐκ ῥίζης*: in quo dicendi genere quamquam simile asyndeton cerni potest, atque in notissima illa locutione *ἄνω κάτω*: „movebantur arbores a summo fastigio et a radicibus“ — tamen multo minus durum atque insolens est „*πρυμνόθεν ἐκ ῥίζης*“, quae dicendi abundantia non solum non mala, sed etiam efficacissima est. Cf. Apoll. Rh. IV, 1686 *πρυμνόθεν ἐξεαγεῖσα κατήριπεν*, quod idem de arbore dicitur.

λιμνακίς: Arg. 649 *νυμφῶν λιμνακίδων*. Cum substantivum *λίμναξ*, unde haec vox formata est, non exstet, Ruhnkenius parva mutatione legit *λειμακίδων*, quamquam ne hoc quidem alibi reperitur. Minus prope ad librorum lectionem accedit, quod Abelius vult: *λιμναίων*. Sed ne offendendum quidem mihi videtur in forma *λιμνακίς*. Primum enim ex *λίμνη* — *λίμναξ* derivari potuit, eiusdem significationis nomen [1]), ut ex *λίθος* — *λίθαξ*, *βῶλος* — *βῶλαξ*, *σχίδη* — *σχίδαξ*, *ψύλλα* — *ψύλλαξ* (Hesych. *ψύλλακας· τὰς ψύλλας*); tum ex *λίμναξ* — *λιμνακίς*, sicut ex *ἄνθραξ* — *ἀνθρακίς*, *φύλαξ* — *φυλακίς* aliaque. Animadvertendum autem est, si quis in eo offendatur, quod *λίμναξ* nullo loco inveniatur, etiam

---

[1]) Cf. Lobeck, pathol. serm. Gr. proll. p. 447. L. Meyer, Vgl. Gr. d. griech. u. lat. Spr. II p. 512 sqq.

ad stirpem ἀρν- (ἀρνός) pertinere ἀρνακίς, quamquam ἄρναξ non exstet: quod sine dubio eo explicatur, quod ἀρνακίς ex analogia ceterorum nominum in -ακίς exeuntium formatum est. Quare λιμνακίς quoque servari posse puto.

†μελανήφατος: Arg. 423 μ. ὕμνον. In hac voce omnibus libris tradita plerique editores offensi sunt ob significationem, quae interpretationi magnas praebet difficultates. Gessneri enim explicatio: „hymnus, qui antiquum chaos canit, tenebricosum illud ex Erebo natum" nimis contorta est, ut multa, quae ille ad interpretanda Argonautica attulit. Probabilius est, quod Vossius hac voce intellegit: „obscure dictus, mysticus". Sed sic quoque alia remanet difficultas. Verbum enim desideratur, unde accusativus ὕμνον pendeat; quod vix repeti potest ex antecedentibus μελίγηρυν ἱεὶς ἀνέπεμπον ἀοιδήν; nec non duri quiddam habet genetivus χάεος a substantivo ὕμνον dependens. Et haec quidem maxime me commovent, ut lectionem traditam corruptam esse censeam. Quod autem Wielius proposuit: μελάνην φάτιν ὕμνεον, probari mihi non potest ob feminini formam μελάνην, cuius quae exempla afferre ille possit, ignoro. Maiorem habet probabilitatem, quod Abelius coniecit: μέλανα σκότον ὕμνουν (ὕμνουν ex con. Schenkelii): sed haud scio an alia emendatio minus etiam a tradita lectione discrepans inveniri possit, quamquam mihi ipsi talis emendatio non in mentem venit.

νιφαργής: Arg. 672 προχοαῖς ἠδ' ἐν νιφαργέσιν ὕλαις: sic (vel νιφάργεσιν) LV*ΑΠΦ*; ἠδὲ νιφ. RS. Offendit in lectione νιφαργέσιν producta prima syllaba; quare Schneiderus mutavit νιφεταργέσιν, quod recepit Abelius. Melius Hermannus εἰνὶ νιφαργέσιν. Quam enim Wielius reprehendit caesuram trochaicam in quarto pede, verum si quaerimus, non exstat, quoniam praepositio cum substantivo arctissime coniuncta est. (Ceterum nescio an vitiosa illa productio inscitiae poetae attribui possit prosodia verbi νῑφειν in errorem adducti.)

περιωπής: Arg. 14 περιωπέα, κυδρὸν Ἔρωτα. Huic voci Gessnerus significationem „conspicuus" subicit; male, cum formatio activam vim desideret. Nec facile intellegas, quid illud epitheton de Amore praedicet. Ruhnkenius primus corruptam esse lectionem iudicavit emendavitque πυρσωπέα col-

lato πυρσαυγέα, quod Dorvillius in hymn. Orph. XIX,1 pro vitiosa lectione πυραυγέα libris tradita restituit. Facilior etiam est Abelii mutatio πυριωπέα, quae eundem sensum efficit. Omni vero probabilitate carere mihi videtur, quod Wielius vult: περιώσια; nam etsi hoc adverbium Arg. 62 legitur: π. κυδαίνεσκεν, eo minime probatur, illud adverbium ut μάλα, σφόδρα cum adiectivis coniungi posse. Probarem igitur Abelii coniecturam, nisi etiam traditam lectionem defendi posse putarem. Sequor enim Viscontium [1]), qui περιωπέα referendum censet ad eam Phanetis formam, quam Orphicae theologiae propriam esse docet nota Hermiae in Plat. Phaedr. p. 135 (frgm. Orph. 64 p. 179 Abel): „τετρὰς δὲ ὁ Φάνης, ὡς Ὀρφεύς φησι:

„Τετράσιν ὀφθαλμοῖσιν ὁρώμενος ἔνθα καὶ ἔνθα".

Idem significare videtur epitheton διφυής v. 14. Nec vero cum Gessnero vertendum: „conspicuum" — quod περιωπός significat —, sed cum Viscontio „circumvidentem", „qui ab omnibus partibus spectare potest". Cf. Ovid. Fast. I, 283 oculos diversa videntes.

σκοτερός: Arg. 1045 σκοτερὴ δέ τε ἄμφεχεν ὄρφνη. Idem significat quod σκοτεινός, neque quicquam in formatione habet offensionis. Nam eodem modo, ut ex δρόσος — δροσερός, δνόφος — δνοφερός, ζόφος — ζοφερός, θόλος — θολερός, νόος — νοερός aliaque, sic ex σκότος (masc.) — σκοτερός formari potest.[2]) Tamen Ruhnkenius mutat: δνοφερή, quod probatur Hermanno et Abelio. Artificiosa quoque ea est ratio, qua Hermannus originem corruptelae explicat: putat enim, σκοτερή ex glossa σκοτεινή natum esse. Rectius Schneiderus traditam lectionem inter singularia nostri poetae vult haberi.

συμπροχέω: Arg. 577 λοιβὰς συμπροχέων (codd. λοιβαῖς), quod non recte mutavit Hermannus in ἐκπροχέων. Voluit enim poeta in illis verbis sensum inesse: „varias libationes (aquam, mel, lac) in unum locum effundens": cf. συνάγειν sim.

---

[1]) Cf. Mus. Pio-Clement. Vol. VI p. 14 edit. Mediol.

[2]) Hoc etiam Lobeckius, path. serm. Gr. proll. p. 260 concedit, qui tamen σκοτερός ob hanc unam causam, quia semel legatur, in suscipionem vocat. Cf. etiam L. Meyer, Vgl. Gr. d. griech. u. lat. Spr. II p. 208 sqq.

Τηλεσίφαντος: Arg. 343 *ἄστρα τε τηλεσίφαντα* in omnibus libris legitur. Adiectivum male est formatum; nam cum prius compositionis elementum adverbium sit, perversum est *σι* in commissura. Quare Schneiderus coniecit: *τηλεφανῆ* (ut 539 *ἄστρα τε τ.*). Sed hoc modo *καί*, quod sequitur, male ante vocalem producitur. Quod autem Hermannus vult: *τηλόσε φαντά* propterea displicet, quod *φαντός* ut simplex non usurpatur. Wielius (quem sequitur Abelius) legit: *τῆλε φανέντα*, quae si genuina sit lectio, non facile explicari possit, qua ratione nata sit corruptela. Quare maxime mihi probatur Lobeckii [1]) sententia, qui ex falsa aliorum compositorum analogia illam vocem fluxisse iudicat. Idem enim similia vitiosae huiusmodi compositionis exempla affert, quae eadem ex poetarum inscitia, non ex mendosa librorum scriptura sunt profecta; quamquam nullum eorum tam durum est quam *τηλεσίφαντος*.

τρισσοκέφαλος: Arg. 979 de Hecate *τ. ἰδεῖν, ὀλοὸν τέρας*. Hanc lectionem omnibus libris traditam primi Heynius [2]) et Schraderus [3]) mutaverunt in *τρισσοκάρηνος* propter *α* in — *κεφαλος* productum. Secuti sunt Ruhnkenius Schneiderus Hermannus. Abelius autem recte mihi videtur servasse *τρισσοκέφαλος*. Aperte enim illa vox imitatio est Hesiodeae *τρικέφᾱλος*, quae legitur Theog. 287 de Geryoneo. Ibi omnes melioris notae codices exhibent *τρικέφᾱλος* idemque legit schol. Aristoph. Equ. 416, schol. Aristid. III p. 547 Dind.; *τρικάρηνον* F (Rzach) marg. man. al. et Florent. XXXI, 24; „fortasse etiam cod. *ν*.“ Tamen Hermannus Ruhnkeniusque probant *τρικάρηνον*. Cf. etiam Theog. 312 *πεντηκονταφέφᾱλον* aliaque productae litterae *α* exempla a Muetzellio [4]) et Rzachio [5]) allata.

†*Ὑπονάτιος*: Arg. 222 *οἳ δὴ* (Zetis et Calais) *καὶ ταρσοῖσιν ὑ. πεπότηντο*. Codd. omnes exhibent: *ὑπ᾽ οὐατίοις*. Gessnerus primus legit: *ὑπονατίοις*, probaverunt Schneiderus Hermannus Abelius. Ego de veritate huius lectionis dubito. Cum enim Gessnerus dicit, capita Mercurii aliorumque deorum

[1]) Pathol. serm. Graec. prolegg. p. 144 idemque ad Phryn. p. 688.
[2]) ad Verg. Aen. IV, 511.
[3]) Praef. emend. p. 5.
[4]) De emend. theog. Hesiod. p. 450.
[5]) Adn. crit. ad Theog. 287.

saepius alata inveniri in nummis, confertque nummum de selectis Wildianis [1]), ubi Calais videtur repraesentari: non neglegendum est, et hic supra aures alas affixas esse et in iis artificum monumentis, ubi aut praeter alas humeris adhaerentes in capite aliae exstant [2]), aut ubi hae solae effictae sunt — nam hoc quoque neglegentia quadam recentiores artifices fecisse constat. Hac re et ὑπονατίοις ferri non posse probatur et mea quidem sententia emendandi ratio clarissime indicatur. Legendum enim mihi videtur: ἐπονατίοις. Cf. v. 661, ubi librorum lectio ἐπηῷοι necessario in ὑπηῷοι mutanda est; praeterea v. 405, ubi cum Sanctamando et Abelio pro tradito ὑπὸ πλακταῖς (πλαγκταῖς) lego ἐπὶ πλεκταῖς. Quo magis probabile fit, v. 222 quoque ὑπὸ corruptum esse ex ἐπί. Haec certe emendatio facilior est quam Wielii: ἐπωμαδίοις.

Inter haec igitur viginti duo verba singulariter formata quattuordecim ex artis criticae rationibus ferri posse vidimus; octo (ἀπροφανές, δεινολεχής, ἐπιτείρω, εὐοίνιστος, κρημνόθεν, μελανήφατος, ἠλιτόποινος, ὑπονάτιος) corrupta esse; sed uni eorum recentiorum editorum consensu parva mutatione aliud restituendum esse, quod alibi non inveniatur (νηλιτόποινος pro ἠλιτόποινος); omitto ἐπονάτιος, quod pro ὑπονάτιος restituendum censeo. Duo perversam habent formationem: ζωοτέμνω et τηλεσίφαντος; quorum alterum recte traditum esse omnes editores consentiunt, negat unus Lobeckius; sed idem vir doctus, cui hoc in genere non exigua auctoritas tribuenda est, alterum recte defendit contra editorum coniecturas.

Illis igitur si eas addimus voces, quas sub priore titulo enumeravi, quae sunt duodequinquaginta, sexaginta duas habemus, quae singulares in Argonauticis inveniantur; qui permagnus est numerus pro huius carminis ambitu.

Pleraque certe neque occultare possunt recentis aetatis vestigia, cui tam abundantes tamque artificiosae formationes

---

[1]) Selecta numismata antiqua ex museo Jacobi de Wilde. Amstelod. 1592. Tab. VII, 39.

[2]) Cf. Matz-Duhn, Antike Bildw. in R. nr. 3562.

placebant, nec nostri poetae studium novandi ut strenuum ita improsperum. Quae omnia eam rectam esse artis criticae rationem probare mihi videntur, quae defendendis potius illis quam emendandis operam det.

Eadem observaturum esse puto, qui iis vocibus diligentius animum intenderit, quae ab Argonauticorum scriptore singulari vi usurpantur.

Cap. IV.

De vocabulis singulari vi usurpatis.

In his quoque, ut firmo artis criticae fundamento utamur, ea primum considerabimus, quae recte tradita esse pro certo constat.

a) Vocabula certa.

ἀνερείκομαι vulgo naturalem quae dicitur vim habet „sursum rapere", ut *Γ* 234; metaphorica usurpatur Arg. 292: *ἀνηρείψασθε κόνον* „laborem suscepistis".

ἀνόστητος pro formatione vulgo significat: „unde redire nequis", ut Nonn. Paraphr. II, 104 *βερέθρου,* V, 97 *κόλπων.* Prorsus aliam vim habet Arg. 1276, ubi de Sirenis dicitur: *ἀνοστήτους δὲ βροτῶν θέλγουσιν ἀκουάς.* Accusativus *ἀκουάς* recte exstat in codd. RV*ΗΦ*; *ἀκουά* L, *ἀκουᾷ* *A*S. Adiectivum *ἀνόστητος* de auribus sive de auditu dictum quamvis significationem torqueas, aptum non reddit sensum. Quare legendum suspicor: *ἀνοστήτων,* ita ut haec vox proleptice de hominibus usurpetur: „mortalium auribus ita blandiuntur, ut redire nec velint nec possint.

δροσερός vulgo „rorulentus." Arg. 229 *δροσεροῖο γενείου,* quo nihil nisi nitidus menti color intellegi potest, metaphora a rore desumpta, qui toti naturae novum vigorem impertit.

ἑλειονόμος epitheton duobus Apollonii Rhodii locis II, 821, III, 1219 nymphis tribuitur prata ac silvas colentibus. Sed Arg. 158 *ἑλειινόμους τε Κολώνας* legitur de urbe in palustri regione sita. [*ἑλειονόμους,* quod exstat in LRS, praeferendum

est ei, quod V*ΑΠΦ* et L in margine praebent, *ὀρειονόμους.*] Propius ad superiorem significationem accedit Arg. 1057 ἑ. *διὰ ποίης.*

ἐπιστείβω: Arg. 946 *ἐπιστείβουσι δὲ ἔργον*: 'opus aggredi'. Haec metaphorica vis non nisi hoc loco invenitur; neque verbum ipsum usitatum est.

ἐρείδομαι: Arg. 727 *τοῦ μὲν δὴ κατὰ σῶμα λυγρὴ ἠρείσατο νοῦσος* cum audaci metaphora dicitur de morbo, qui corpori sese infigit nec cedere vult.

θύσθλον: Arg. 907 *θύσθλα καθαρμῶν* et 1079 *ἀμειδέα θ. φέρουσιν Μουνυχίῃ*, idem significat quod *θυσίαι*; ceteris locis, ubi invenitur, concretam habet vim thyrsi.

κραντήρ: Arg. 315 *κραντῆρα βοῶν περιμήκεα ταῦρον* „bovum principem". Haec vis, quae propria est substantivo *κράντωρ*, in illa voce aliis locis non reperitur, sed *κραντήρ*, ubi exstat, significat effectorem. Verbum *κραίνω*, unde formata sunt haec nomina, utramque habet significationem „efficere" et „principem esse".

ὁμιλαδόν vulgo vim „frequenter" habet; sic etiam Arg. 807 *ὁ. ἑδριόωντας*. Quo magis mireris eam rationem, qua adhibetur Arg. 378: *τοῖσι δὲ μύθων ἦρχεν ὁμιλαδὸν ἱππότα Πηλεύς*: „in contione primus Peleus verba fecit". Alio enim modo verba explicari non posse mihi videntur.

ὀνειροπόλος et apud Homerum (*Α* 63, *Ε* 149) et ceteris quibus invenitur locis significat eum, qui somnia explicat. Qua vi noster poeta duobus Argonauticorum locis miro modo abusus est. Legitur enim v. 35: *ἠδ' ὅσα θεσπίζουσιν ὀνειροπόλοισιν ἀταρποῖς ψυχαὶ ἐφημερίων,* „et quaecumque animae hominum divinant somniorum interpretandorum viis", ut recte vertit Gessnerus. De Pythagorica doctrina migrationis animarum hic nullo modo cogitari potest. Audacius etiam dicitur v. 603: *ὀνειροπόλον διὰ πύστιν,* h. e. nuntius, qui continetur explicando somnio.

πίσυνος vulgo significat „fretus", ut Arg. 42: *Ταίναρον ἠνίκ' ἔβην . . . . ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ.* Sed hoc idem homistichium alia vi usurpatur Arg. 709: *βυθὸς ὑποείκαθε νηῒ ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ,* „nostrae citharae obsecutus".

πλημμύρω. Vulgaris significatio est intransitiva „redundo" idemque sibi vult passivum Arg. 718: *πλημμύρεται ὄχθαις*. Transitiva vis non invenitur nisi Arg. 496 *νάματα πλημμύρουσιν* (scil. nymphae) et 886 *δάκρυσι πλημμίρουσα γενειάδας*; quare etiam 1056: *τόν ῥα* (scil. Sarangem) *πλημμύρουσα διὰ χθονὸς εἰς ἅλα πέμπει Μαιῶτις* transitivam significationem exstare, ut *πλημμ'ρουσα* ad *τόν* pertineat, putaverim.

τρίστοιχος plerumque vim habet „triplicem seriem habens", ut *μ* 91 et saepius *τ. ὀδόντες*; „triplex" in fragm. Hermesian. apud Athen. XIII p. 597 c: *τριστοίχοις δεῖμα φέρον κεφαλαῖς*. Singularis autem ea est significatio, qua usurpatur Arg. 954: *βόθρον τρίστοιχον ὄρυξα*, ubi nihil aliud nisi id intellegi posse mihi videtur, quod vult Vossius: „trianguli formam habens". De quibus enim Gessnerus cogitavit significationibus, qui aut „triplex" aut „trium pedum" intellegendum esse coniecit, earum altera huic loco nullo modo accomodari potest, alteram a genuina vi, quae apud Homerum invenitur, multo longius abesse puto quam illam, quam proposuit Vossius.

Omisi alia, in quibus minores significationis singularitates insunt. Certe in his, quae attuli, eadem cernuntur, quae in magno illo novarum formationum numero: et id, quod nostri poetae proprium est, studium novandi et exigua illius ars.

Alterum quodammodo commune ei est cum Nonno, quo nullus Graecorum poeta epicus maiore audacia eas neglexit verborum significationes, quae multorum saeculorum poesi constitutae erant. Alterum inde maxime elucet, quod noster poeta eadem vocabula variis huius carminis locis significationibus prorsus diversis adhibet, ita ut aliis apta, aliis incommoda videantur; cf. *ὁμιλαδόν, πίσυνος*.

Haec igitur cum ad malum poetam, non ad malam traditae lectionis condicionem referenda esse constet: valde cavendum est, ne aliis locis difficultates in vocum significationibus positas eo tollamus, ut corruptas eas esse statuamus. Nonnunquam viros doctos paullo audacius hoc refugio usos esse censeo: ut dubia exempla accuratius considerare haud alienum esse videatur.

b. Vocabula dubia.

ἀντιάχω. Vulgaris vis est „clamori alicuius respondere“. Cf. Apoll. Rh. II, 827 ὀξὺ δ' ὅγε κλάγξας οὔδει πέσεν· οἱ δὲ τυπέντος ἀθρόοι ἀντιάχησαν; similiterque ibid. IV, 75. Eadem significatio exstat uno Argonauticorum loco: v. 831 μέγα δ' ἀντιάχων ἐγεγώνει, quod de Iasone dicitur, postquam iam Aeetes ferocia in Minyas verba fecit. Sed idem hemistichium de illa quoque Aeetis oratione usurpatur v. 822, cui non praecedit altera ab hostium parte. Quamobrem primus Schneiderus suspicatus est, huc illud hemistichium errore librarii e v. 831 translatum esse; melius Hermannus ἀντιάχων mutat in ἀμφιάχων, Homero usitatum vocabulum; quod recepit Abelius. Quae mutatio quamvis levis sit, tamen non necessariam eam esse puto. Primum enim poetam eandem vocem in eodem hemistichio diversis locis diversis significationibus usurpasse iam vidimus: cf. p. 116 πίσυνος; quo magis adducor, ut his quoque locis eandem poetae neglegentiam atque adeo exiguum Graeci sermonis sensum elucere existimem aliamque vim verbi ἀντιάχω v. 822 quaeram. Deinde non alienum mihi videtur esse a significatione praepositionis ἀντί, si verbum ἀντιάχω idem sibi velit, quod nostra lingua „entgegenrufen“, quocum respondendi vis minime est coniuncta; quamquam aliis litterarum Graecarum locis invenire eam non potui. Si quis autem in eo nimis offendatur, quod idem verbum duobus versibus paullum inter se distantibus diversis significationibus adhibeatur, nihil obstat, quominus hanc alteram singularemque vim utroque loco subaudiat.

ἐπιμαίομαι vulgo duas habet significationes: aut „incito“, ut *E* 748 ἵππους μάστιγι, aut „prehendo“, quae altera metaphorice quoque adhibetur; cf. Bion. IX, 2: σοφὰν ἐπεμαίετο τέχναν. Audacius noster poeta v. 935 de dracone: φρουραῖς ἀκμήτοις ἐπιμαίεται, „incumbit custodiis“. Sic enim recte explicare mihi videtur Huschkius[1]). Insolitus sane dativus, quoniam hoc verbum cum genetivo aut accusativo construi solet. Quare hoc loco non pro certo affirmem, quam libri exhibeant lectionem, rectam esse: Wielius quidem, quem sequitur Abelius,

[1]) Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1836. col. 1221.

ἐπιμαίνεται genuinum esse putat. Certum autem est, hoc idem verbum singulari quadam vi exstare v. 122: δολιχὴ δ' ἐπεμαίετο πάντοθεν ὄρφνη, ubi aliud intellegi non potest nisi „tenebrae ingruerunt"; qui usus ex capiendi significatione profectus esse videtur: „nox prehendit omnia", quo obiecto omisso intransitiva vis nata est. Inutilis igitur — praeterquam quod probabilitate caret — est coniectura Herwerdeni[1]) ἐτιταίνετο.

ἠπεροπεύω, vox Homerica, omnibus quibus invenitur locis vim habet dolose persuadendi (*Γ* 399, *E* 349, *Ψ* 605, *ν* 327, *ξ* 400, *ο* 419. 421). Haec intellegi non potest Arg. 58: δόλον τρίβον ἠπερόπευε. Ruhnkenius primus ex variis librorum lectionibus [LV$M_1 M_2$ ὑπερόπευε, RS*AΠΦ* ἠπερόπευε] aliud hoc loco verbum restituendum putavit. Sed ὑ pro ἠ tritissimum scripturae vitium esse recte adnotat Hermannus, qui tamen lectionem ἠπερόπευε corruptam esse iudicat conicitque ἡγεμόνευε, quod parum aptum est. Artificiosius etiam est, quod excogitavit Wielius: δόλον τρέφεν ὑστερόποινον. Abelius autem recte mihi videtur servasse ἠπερόπευεν: „dolose machinatus est", quae significatio apta est huic loco et defenditur quodammodo analogia substantivi ab eadem stirpe derivati: legitur enim δόλον ἠπεροπῆα Nonn. Dion. XXXV, 264; ibid. XXXVII, 316; XL, 79. 165.

ὀχεύς vulgo significat „claustrum". Ex hac vi eam formam, quae Arg. 79 tradita est: ἐπεὶ Αἱμονίας ὀχέας πρώτιστον ἱκάνω Gessnerus defendere conatur in indice. Illam enim significationem putat transferri potuisse ad claustra, fauces, quibus transitus saltuum muniantur. Quae explicatio mihi quidem probabilior videtur esse, quam quod viri docti emendaverunt: Schneiderus ὀχεάς „latibula", Heynius ὄχθας.

παρέχω: Arg. 725 αἶσα παρέσχε, quae locutio alia non habet exempla. Quare Schneiderus mutavit κατέσχε, quod probavit Abelius; quamquam ne hoc quidem verbum cum αἶσα similibusve substantivis coniunctum invenitur. Minus etiam probabile est, quod voluit Hermannus: οἱ ἔσχε. Omnino non opus est emendatione. Αἶσα παρέσχε enim, si usitatissimam huius verbi vim respicimus, primum significare potest „sors facultatem

---

1) Mnemos. n. s. XIV p. 19.

dedit". Quae vis hoc loco in universum magis prolata est: „sors secum tulit" — qua in significationis extensione non tantum offensionis inesse mihi videtur, ut tradita verba ferri non possint.

χαλαζαῖος: Arg. 765

τοῖς ἐνὶ κῶας
χρύσεον ἠώρητο χαλαζαίῃ ἐπὶ φηγῷ.

Formae *χαλαζαῖος* alia non exstant exempla; usitatae *χαλάζιος* et *χαλαζήεις*. Huius adiectivi vis mirum quantum difficultatis veteribus editoribus attulit, quamquam mea quidem sententia dubia esse non potest. Pro formatione enim eadem significatio desideratur, quae in *χαλάζιος* et *χαλαζήεις* inest: „grandinosus". Quod quid in fago sit, hoc modo explicavit Gessnerus: „ita fertilem, ut leviter concussa grandinem suae glandis effundat". Quae interpretatio quam perversa sit, non opus est demonstrare. Prorsus aliam huius vocis vim agnosci voluit Hermannus; interpretatur enim „virulentus" intellegendumque putat sucum quendam fagi proprium, quem commemorat Apoll. Rh. III, 858 et schol. Nec vero ex iis quae ille affert exemplis sequitur, hoc significare posse vocem *χάλαζα* praeter notiorem vim grandinis. Cum enim Anth. P. VII, 405 Hipponactis sepulcrum *χαλαζεπὴς τάφος* vocatur: hoc quid aliud sibi vult nisi grandinem quasi contumeliarum loqui sepulcrum quoque poetae, cuius carmina ioci et offensionum erant plena? Loco autem Sophocleo Oed. R. 1279 Schneidewinus verba *ὄμβρος χαλάζης αἱμάτων* [L *αἵματος*, non recte Hermaanus *αἵματός τε*] explicat „imbrem grandinosum sanguinis"; cf. Pind. Isthm. IV, 45 (Momms.) *ἀνδρῶν χαλαζήεντι φόνῳ*. Proficiscendum igitur nobis est in Argonauticorum loco explicando a vi „grandinosus". Ac mihi quidem non artificiosum videtur esse, illud referre ad fagi fruges grandinis lapillis non dissimiles. Inutilis igitur omnis mutatio; qua si opus sit, probabilitate certe careant Bernardi[1]) coniectura *καὶ ἀζαλέῃ*, Vossii *παλαιζόῳ*, Herwerdeni[2]) *πάλαι ζαθέῃ*.

χαμαίζηλος: Arg. 934 *σῆμα χαμαιζήλοιο Διός* de dracone; cui loco non apta est vulgaris illius vocis vis „humilis".

---

[1]) ad Synes. de febr. p. 13.

[2]) Mnemos. n. s. XIV p. 21.

Hermannus intellegit *χθόνιος*, quod defendere conatur Hesychii glossa *χαμαίβηλα* (lege *χαμαίζηλα*)· *ταπεινά, γήινα*. Quo loco quamquam nihil probatur, cum *γήινος* numquam idem sit quod *χθόνιος*, tamen ferri posse mihi videtur Hermanni interpretatio. Nam duabus significationibus „quod in terra est" et „quod sub terra est" communis est vis „terrae proprium", cui opposita est „regionibus supra terram proprium": ita ut priorum significationum commutatio apud nostrum quidem poetam non magis mira debeat esse videri, quam ceterae, quas commemoravimus, singularitates in vi vocabulorum positae. Certe Wielii coniecturam *χαμαίζηλον δῖον π. κ. ἁ.*, quamvis facilis sit, non probabilem esse existimo, quod adiectivum *χαμαίζηλος* male substantivo *σῆμα* vel *δεῖμα* aptum est.

Has omnes igitur voces, quae, ut traditae sunt, singulares habent significationes, integro sensu servari posse docuisse mihi videor. Nec vero minor, quam in his et in verbis singulariter formatis, diligentia adhibenda est in ceteris, quae in hoc carmine inveniuntur, et vocibus et figuris et locutionibus, quae aut ab epica aut ab universa Graecorum poesi aliena sunt, aut ab omni venustatis elegantiaeque sensu abhorrent. Quo in genere imprimis eae sunt voces, quae non nisi in recentioribus prosaeque orationis scriptoribus — paucis nonnumquam locis — leguntur. Cf. maxime *δάμνιππος* Arg. 743, *ἔκνομος* 60, *ἕξις* 393, *ἱλασμός* 39, *περίφημος* 24, *περιώδυμος* 150, *πολυνηγόρος* 491, *τύρσις* 154.

Permulta etiam tautologiae abundantiaeque exempla apud nostrum poetam exstant, quae quamvis taediosa sint, non mutanda esse vel audacissimi critici concedunt[1]).

Semper enim tenendum est, varia congruere, quae molestam illam dictionem elegantiaque carentem efficiant: recentem aetatem, quae inanem verborum ornatum exquisitaque vocabula formulasque quaerat; parvam nostri poetae artem studiumque inveniendi nova obscura singularia. Atque his potissimum, qui diligentius animum intenderit, miram quandam similitudinem cum orientalium populorum et dicendi et cogitandi ratione contineri inveniet. Quod iam Hermannus sensisse videtur, cum

---

[1]) Wiel, diss. p. 40 sqq.

abundantem usum pronominis *οἱ* apud nostrum confert cum ea ratione, qua in orientalium populorum linguis pronomen suffixum abundet.[1]) Quare Bernhardyus[2]) quoque statuit, Argonautica extra Graeciae fines, fortasse in Aegypto, exstitisse, ubi Nonnus aetate a nostro carmine certe non multum distante novam epicae poeseos formam exsuscitavit: neque haec coniectura probabilitate carere mihi videtur.

Quod fortasse quis certius probari posse putaverit iis, quae inter Argonauticorum et Nonni dicendi genus congruant, et quorum iam Hermannus[3]) nonnulla attulit, ut nostri poetae dictionem recentissimae aetatis esse demonstraret: sed haec si accuratius consideraverimus, si quid ex iis concludere liceat, longe aliud quiddam concludi posse videbimus.

Cap. V.

De iis, quae cum Nonni dictione congruunt.

Ruhnkenius primus complures Argonauticorum locos Nonni dictioni tam similes esse censuit, ut non dubitaret, quin Panopolitanus Orpheum imitatus esset. Contulit enim haec[1]):

Arg. 229:

τῷ δ' οὔπω ὑπὲρ δροσεροῖο γενείου
ἀργεννὰς ἐρύθηνε παρηΐδας ἁβρὸς ἴουλος

[sic correxit Stephanus; libri: *ἀργεννῆς* L*A*, *ἀργενὴς* V, *ἀργενῆς* RSM_2, *ἀργεννὴς* *ΠΦ*; *παρηΐδος* omnes]. Cf. Nonn. Dion. X, 179: *οὐδέ οἱ ἁβρὸς ἴουλος ἐρευθομένοιο γενείου ἄχνοα χιονέης ἐχαράσσετο κύκλα παρειῆς.* Sed praeter *ἁβρὸν ἴουλον* nihil tam mirae similitudinis inter hos duos locos interest, ut alterum ex alterius imitatione natum esse statuere liceat.

---

1) Orphic. p. 811.

2) Litt. Graec. hist. II³ p. 415.

3) Orphic. p. 811 sqq.

4) Epistula critica II editioni hymn. hom. in Cer. adiecta, pp. 272. 275. 277. 279. 284. 291. 293.

Arg. 360: *χεῖρας ἐρετμώσαντες*, „manus remis applicantes". Cf. Nonn. Dion. VII, 185 *χεῖρας ἐρετμώσασα*, „manibus pro remis usa", quae locutio saepius invenitur apud Nonnum[1]), sed praeter hunc scriptorem etiam apud Eur. Med. 4: *ἐρετμῶσαι χέρας ἀνδρῶν ἀρίστων*. Quam igitur vim verbum *ἐρετμόω* Arg. 360 habet, ea non propior est Nonnianae quam Euripideae.

Arg. 469: *ὄργια φρικτὰ θεῶν, ἄρρητα βροτοῖσιν* [sic corr. Brunck ad Apoll. Rh. I, 917; libri *ὅρκια*]. Cf. Nonn. Dion. III, 262 *καὶ φρικτὰ πολισσούχοιο θεαίνης ὄργια*.

Arg. 568: *ἡ δὲ κατ' ὀρφναίοιο πόλου χρυσήνιος Ἠώς ἀντολίας ἤνοιγεν* [*ἀντολίας* ex L Schneiderus, ut 369; *ἀντολίην* codices] similiterque 368: *τῆμος ἱερὸς ὄρθρος ἀπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων ἀντολίας ἤνοιγεν, ἐφέσπετο δ' ἠριγένεια*. Cf. Nonn. Dion. XXVII, 1 *ἄρτι δὲ λυσιπόνοιο τιναξαμένη πτερὸν ὕπνου ἀντολίης ὤιξε θύρας πολεμητόκος ἠώς*. Aliis litterarum Graecarum locis figura *ἀντολίαν ἀνοίγειν* non invenitur.

Arg. 706: *ἱέμενοι θοὰ κύματ' ὑπ' εἰρεσίῃσι χάρασσον* similiterque 374 *κῦμα χαράσσειν*, 1253 *ἐχαράσσομεν ἅλμην*. Cf. Nonn. Dion. III, 46 *νήνεμον ἀκροτάτοισιν ὕδωρ ἐχάρασσον ἐρετμοῖς*; eademque locutio, quae Nonni eiusque imitatorum propria est, multis aliis Dionysiacorum locis exstat, ut I, 96; II, 13; III, 9. 273; X, 170; XLIII, 200.

Arg. 959: *φωριαμῶν ἀνελοῦσα θυώδεος ἐξ ἀδύτοιο*: sic enim recte LVRS; Ruhnkenius vult *φωριαμοῦ*, quod *ΑΠΦ* praebent, ut *θυώδεος* ad id referendum sit, confertque Nonn. Dion. XX, 18 *φωριαμοὺς ὤιξε θυώδεας*. Vide autem supra p. 87 *θυώδης*.

Arg. 1017: *δολιχὴν δ' ἀμφ' αὐχένι δειρὴν*
θῆκε καρηβαρέων φολίσιν.

Sic recte exstat in codd. praeter R, in quo *δ' αὐχένι δεινὴν* legitur. Varia editores praeter Abelium coniecere. Ruhnkenius hunc locum confert cum Nonn. Dion. XXIX, 94 *νωθρὸν ἐπὶ σκιόεντι πέδῳ παρὰ γείτονι φηγῷ θῆκε καρηβαρέοντα*, quae verba fortasse ex imitatione Orphei fluxisse arbitratur. Vides,

---

[1]) Cf. Herm. Orph. p. 815.

similitudinem tam exiguam esse, ut ipsi Ruhnkenio imitatio dubia videatur esse.

Arg. 1348: *δυσαινήτοις ὑμεναίοις* Ruhnkenius mutare voluit in *δυσαντήτοις ὑμεναίοις*, hoc expressisse ratus Nonnum, „imitatorem Orphei", Dion. XLII, 406: *φεῦγε δυσαντήτων Ποσιδήιον οἶστρον ἐρώτων*. Sed *δυσαινήτοις* recte traditum esse supra p. 107 exposuimus.

Haec exempla a Ruhnkenio allata qui paullo accuratius consideravit, facere non poterit, quin illius sententiam veris fundamentis non niti intellegat.

Primum enim omnino sunt omittenda | Arg. 959, ubi *φωριαμοῦ* perversum esse constat, 1348, ubi *δυσαντήτοις* coniectura demum a Ruhnkenio — idque male — substitutum est traditae lectioni; parum vero similitudinis inter Arg. 229. 360. 469 et locos illos Nonnianos interest, ut nihil inde effici possit. Restant igitur Arg. 505 (369) *ἀντολίας ἤνοιγεν* et Arg. 706 *κῦματ' ὑπ' εἰρεσίῃσι χάρασσον*, quos solos locos nihil probare posse apparet; et si possent, reputandum esset, utrum ex communi fonte fluere potuerint an alterum alterum imitatum esse necesse sit, et utrum specimen fuisse sit probabilius. Quo facilius Schneiderus[1]) id reicere potuit argumentum, quod Ruhnkenius ex illa, quam statuit, imitatione, ad vetustam nostri poetae aetatem demonstrandam ducere voluit, Nonnum non nisi veteres imitatum esse iudicans.

Sed accedunt alia non pauca Orphei et Nonni elocutioni communia, ex quorum summa certius aliquid colligi sane posse existimo.

a) Hemistichia.

βριαρὴν ἀνενείκατο φωνήν Arg. 821. Idem hemistichium legitur Nonn. Dion. XVI, 146; cf. Arg. 76 *μείλιχον* . . *ἀ. φ.*, 772 *διπλῆν* [sic Hermannus pro corrupta codd. lectione *ἅδην*], 846 *τοίην*. Haec dicendi formula, quam primi bucolici ex Homerico (*T* 314) *ἀδινῶς ἀνενείκατο φώνησέν τε* desumpserunt, usitatissima est apud Nonnum eiusque imitatores. Cf. exempla ab Hermanno p. 822 collecta.

[1]) Praef. edit. Argon. p. XIX.

ἑπτὰ περὶ στεφανοῖσι κυκλούμενον Arg. 900. Cf. Nonn. Dion. XXXVIII, 312: ἑπτὰ περὶ ζώναις κυκλούμενον.

b) Vocabula et locutiones.

ἀράσσω: Arg. 384 κιθάρην ἀράσσων, 400 λύρην ἤρασσε. Cf. Christod. 46 λύρην ἀράσσεις, similiterque locutio ὕμνον ἀράσσειν (κιθάρῃ, πηκτίδι) propria est Nonni eiusque imitatorum. Cf. Hermann. p. 815.

αἷμα γενέθλης: Arg. 256 Μινύηιον α. γ. Haec locutio non nisi apud Nonnum, sed ibi saepissime invenitur, ut Dion. XIII, 44 Κενταυρίδος α. γ., 228 ἐμφύλιον, XIV, 117 Ἀχαιικόν, 336 οὐτιδανῆς . . . λιποσθενὲς α. γ., XXIII, 237 Ὑπερίονος, XXVII, 231 Φαετοντίδος, 335 Ζεφυρηΐδος, XL, 573 θεηγενές, XLVI, 77 Ὀλύμπιον.

ἀκαμπής: Arg. 174 ἀκαμπέα γούνατα. Idem Nonnus Paraphr. XI, 167. Cum aliis nominibus hoc adiectivum etiam apud antiquiores poetas coniunctum invenitur.

ἀστροχίτων: Arg. 515 μήνη δ' ἀ. ἔπαγεν μελαναυγέα ὄρφνην, 1031 νὺξ δέ οἱ ἀ. μέσσην παράμειβε πορείαν. Quod traditum est in Etymol. M. p. 806, 2 et in Epimer. Hom. (Cram. anecd. Oxon. I) p. 435, 13 πόλῳ ἀστροχίτωνι, O. Schneiderum (Callim. II p. 728) ei Callimachi carmini, quod inscribebatur „coma Berenices", nulla causa satis apta adiutum puto attribuisse; sed Callimachi id esse probabilitate non caret. Hoc autem frustulum si excipimus, adiectivum illud non invenitur ante Nonnum, apud quem nomen Herculis est in Dion. libro XL (cf. XL, 408. 578, ubi hoc epitheton uberius explicatur). Praeterea legitur apud Ioann. Gaz. tab. m. 192 πόλον ἀστροχίτωνα et Paul. Sil. ecphr. S. Soph. I, 155 ἀ. χορείην; apud alios poetas non exstant exempla. Ad Arg. 1031 cf. etiam Nonn. Dion. II, 166 σιγαλέη νὺξ οὐρανὸν ἀστερόεντι διεχλαίνωσε χιτῶνι et XVIII, 160 καὶ ζόφον ἐχλαίνωσεν ἑῷ χροῒ σιγαλέη νὺξ οὐρανὸν ἀστερόεντι διαγράψασα χιτῶνι.

θεηγόρος: Arg. 543 μῦθον. Hoc adiectivum praeter nonnullos recentioris prosae orationis locos frequenter invenitur in Nonni Paraphr., ut VII, 162 ὀμφή. Cf. etiam Dion. XIII, 132 πέτρη, XXVI, 279 μαντιπόλον.

θέσκελος: Arg. 88 *ὀμφήν,* 267 *ὀμφῇ*. Apud antiquiores poetas raro adhibetur: *Γ* 130, *λ* 374, Hesiod. Scut. 34 *ἔργα*; *Ψ* 107 *ἔικτο δὲ θ. αὐτῷ*. Saepius usurpatur a Nonno: *θέσκελον ὀμφήν,* ut Arg. 88, legitur Paraphr. III, 49, V, 106, VIII, 139; *ὀμφή* XV, 103; *αὐδήν* Paraphr. I, 193.

ὄπωπε Arg. 1193 imperfecti vim habet: „videbat". Huius usus exempla alia non exstant nisi apud Nonnum: Dion. XVIII, 176. 182; XX, 402; XXXIII, 61; XXXIX, 296; XLII, 48; Paraphr. II, 76.

ὀρεσσιδρόμος: Arg. 21 *ὀ. μητρός* (i. e. Cybele). Cf. Nonn. Dion. II, 442 *ὀ. ὕδωρ,* XXXII, 134 *ἄγρην*. Alia non invenio huius vocis exempla.

παρθενίης νοσφίζετο κούριον ἄνθος Arg. 1347 Cf. Nonn. Dion. XVI, 282 *ἐνοσφίσθη δὲ κορείης παρθενική*.

Inter haec similitudinis exempla compluria esse, quae casu orta esse posse non liceat iudicare, mihi quidem certissimum videtur. Maxime animadvertenda sunt duo quae attuli hemistichia; abundans illa verborum coniunctio ... *αἷμα γενέθλης*; *ἀστροχίτων*; *θεηγόρος ὀμφή*. Tria igitur nobis sunt consideranda, si altiorem huius rei causam investigare volumus.

Primum enim quaerendum est, utrum Argonauticorum poeta auctor, Nonnus imitator sit habendus, an contrarium sit probabile. Prius propterea probabilitate carere mihi videtur, quod mirum esset, Nonnum, poetam haud parvo ingenio praeditum et novae dictionis epicae quasi parentem, eius carminis dicendi genus expressisse, cui pro arte poetica humillimus in Graecorum poesi debeatur locus. Dices: eo nomine, quo circumferebatur, Orphei, multo maiorem gloriam, quam qua dignum erat adeptum est. Sed huiusmodi opera antiquissimo scriptori recenti aetate supposita, si quidem ut falsa non cognoscuntur, non statim, postquam nata sunt, auctoritatem consequi, sed aliquanto demum temporis post publici quodammodo iuris fieri consentaneum est. Nonnum autem, si quidem rocentior est Argonauticorum scriptore, non multo post eum fuisse Hermannus, ut supra diximus, recte cognovit. Nec vero magis persuadere mihi possum, ex Nonni imitatione illa fluxisse, non quo tam sera aetas nostro scriptori tribui non possit — nam hoc iam supra p. 70

refutavimus —, sed quod maior inter nostri poetae et Nonni dictionem intercedit differentia tamque pauca ex illo desumpsisse mirum esset; nam evitandis iis, quae novissimae aetatis sermonis propria erant, minus illum operam dedisse atque adeo evitare ea non potuisse variis exemplis demonstravimus.

Restat tertium: ex communi fonte illa orta esse; hoc est, utrumque poetam ex vetustioribus deperditisque carminibus ea hausisse; nam utrumque clarioribus, qui antecesserant, poetis imitandis operam dedisse constat. Quo in genere, si quid cum probabilitate quadam statui potest, ante omnia Callimachum, qui maxime a recentioribus ante Nonnum poetis colebatur, commune exemplar fuisse cogitaverim; id quod praecipue in voce *ἀστροχίτων* veri simile est: sed ut Nonnum diligenter imitatione illum expressisse certum est[1]), ita in nostro carmine alia certaque imitationis exempla non inveniuntur: qua re illam explicationem elucet valde incertam fieri.

Altero loco ex deperditis Orphicis carminibus ea desumpta esse verisimilitudinem quandam habet; nam et nostrum poetam, quippe qui Orphicae mythologiae peritissimus sit, talia legisse probabile est[2]) et de Nonno ob nonnulla eiusdem rei in Dionysiacis vestigia[3]) idem statuere licet.

Pro utraque igitur sententia non desunt, quae afferri possint argumenta: verumtamen perquam incertam rem manere luculenter apparet.

Quae igitur ex iis, quae disputavimus, maxime effici mihi videntur, haec sunt:

I. Argonauticorum scriptor diligentissime dictionem Homericam imitatione expressit paucorum tantummodo vocabulorum significationibus mutatis.

II. Inter posteriores epicos maxime imitatus est Hesiodum, fortasse quaedam ex hymnis Homericis, nonnulla certe ex Apollonio Rhodio et Quinto Smyrnaeo desumpsit.

III. Magnus earum vocum est numerus, quae singulares in Orphei Argonauticis inveniuntur. Sed quamvis male permultae

---

1) Cf. Ruhnken, epist. crit. II. Naeke, Opp. I p. 223 sqq.

2) Cf. etiam, quae in cap. II § 5 disputavimus.

3) Cf. Bernhardy, Litt. Graec. hist. II³ p. 396.

sint formatae, tamen, paucis exceptis, nostri poetae inscitiae studioque novandi, non corruptae traditioni sunt vindicandae; in quibus removendis editores non ubique ea qua opus est cautione ac diligentia usi sunt.

IV. Idem valet de vocabulis singulari vi usurpatis neque aliter iudicandum de abundantibus obscurisque dicendi formulis.

V. Haec omnia coniuncta miram quandam vocabulorum formularumque reddunt farraginem, in qua et recentissimae aetatis vestigia cernuntur et exigua poetae ars indolesque ad orientalium populorum cogitationem propius quam ad Graecorum accedens; ex quibus cum probabilitate quadam colligi potest, Argonauticorum scriptorem non Graecum fuisse et epos suum aetate a Nonno non multum distante, utique post Quintum Smyrnaeum, composuisse. Ex iis autem, quae inter Argonauticorum et Nonni dictionem congruunt, nihil nisi hoc probabile fit, ex vetustioribus carminibus, fortasse Callimacheis vel Orphicis, illa fluxisse.

Index locorum dubias lectiones continentium, de quibus disputatum est.

WOLFRAMUS KAUSCHE:

MYTHOLOGUMENA AESCHYLEA.

Praefatio.

De Aeschyli mythopoeia disputaturo vel potius congesturo mythologumena Aeschylea paucis mihi praemonendum est, quibus adductus sim causis ad hoc opusculum instituendum, quid utilitatis id habere putem, quas denique rationes secutus sim in tractanda et disponenda ea materia.

Cum Graecorum litteris nobis servatis operam dans maxime delectarer tragoediis Aeschyleis, ita ut in eum praeter ceteros studia conferrem, mythorum praecipue et fabularum formis tenebar operaeque pretium mihi videbatur fore accuratius perquirere, quae tragici summi fuerint in eligendis fabulis et tractandis rationes, i. e. qui fuerint eius fontes, quemadmodum eis se applicaverit, quae denique ei fuerint causae sive mutandae sive servandae mythi cuiusque formae. Incepto autem hoc opere brevi intellexi satis fructus mihi non futurum esse, nisi singula respexissem quaecunque apud Aeschylum exstent mythologica. Nam quae in universum in ea re eius fuerint rationes ei, qui aliqua ex parte antiquitatis studio imbutus est, apparet, quaeque huc pertinent iam saepius a viris doctis observata sunt[1], ita ut satis nota sint. Parvam autem fabularum partem aliquam si accuratius investigarem ceteris fabulis neglectis, firmas mythopoeiae Aeschyleae normas me non assecuturum esse mihi confitendum erat. Sed simul intellexi opus illud mihi propositum annorum complurium tempus exposcere, praesertim cum admodum adulescenti mihi tantum eruditionis litterarumque scientiae nondum esset, quantum ad id opus bene perficiendum opus est.

Quibus de causis nunc sola constitui edere 'mythologumena Aeschylea' sive 'accurate atque ita, ut facile perspici possint, composita quaecunque apud Aeschylum inveniuntur mythologica'. Nam et hoc opus multis, qui in veterum litteris versantur, viris exoptatum fore spero. Iam Lessingium nostrum cupivisse, ut

'tragicorum mythologia' componeretur, Lehrsius me docuit[2]. Et notum est ab Heynio esse postulatum, ut singularum aetatum singulorumque scriptorum mythologumena ederentur[3]. Repetiverunt hoc Welckerus, Friedlaenderus, alii, praeter ceteros L. de Sybel, qui ipse 'mythologumena Iliadis' composuit[4].

Quantum utilitatis capere possit is qui de fontibus atque incrementis mythi alicuius anquirit, ex talibus singulorum scriptorum mythologumenis, si et satis accurate composita sunt et satis facile perspici possunt, neminem fugiat. Quare confidenter hoc muneris in Aeschylo suscipere institui. Notum est simile opus iam ante hos sexaginta annos editum esse a Klauseno ('theologumena Aeschylea')[5]. Neque vero quisquam illum, qui ultra eas quae ad deos spectant Aeschyli opiniones non progressus est, id quod mihi propositum est, iam praestitisse contendat. Ne eis quidem, quae ad deos spectant, propter Klausenium supersedere potui, cum et alias ille in componendo eo libello rationes secutus sit et ex illo tempore in hac ipsa litterarum parte maxime Welckeri, K. O. Muelleri, Hermanni, Nitzschii, Schoemanni, Weilii, Keckii, Weckleinii, Wilamowitzii, Roberti operibus plurima melius et accuratius explorata sint.

Restat ut de ratione ea, qua optime proposito meo me satisfacturum esse putabam, pauca dicam. Summopere studui, ut quam brevissime uniuscuiusque mythi materia componeretur nec tamen ea dicendi forma, quae facile legi possit, careat. Praeter cetera autem spectavi perspicuitatem. Hac de causa non pauca bis vel ter diversis locis attuli, ne uno vel altero loco perspicuitas nimis perturbaretur. Praeter ipsa Aeschyli verba saepissime respiciendae mihi erant posterorum, praecipue nostrae aetatis, virorum doctorum sententiae. Imprimis in fabulis deperditis hoc facere debebam. Hac autem in re venia mihi petenda est, si aliis nimis a proposito aberrasse adnotationibus longioribus, aliis hic vel illic difficultatem aliquam non satis accurate et usque ad iustum finem persecutus esse videar. Cum difficillimum sit, hac in re iustum observare modum — quoniam longiores disputationes de singulis quaestionibus non aptae sunt huius opusculi proposito, multae autem difficultates eiusmodi sunt, ut is qui in mythologumena Aeschylea inquirat certior de eis fieri debeat —, facile fieri potuit, ut non omnia huiusmodi

pariter tractarem. Eisdem de causis interdum coactus sum, sententiam de difficultate aliqua meam profiteri omissa accuratiore argumentatione. Denique facere non potui, ut omnem, quae hodie exstat, molem librorum et libellorum, commentationum et commentatiuncularum, quae de Aeschylo conscriptae sunt, perlustrarem, quamquam optima et gravissima quaeque cognoscere studui. Si hac in re interdum melius aliquid neglexerim, deterius respexerim, si denique in ipsis mythologumenis Aeschyleis congerendis aliquid omiserim vel erraverim, peto ut mihi ignoscatur et, si omnino aliquid utilitatis opusculo meo inesse concedetur, gratias quam maximas eis agam, qui benevolenter ad vitia animum meum adverterint atque adulescentulum me meliora docuerint vel emendationes mihi suppeditaverint.

In disponenda materia maxime Prellerum secutus sum, cuius 'mythologiae Graecae' dispositionem certe perspicuitate ceteris multo antecellere mihi persuasum est. Quamquam in rebus singulis, ut materia mea postulabat, multis ab eo me discessisse consentaneum est[6]. In afferendis denique locis Aeschyleis usus sum Weckleinii editione[7] in tragoediis servatis, Dindorfii[8] in deperditarum fragmentis.

Adnot. 1) K. O. Müller, Prolegom. zu einer wiss. Myth., p. 90; Welcker, Die griech. Trag., p. 1 sq.; Dronke, Jahrbb. f. Phil. IV Suppl. (1861), p. 19 sq. (cf. p. 54); Nitzsch, Sagenpoes. d. Gr., p. 461 sq. (praec. p. 539 sq.); Bernhardy, Gr. Litt.[3] II, 2 pagg. 21, 24, 164 sq., 181 sq., 202 sq., 244 sq.; Bergk, Gr. Litt. III p. 341 sq.; Robert, Bild und Lied, p. 27; Preller-Robert, Gr. Myth.[4] I p. 17; Campbell, the Aeschylean treatment of myth and legend (a sketch in outline), Journal of hell. stud. VI p. 153 sq.; cett.

2) Lehrs, popul. Aufsätze p. 8.

3) Heyne, ed. Apollodor. praef. p. 19.

4) Welcker, Gr. Götterlehre, praef.; Friedländer, Jbb. f. Philol. 1873 p. 312; L. v. Sybel, Mythologie der Ilias, p. 55 sq., p. 100.

5) Klausen, theologumena Aeschylea, 1829.

6) Minime mihi placet Sybelii 'mythologiae Iliadis' dispositio, qua nonnunquam ea, quae rerum conexu inter se cohaerent, disiunguntur.

7) Aeschyli fabulae cum lectionibus et scholiis codicis Medicei cet., ed. N. Wecklein., Berol. 1885.

8) Poetarum scenicorum Graecorum, Aeschyli, Sophoclis, Euripidis et Aristophanis fabulae superstites et perditarum fragmenta ex rec. Guil. Dindorfii, ed. quinta, Lips. 1869.

Caput I.

Deorum fabulae.

1. Ζεύς[1].

§ 1. *a*) Origo atque incrementa.

Iovem *Κρόνου* filium esse commemoratur Prom. 201, 600, 942; Eum. 644; frg. 193 (v. 5). Mater Iovis *Γῆ* Suppl. 903 appellatur[2].

Iovem non semper regnasse, sed vi et bello superato patre Saturno imperium occupasse identidem apud Aeschylum legitur. Spectat ex parte huc Promethei fabulae argumentum, in qua Iupiter novi regnatoris partes agit. Cf. vv. 35, 95, 156, 326, 405, 992. Iam duos ante Iovem imperium tenuisse Ag. 178 sq., Prom. 989 dicitur. Narratur de Iovis et Saturni bello Prom. 215 sq.: seditionem ortam esse inter deos aliis cum Iove Saturni imperium evertere volentibus, aliis defendentibus[3]; vicisse tandem Iovem consiliis usum Promethei qui desertis Titanibus ad eum profugisset[4], Prom. 235, 320. Victos autem Saturnum (filium exsecrantem Prom. 942) eiusque socios in Tartarum deiectos in custodia tenet Prom. 235, 160; Eum. 644[5]. Imperium nactus deis sociis potestates et honores distribuit Prom. 245, cf. Eum. 92. Ceterum novum statum rerum novasque leges suo arbitrio (Prom. 158, 202, 419, 939) edictas saevissime defendit. Talem eum per totam fabulam 'Promethei' Aeschylus nobis proponit. Cf. praeter ceteros vv. 34 sq., 202, 340, 418 sq., 172 sq.[6]

Rebellat contra Iovis imperium Typhoeus Prom. 373[7]. Sed facile eum Iupiter domat percutiens fulmine atque Aetna monte superiecto coercet; Prom. 367 sq., Sept. 500, 504.

Deinde Iovi hominum genus recreaturo (Prom. 248) adversarius existit Prometheus[8] vanumque reddit id consilium,

Prom. 250 sq. Quem ut sibi oboedientem reddat, gravissimis suppliciis Iupiter exagitat neque tamen diu frangere potest eius animum obstinatum. Hoc praeclare depingit poeta per totam fabulam 'Promethei'. Vide praeter ceteros vv. 1075 sq. Sed multo tempore praeterlapso in gratiam Iovis redit Prometheus Titanibus iam antea e vinculis solutis; frg. 191, 193[9].

§ 2. *b*) **Iovis natura, mores, auctoritas.**

Vis et potentia. De vi et natura Iovis duo loci Aeschylei valde memorabiles sunt: Ag. 170 sq.: *Ζεὺς ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ|τῷ φίλον κεκλημένῳ, | τοῦτό νιν προςεννέπω. | οὐκ ἔχω προςεικάσαι | πάντ' ἐπισταθμώμενος | πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν | ἀπὸ φροντίδος ἄχθος | χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως,* et fragm. 65 a: *Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός, | Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον.* Quibus summum atque absolutum quoddam numen Iovem dicit similiter ac philosophi de eo docebant. Vi et robore multo praestantiorem esse Iovem omnibus ceteris et deis et daemonibus saepissime Aeschylus praedicat. Est *παγκρατής* Sept. 241, Suppl. 823, Eum. 919, cf. Suppl. 1046; *ἀμφιθαλής* Ch. 393; *οὐδὲν ἀσθμαίνων μένει* Eum. 654; *τελέων τελειότατον κράτος* Supp. 535; 'nunquam ab alio victus' Sept. 501, Ag. 183. Reformidant eius potentiam ceteri dei, ut in Promethei prologo identidem ostendunt Vulcanus et Robur (vide praeter ceteros vv. 40, 68, 50: *ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός*), deinde Oceanus Prom. 327 sq. et Oceanides 196 sq., 543 sq. Prometheus, qui eam sese non timere iactet, tamen re vera eam acerbissimam sentit. Et ipse Iove nolente sese solvi non posse fatetur Prom. 274. 'Hominibus eum esse eo magis *δυσπολέμητον*' (Suppl. 656, cf. Prom. 570) consentaneum est. Neque tamen infinitam putari ab Aeschylo Iovis potentiam esse vel potius semper fuisse inde videmus, quod ipse Iupiter Mercurio ad Prometheum misso (Prom. 979 sq.) concedit fieri posse, ut aliquis ipso potentior existat, Prom. 940 sq.[10] Ceterum de finibus potentiae eius memorabiles sunt etiam Eum. vv. 652 sq.

§ 3. **Omnium rerum rector et moderator Iupiter** apud Aeschylum saepissime significatur: Sept. 601; Pers. 535, 742, 917; Prom. 542, 569 (*Διὸς ἁρμονία*); Supp. 89 sq., 95 sq.,

102 sq., 217, 364 (*Ζεὺς κλάριος*), 386 (*ὑψόθεν σκοπός*), 632, 681, 830, 1059; Ag. 587, 682, 965, 1020, 1486 sq.; Eum. 653, 762[11]. Sic appellatur: *παντελής* Sept. 111, *νεμέτωρ* Sept. 472, *τέλειος* Ag. 964, Eum. 28; *παναίτιος, πανεργέτης* Ag. 1487; *μέγας τέκτων, τὸ πᾶν μῆχαρ, οὔριος* Supp. 602; *πανόπτας* Eum. 1046. Sic ipse Iupiter hominibus nutrimentum, fruges vinum, procreat Ag. 961, 1001, 1390, Supp. 696; opes et pecuniam praebet *Ζεὺς* (*κτήσιος*) Supp. 454. Ad hoc rerum gubernandarum Iovis munus pertinet imago non semel ab Aeschylo usurpata Iovis libra sortes pendentis. Dicitur *ἑτερορρεπής* Supp. 408, invocatur *σὸν δ' ἐπίπαν ζυγὸν ταλάντου κ. τ. λ.* Supp. 829. Notissimum autem est in ipsam scenam productum eum esse libram tenentem in fabula, quae ab hac ipsa re dicta est *Ψυχοστασία*. Vide frg. 276[12].

Quamquam multis eorum quos enumeravi locis sic fatum, ut ita dicam, in Iovis potestate vel arbitrio positum esse dicitur (vide praet. cet. Supp. 95 sq., 1059, 606 et Ch. 305, ubi Parcae invocantur, ut *Διόθεν* aliquid efficiant), tamen in Prometheo vincto (ubi Iupiter nondum deus perfectissimus est[13]) disertis verbis premitur etiam ipsum Iovem subiectum esse fato sive Parcarum destinatis ipsi ignotis. Non solum iactat Prometheus se scire vaticinium ad Iovem pertinens illi ignotum Prom. 183 sq., 534 sq., 790 sq., 940 sq., 990, 1028, sed Iupiter ipse id fatum metuit conaturque vi et minis illum cogere, ut id sibi prodat Prom. 979 sq.[14]

§ 4. Iuris, bonorum morum, civitatum, legum auctor et conservator. Iupiter, cum res divinas et humanas regit et moderatur, summa in ea re iustitia utitur: Supp. 102, 407 sq., 445, 654 sq., 820; Sept. 930; Pers. 829; Ag. 367 sq., 530 (*δικηφόρος*), 1562; Ch. 641, 771; probos defendit et tuetur, improbos poenis persequitur. Quare imploratur ab eis, qui suam iustam esse causam putant contra adversarios, ut ab Eteocle et Thebanis Sept. 69, 111, 472, 617, 807[15], a Danaidibus Supp. 27, 110, 537, 822, 1063, 1073, ab Oreste[16] et Electra Ch. 18, 244 sq., 381, 394, 408, a choro Ch. 784 sq., 854. Iovis ius et bonos mores defendentis epitheta apud Aeschylum sunt: *σωτήρ, οἰκοφύλαξ* Supp. 26, Eum. 763, cf. frg. 52; *ἀλεξητήριος* Sept. 8[17]; *ξένιος* qui et hospites tuetur, Supp. 635, 680, et violatum hospi-

tium ulciscitur, Ag. 61, 374, 747; ἀγοραῖος qui civitatum instituta curat Eum. 974; ξυνέστιος Ag. 706; ἀφίκτωρ Supp. 1; ἱκέσιος Supp. 349, 624; ἱκτήρ Supp. 487; ἱκταῖος Supp. 390[18]. Paene omnibus his locis, ubi supplicum defensor Iupiter vocatur, gravissimum eius κότον esse premitur in eos, qui supplicantes vel neglegant vel laedant. Rami, supplicum symbola, αἰδοίου Διὸς ἀγάλματα dicuntur Supp. 198, ipsi supplicantes ἱκέται Διὸς Supp. 649, ἵκτορες Ζηνός 661. Ipse Iupiter, ut iniuriam ulciscatur, Furias et Ἄτην hominibus mittit Ag. 56[19], 747, Ch. 381.

Etiam auctor et conditor iuris, legum, civitatum Iupiter habendus est. Ab illo reges sceptra et solia acceperunt Ag. 43, Eum. 629, Pers. 764. Ab eodem primus expiatus est Ixion homicida Eum. 721; praeterea de Iove expiatore cf. frg. 340.

§ 5. Summa Iovis sapientia. Etiam omnium prudentissimum et sapientissimum eum qui omnia regat esse consentaneum est Prom. 62, Supp. 1059, 1068. Quaecunque Apollo vaticinatur oracula a Iove ei suggeruntur Eum. 619 sq., frg. 82 (cf. Eum. 17, 19, 716, 801). Nihilominus ignorat Iupiter vaticinium de nuptiis sibi imminentibus Prometheo notum, Prom. 979 sq. (vide adn. 14).

§ 6. Iovis auctoritas. Imperio occupato oppressisque rebellionibus Iupiter supremus deorum tamquam rex, pater agnoscitur: πρύτανις μακάρων Prom. 182, μόναρχος οὐχ ὑπεύθυνος Prom. 340, ἄναξ ἀνάκτων, μακάρτατος μακάρων Supp. 533, πατὴρ θεῶν Ch. 780, Ὀλυμπίων Eum. 621, πάντων μέγιστος Ch. 244, ὕψιστος Eum. 28, γαιάοχος Supp. 823, βασιλεύς Pers. 535, Ag. 367[20]. Regnat nullius imperio subiectus, nemini obnoxius Supp. 603 sq. De solio et aula Iovis dicitur Ag. 1562, Prom. 942 (cf. 242), Prom. 123. Sedes illius aulae in Olympo putanda est; cf. Prom. 157, Ch. 780, Eum. 621. Deorum τύραννος ipse, dominatio eius τυραννίς saepius vocatur in Prometheo Vincto: v. 10, 238, 240, 321, 326, 762, 782, 941, 974, 1028 (cf. 989)[21].

§ 7. *c*) Res Iovis propriae et sacrae.

Nubes, fulmen, tonitrus. Nubes Iovis dicuntur Supp. 788 (cf. Prom. 1025); fulmina et tonitrus eius arma sunt, qui-

bus utitur ad adversarios impugnandos Prom. 374 sq., 948, 954, Sept. 500, contumaces coercendos Prom. 1024, 1049, 1075, 1095, 1116 sq., puniendos homines impios et superbiores Prom. 694, Ag. 475[22], Sept. 417[23]. De domo in qua fulmen a Iove asservatur Minerva dicit Eum. 830.

Aquila avis Iovis sacra est. Vocatur *Διὸς πτηνὸς κύων* Prom. 1054, Ag. 141; „Iovis satelles" Cicero vertit 'Promethei Soluti' aliquos afferens versus frg. 193 (v. 12).

Loca Iovis sacra apud Aeschylum haec inveniuntur: Dodonae quercuum oraculum *Θεσπρωτοῦ Διός* Prom. 856, Athos mons Ag. 297, Cenaeum promunturium frg. 27, ara eius in Ida monte exstructa frg. 155. Praeterea Athenas *φρούριον θεῶν νέμει* Iupiter Eum. 920, Argis *ὕπατος χώρας* invocatur Ag. 514, Aegyptus *Δῖον πάμβοτον ἄλσος* dicitur Supp. 567.

§ 8. *d*) Iovis coniugia, filii, prognati.

Uxores Iovis esse Aeschylus has commemorat: Iunonem frg. 329, Supp. 306, cf. Eum. 214, frg. 52; Maiam Mercurii matrem frg. 387; Electram Erichthonii matrem frg. 437[24]; Io Prom. 615 sq., Supp. saepenumero[25], matrem Epaphi Prom. 877, Supp. 48; Thaliam matrem Palicorum deorum Siculorum frg. 5; Europam matrem Minois, Radamanthyis, Sarpedonis frg. papyr.[26] Praeterea identidem in Prometheo (790, 940 sq., 979, cf. 183) mentio fit illius coniugii a Iove petiti, quod nisi vitaret vaticinium erat fore, ut filius ipso potentior nasceretur[27].

Ex filiis Iovis Mercurius, Erichthonius, Palici modo commemorati sunt; de Mercurio cf. etiam Prom. 979, 1001. Vulcanus Iovis filius dicitur Prom. 4, 40, 53, Apollo Eum. 19, Pan frg. 29[28], Hercules frg. 201, Amphion Sept. 515. Filiae eius sunt: Minerva Sept. 120, Eum. 418, 667; Diana Ag. 141; *Δίκη* Sept. 649, Ch. 948. Niobe Iovem *πατρῷον* dicit frg. 155.

Adnot. 1) De Iove Aeschyleo disseruerunt: Welcker, tril. p. 92 sq.; Klausen, theol. Aesch. p. 65 sq.; Stacke, Jahn's Archiv 1851 (Jbb. Supp. 17) p. 406 sq.; Dronke, Jbb. f. Philol. Suppl. IV (1861), p. 7 sq.; Schwarz, die Darstellung des Zeus im Prometheus des Aeschylus, Progr. Salzwedel. 1875. Cf. etiam Preller-Robert, Gr. myth. I, p. 153. Cf. adn. 5. — Miram sententiam de Iove Aeschyleo Godofr. Hermannus protulit (de Prom. Aeschyl. 1845, opp. VIII, p. 146), adductus diversitate quae inter Iovis mores, quales in Prometheo Vincto et qua-

les in ceteris fabulis describuntur, intercedit: „Duplicem usum esse nominis Iovis apud veteres, praeter ceteros apud Aeschylum. Significare nomen illud nunc unum ex deis qui supremus habeatur, nunc omnino divinam naturam cet.“ Iam satis hanc Hermanni sententiam refutavit Schoemannus in 'Vindiciis Iovis Aeschylei' (opp. III, pag. 98 sq.). Cf. etiam Keckium, der theologische Charakter des Zeus in Aesch. Prom., p. 2; Wecklein., ed. Prom. p. 12.

2) Recte adnotat scholiastes: ἡ αὐτὴ γὰρ Ῥέα καὶ Γῆ. Clarius hoc demonstrat Klausenius l. l. p. 33 adn. 46. Etiam Sophocles Terram Iovis matrem appellat Phil. 389. Cf. Hermannum ad h. l.

3) Cf. § 75.

4) Tenendum vero est Prometheum ipsum hoc de se dicere. Cf. § 81.

5) De Atlantis poena vide § 42.

6) Maxime conspicua est primo aspectu ne dicam offendit diversitas morum et indolis Iovis, quales in Prometheo Vincto et quales in ceteris fabulis Aeschylus describit. Nunquam alias tam durus ne dicam severus et crudelis dominus Iupiter fingitur quam in Prometheo Vincto. Atque cum alias summa illi est sapientia, vis, potentia, in Prom. et fato subiectus est, cum fieri possit, ut existat qui eo potentior sit, neque omnium rerum futurarum gnarus est. Iam quaestio difficillima coorta est, quae huius rei Aeschylo fuerit causa. Quae doctissimos aetatis nostrae viros occupavit. Afferre sufficiat: Welckerum l. l. et Gr. Götterlehre II, p. 246 sq.; Dissenium (in Welckeri tril. p. 92 sq.); Schoemannum, ed. Prom. p. 1 sq.; opp. III p. 95 sq., 120 sq.; Noch ein Wort über Aeschyl. Prom., 1859; G. Hermannum, opp. VIII p. 144 sq.; Caesarem, Z. f. d. A. 1845 p. 321 sq.; Der Prometheus des Aeschyl., 1860; Vischer., Ueb. die Prometheus-Tragödien des Aeschylus, Bas. 1859; Keck., Der theol. Charakter des Zeus in Aesch. Prom.; Dronkium, l. l. p. 14 sq.; Marcovitz., De Aesch. Prom., Progr. Düsseldorf 1865; Schwarz., progr. supra laud.; Wecklein., Stud. zu Aesch., p. 23 sq.; ed. Prom., p. 12, 16 (ibid. p. 24 plura quae de hac quaestione disputata sunt Weckleinius nominavit). Quorum omnes opiniones omniaque argumenta ut hic recenseam, spatium huius opusculi non permittit. Satis habeo fateri mihi persuasum esse recte se habere eam sententiam, quam primus protulit Dissenius (l. l.), fusius persecuti sunt argumentisque confirmaverunt Caesar et Keckius: „Ut in Eumenidibus Furiarum commutationem quandam nobis proposuerit (cf. § 63 c. adn. 12), sic Aeschylum ne Iovem quidem putasse semper deum perfectissimum fuisse qualem plerumque eum describat. Sic in 'Vincto Prometheo', ubi imperium deorum modo occupaverit, quod magnopere premitur ab Aeschylo, nondum perfectum eum fingi, in fabula autem quae subsequebatur, 'Soluto Prometheo', animum eius indolemque iam ita mutata proposita fuisse, ut perfectissima sint.“ Cf. §§ 84 et 85. Rerum singularum, de quibus dissentiunt Caesar et Keckius, hoc unum memoratu dignum mihi videtur, quod hic (l. l. p. 23)

censet Aeschylum non paulatim sed 'sine dubio' uno actu, scil. Themidis coniugio, hanc Iovis mutationem effectam esse putasse. Nec vero ullo loco hoc significari ab Aeschylo tenendum est neque quae affert argumenta Keckius hoc necessarie demonstrare censeo.

7) Cf. § 76.

8) Cf. § 81.

9) Vide § 84.

10) Cf. adn. 14.

11) Multis locis paene pro ipso fato Iovis nomen ponitur. Vide adnot. 14.

12) Cf. § 96.

13) Vide adnot. 6.

14) Fusius et accuratius disseruerunt de ratione quae intercedat inter Iovem et fatum: Schoemannus, ed. Prom. p. 108 sq.; Keckius, l. l. p. 13 sq.; Herwigius, das ethisch-religiöse Fundament der aeschyl. Tragoedie, Prog. Constant. 1878, p. 18. Cf. etiam Welckerum, tril. p. 100 (c. adn. 120); Klausenium, theol. Aesch. p. 39 sq.; Dronkium, l. l. p. 9 sq.; cet.

15) Cf. Sept. 518 βίᾳ Διός.

16) Observandum etiam est ipsum Iovem auctorem principalem dici ab Aeschylo vaticinii illius quo imperatur Oresti, ut matrem occidat. Vide § 108.

17) Hoc ipsum ἀλεξητήριος Iovis epitheton, ni fallor, praeter hunc Aeschyli locum nunquam invenitur. Sed simili epitheto eum appellant Attici senes apud Sophoclem (Oed. Col. 143) Ζεῦ ἀλεξῆτορ. Vel hac de causa non vera scientia niti, sed temere conicere arbitror scholiastam Aeschyli adnotantem Ἀλεξητήριος Ζεὺς ἐν Θήβαις τιμᾶται. Quo accedit, quod ἀλεξητήριος 'averruncus' minime tale mihi epitheton videtur esse, qualia in singulis certis urbibus deorum propria esse solebant.

18) Haec Medicei lectio est. Quae vox cum alias non reperiatur, offendit nonnullos viros doctos et reposuerunt ἰκτίου pro ἰκταίου Dindorfius, Hermannus, Oberdickius. Traditam vero formam retinuit Weckleinius, comparans εὐκταίαν Sept. 710.

19) Quamquam hoc loco poeta dubitat, utrum in Iovem an Panem an Apollinem hoc conferendum sit.

20) Suppl. 903 lectio incerta ὦ βᾶ.

21) Cf. adn. 6. — De 'Iove ἐναλίῳ' cf. § 36.

22) Hic locus corruptus est, neque vero de sensu ulla dubitatio.

23) Etiam Ch. 395 de fulmine videtur cogitandum esse.

24) Sine dubio recte coniecit Schneidewinus 'Aeschylus' scribendum esse pro tradito 'Scilos'.

25) Suppl. qui huc pertinent locos compositos et digestos et ampliora de Iovis et Ius coniugio vide § 163.

26) Vide § 117 adn. 1.

27) Thetidis coniugium quin intellegendum sit, quamquam nusquam

nomen ab Aeschylo commemoratur, dubium non videtur. Cf. Pind. Isthm. VIII, 30 sq. (Bgk.) et Philodemi locum apud Dind. ante frg. 191. Vide etiam Wecklein., ed. Prom. p. 15; Graef., Jahrb. des archäolog. Inst. 1886 p. 199. Ceterum re vera Iupiter illud coniugium vitat Peleo Thetide nuptum data. Cf. § 129.

28) Cf. § 53 (c. adn. 3).

2. Ἥρα[1].

§ 9. Iuno Iovis nobilissima et iusta uxor est, frg. 329, Supp. 306 (cf. Eum. 214). Itaque auctoritate, nobilitate, potestate omnes ceteras deas superat; Supp. 1046, frg. 52. *Πότνια* appellatur Sept. 136. Coniugiorum adiutrix *τελεία* dicitur Eum. 214, frg. 329.

Paulo ampliora apud Aeschylum exstant tantummodo de vexatione Ius a Iunone profecta. Fuit Io Iunonis sacerdos Supp. 298. Quae cum Iovis amorem incendisset, a Iunone bos facta est Supp. 303. Deinde custodem ei mittit Iuno Argum et vexatorem oestrum Supp. 307, 311, 573, cf. Prom. 617, 730, 930[2]. Sed ipse Iupiter Iunonis invidiosos furores compescit Supp. 595.

Argos urbs Iunonis sacra est; Supp. 303 *Ἀργεία θεός* dicitur. Commemorandum denique est in 'Xantriis' Iunonem ab Aeschylo inductam esse divae sacerdotis tamquam partes agentem stipemque colligentem nymphis Argivis, frg. 170[3].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 87 sq.

2) Praeterea aperte huc pertinet Supp. 170 sq., locus admodum corruptus. Etiam epitheton Iunonis *οὐρανόνικος* quin recte illic eruerit Victorius, non dubito.

3) Satis mirum hoc est. Nec ad qualem fabulam vel rerum dramatis conexum id pertineat, satis patet. Welckerus (tril. 331 adn. 581) adeo in eo offendit, ut ab Aeschylo id plane alienum esse censeret. Sed vide Dindorfium ad h. frg. Praeterea cf. Fritzschium ad Arist. Ran. 1344.

3. Ἥφαιστος[1].

§ 10. Vulcanus filius Iovis est Prom. 4, 40, 53, pater Thaliae matris Palicorum frg. 5. Prometheo sese esse cognatum et familiarem dicit Prom. 14, 39[2]. Athenienses eius *παῖδες* dicuntur Eum. 13[3]. Proprius Vulcani est ignis Prom. 7, 38 eiusque munus (*χειρωναξία* Prom. 45, *τέχνη* 47) ars ferraria Prom.

45, 48. Officina ei est in Aetnae montis vertice Prom. 382. Appellative, ut ita dicam, ipsum ignem significat Ἥφαιστος Ag. 293. Fabri divini munere fungens permultis interest Vulcanus fabulis. E quibus Aeschylus memorat et datam esse a Vulcano falcem adamantinam Perseo frg. 253[4] et quomodo ab eo Prometheus ad rupem alligetur Prom. 1 sq., 81, 646, frg. 193[5]. Opus eius est poculum illud quo Sol cotidie ab occidente ad orientem revehitur frg. 66[6].

In Promethei prologo etiam indolem et mores Vulcani Aeschylus dilucide depingit. Invitissimus magnoque cum dolore officium Promethei vinciendi exsequitur v. 14 sq., 45 sq., 67 sq., reprehendit Roboris malevolentiam atque immanitatem v. 42, 78; neque tamen obsistere audet patris imperatis v. 17, 34, 51, 72, et peccata Promethei vituperat v. 28 sq.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 106 sq.

2) Cf. Weckleinium ad Prom. v. 14 (ed. min.).

3) Quin hi κελευθοποιοὶ παῖδες Ἡφαίστου Eum. 13 Athenienses intellegendi sint, ut iam recte interpretatur scholiastes, dubitari nequit ratione habita sententiarum conexus. Minus autem certum esse videtur, qualem eorum et Vulcani relationem voce παῖδες significare voluerit poeta. Maxime mihi placet Schoemanni sententia (ed. Eum. p. 187), quam ante eum, etsi dubitanter, iam protulit Stanleius: sic eos dici, quia ab Erichthonio, filio Vulcani, originem ducant. Sed etiam quia omnium artium praecipue ferrariae peritissimi sint, Athenienses sic appellari posse concedo.

4) Cf. § 173.

5) De hac re ampliora vide § 82.

6) De Achillis armis vide § 93.

4. Ἀθηνᾶ[1].

§ 11. Nata est Minerva non ex deae alicuius utero, sed ex Iove Olympio ipso, ἀλλ' οἷον ἔρνος οὔτις ἂν τέκοι θεός Eum. 667 sq., 739, adde Sept. 120, Eum. 418; cf. etiam Eum. 830. Praeterea Triton Libyae lacus 'Minervae γενέθλιος πόρος' dicitur Eum. 293[2].

Nomina Minervae apud Aeschylum sunt: Ἀθάνα Sept. 474, Eum. 235, 446, 893; Ἀθηναία Eum. 288, 299, 617; Παλλάς Sept. 122, 488, Eum. 10, 21, 79, 224, 632, 670, 757, 761, 775, 917, 1002, 1018. A Thebanis etiam cognomine Ὄγκα appellatur Sept. 149[3], 474, 488.

De natura, moribus, rebus propriis Minervae haec exstant apud Aeschylum. De se ipsa praedicat: *τὸ δ' ἄρσεν αἰνῶ πάντα, πλὴν γάμου τυχεῖν, | ἅπαντι θυμῷ, κάρτα δ' εἰμὶ τοῦ πατρός.* Quare sese nihil curare eam quae maritum interfecerit, eique qui patris mortem ultus sit favere Eum. 732 sq. Iustitiam se defendere Minerva in stichomythia Eum. 421 sq. ostendit; non deesse ei sapientiam ipsae Furiae concedunt v. 434. *Παρθένος* appellatur Eum. 1000, *φιλόμαχον κράτος* Sept. 120. Solam se deorum claves nosse domus in qua fulmen Iovis asservetur, Minerva dicit Eum. 830[4]. Aegis Minervae propria commemoratur Eum. 407, qua inflata tamquam pro alis usa per aërem vehitur.

§ 12. Atheniensium urbs praeter ceteras Minervae sacra sive propria et peculiaris est, *Παλλάδος πόλις* Eum. 79, 775 (cf. 917), *ἀκταὶ ναύποροι Παλλάδος* Eum. 10, cf. 288, 671; nomen *Ἀθηναία* iam supra commemoratum est. Suos cives Athenienses Minerva dicit Eum. 490 (cf. Eum. 404 sq., 1002), et in Attica Furiis cultum comparaturam sese esse pollicetur Eum. 797 sq. In ipsa Eumenidum fabulae scena, qua Athenae proponuntur, simulacrum Minervae spectatores conspiciunt v. 79, 235, 412. Praeter Athenas loca Minervae sacra commemorantur: Triton lacus Eum. 293, Phlegra Eum. 295, Thebanum Oncae fanum, portae vicinum Sept. 474, 488; *προναία* a Pythia invocatur Eum. 21.

Partes non mediocres Minervae sunt in Orestis fabula. Ab Apolline admonitus is Athenas in illius adytum confugit petitque, ut a Furiis liberetur. Non deest eius precibus Minerva et Areopago iudicio instituto efficit, ut Furiae eum dimittant. Haec copiose in Eumenidibus Aeschylus tractavit v. 79 sq., 235 sq. usque ad finem[5]. Praeterea occasione data commemoratur: Agamemnonem atque Argivos Troiam oppugnantes a Minerva adiutos esse Eum. 460, prorae Argus navis a Minerva fagi Dodonaeae materiam quandam loquentem insertam esse frg. 19, adiuvisse eam Ulixem ea re, quod effecerit, ut quamquam nihil mutatum Philoctetes eum non agnosceret, Dio Chrys. or. LII (Nauck., frg. tr. p. 62; Herm., frg. 263).

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 108 sq.
2) Cf. schol. ad h. v.

3) Cf. schol. ad h. v.

4) Hoc de Minerva fulminatrice videtur dictum esse. Cf. Hermannum ad h. l. et Preller-Robert., myth. Gr. I, 191.

5) Ampliora vide § 113.

5. Ἀπόλλων[1].

§ 13. Filius est Apollo Iovis, Eum. 19, 149, et Latonae Eum. 324. Mercurium fratrem dicit Eum. 89. Filius Apollinis est Apis, a quo Apia terra nominata est Supp. 269.

De ineunte Apollinis aetate occupatoque oraculo Delphico haec narrat Aeschylus in Eumenidum prologo v. 9 sq.: Delo insula relicta ad litus Atticae navem appellit, ut Delphicas regiones Parnassumque accedat. Venerabundi prosequuntur eum Athenienses[2] viam parantes ei atque expurgantes. Delphos autem ubi advenit, populus et Delphus rex consalutant eum ac venerantur. Iupiter autem artem manticam inspirat ei et quartum eum vatem Delphico oraculo praeficit[3], v. 18. Nam ante eum deinceps id tenuerunt *Γαῖα, Θέμις, Φοίβη*, Eum. 2, 6. Phoebe autem Apollini oraculum ut *γενέθλιον δόσιν* donavit, Eum. 7.

Nec non Apollinis exilii Aeschylus mentionem facit: *φυγάδα ἀπ' οὐρανοῦ θεόν* eum dicit Supp. 220. Eodem pertinet, quod Eum. 726 sq. Furiae Apollini obiciunt, in Pheretis domo homines[4] ab eo immortales redditos esse Parcis antiquis deis vino deceptis.

Nomina Apollinis praeter ipsum '*Ἀπόλλων*'[5] apud Aeschylum haec inveniuntur: *Φοῖβος* Eum. 8, ubi dicitur hoc cognomen eum recepisse una cum oraculo Delphico a Phoebe Titanide, Eum. 283, Sept. 678, frg. 281[6], *Φοῖβος Ἀπόλλων* Eum. 747, Persarum deus *Φοῖβος* est Pers. 209; *Λοξίας* Sept. 605, Prom. 696, Ag. 1058, 1207, 1210, Ch. 268, 556, 899, 952, 1028, 1034, 1037, 1057, Eum. 19, 35, 61, 235, 241, 468, 761, frg. 82; *Λύκειος* Sept. 131, Supp. 694; *Λύκειος Ἀπόλλων* Ag. 1256; *Παιάν* Ag. 153[7].

§ 14. Natura, mores, res propriae Apollinis. *Νέος* significatur Apollo Eum. 150 (cf. 162), 734. Ad Apollinem lucis deum praeter nomen *Φοῖβος* supra allatum hoc pertinet, quod 'Cocytus Phoebo invisus' Sept. 678 et '*ναύστολος* per

Acherontem θεωρὶς ἀστιβὴς Ἀπόλλωνι' dicitur Sept. 844[8]. Epitheton ἑβδομαγέτης ei est Sept. 785, quod quin hoc loco ad septimam Thebarum portam spectet non dubium est[9].

Saepissime divinandi Apollinis artis mentio fit apud Aeschylum. De qua praeter nomen Λοξίας et oraculi Delphici occupationem supra allata haec legimus. Datam eam artem a Iove ei ita esse, ut nihil vaticinari posset nisi quae ab illo iussus sit, Eum. 619 sq., frg. 82 (cf. Eum. 19 Διὸς προφήτης), 716, 801. Μάντις Apollo dicitur Ag. 1201, Eum. 169, 598, μάντις ἀψευδὴς τὸ πρίν Ch. 557, ἰατρόμαντις, τερασκόπος Eum. 62, πυθόμαντις Ch. 1028; 'μάντις ὢν οὐ ψεύσομαι' de se ipse affirmat Eum. 618. Vatum deus est Sept. 605, Ag. 1057, 1061, 1064. Thetis ei obicit: putasse se illius θεῖον στόμα εἶναι ἀψευδές, μαντικῇ βρύον τέχνῃ, sed ab eo se deceptam esse; frg. 281. Consulitur Apollinis oraculum ab Inacho, atque ille primum multis dubie dictis postremum id quod Iovi placet vaticinatur, Prom. 685 sq.; consulitur ab Oreste, quem iubet matrem et Aegisthum interficere minaturque summis malis se eum persecuturum esse, si hoc imperatum neglegat, Ch. 268 sq., 557, 899, 939, 1025 sq., Eum. 84, 468. Atque confidit Orestes non proditurum esse Apollinis μεγασθενῆ χρησμόν Ch. 268, quod ipse deus denuo ei pollicetur Eum. 64, simul purgans eum Eum. 280 sq., 580 sq., 448 sq. eique imperans, ut Athenas in Minervae templum confugiat Eum. 79 sq., 235, 241 (ἐφετμαὶ Λοξίου χρηστήριοι)[10]. Conqueruntur ea de causa Furiae Eum. 322 sq., quas in 'Eumenidibus' superbissime atque etiam contumeliose tractantem Apollinem Aeschylus nobis proponit[11].

Oraculum Laio datum commemoratur Sept. 731, 787 (cf. 678). Quo neglecto ipse Apollo poenas de Laii genere sumit[12].

Docuit Apollo artem manticam Cassandram Priami filiam, amore eius captus. Illa autem promissa deo non implet. Qui, ut eam puniat, efficit ne quisquam credat quae misera virgo vaticinatur, Ag. 1201 sq.[13]

Sacer oraculorum Apollinis locus est fanum Delphicum sive Pythicum: ὀμφαλὸς γᾶς Eum. 166, 40; μεσόμφαλον ἵδρυμα Ch. 1034, unde μεσόμφαλα Πυθικὰ χρηστήρια dicuntur Sept. 733; μαντικοὶ μυχοί Eum. 180; πολυστεφὴς μυχός Eum. 39; μέγας μυχὸς χθονός Ch. 953. Illius templi πυρὸς φέγγος

ἄφθιτον vocatur Ch. 1035. Ipsum templum primae 'Eumenidum' partis scena est, Eum. 40 sq., et Pythia, quae hominibus Apollinis oracula pronuntiat, partes in ea tragoedia agit vv. 1—64. Dicitur Apollo *ὁ Πύθιος ἄναξ* Ag. 514, *Λοξίας ὁ Παρνάσσιος* Ch. 952, *πυθόμαντις* Ch. 1028, oracula eius *πυθόχρηστα* Ch. 900 et *πυθόκραντα* Ag. 1254; et Orestes Apollinis oraculo missus *πυθοχρήστας* dicitur *φυγάς* Ch. 939.

§ 15. Haec de vate Apolline exstant; pauciora de adiutore, medico, averrunco Aeschylus praebet. De nomine *Λύκειος* ter commemorato iam paulo ante exposui. Quibus omnibus locis dei auxilium imploratur. *Σωτήρ* et *παιώνιος* imploratur Ag. 517, *ἰατρόμαντις* appellatur et *δωμάτων καθάρσιος* Eum. 62 sq. Purgat Apollo Orestem matricidam Ch. 1058, Eum. 280 sq. (*καθαρμοῖς χοιροκτόνοις*), cf. 580 sq., 448 sq. *Ἀγυιάτης* Apollinis epitheton est Ag. 1065, 1070.

Etiam iustus iudex Apollo est. Ab eo in peccatores mittitur Furia *ὑστερόποινος* Ag. 55.

De musico Apolline hoc unum Aeschyleum invenimus, cecinisse eum in Pelei et Thetidis nuptiis, frg. 281.

Arcus eius proprius est, *χρυσηλάτῳ θώμιγγι* sagittisque *ἀργησταῖς* instructus Eum. 181. Quare Hercules eum rogat, ut telum sibi dirigat frg. 205, Thetis in eum culpam mortis filii confert frg. 281. Etiam multorum, quae in Graecos Troiam oppugnantes Apollo coniecerit, telorum mentio fit Ag. 515.

Restat, ut afferam pauca de Apolline in universum dicta. Ut dicitur ille simpliciter *μεγασθενής* Eum. 61, summam eius esse apud Iovem auctoritatem legimus Eum. 229, non inclinatum esse eius animum ad querelas ac lamentationes Ag. 1059, 1063. Denique admodum memorabile est, quod affert Macrobius (I, 18, 6), eandem quae Euripidi, qui Apollinem Liberumque unum eundemque deum esse significet, Aeschylo sententiam fuisse dicenti: *ὁ Κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ Βακχεῖος, ὁ μάντις* frg. 394 Dind. (332 N., 358 H.)[14].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 113 sq.

2) Cf. § 10 adn. 3.

3) De Pythone interfecto nihil dictum est ab Aeschylo in reliquiis nobis servatis.

4) De Admeto Pheretis filio id dicunt. Cf. Hermanni ad h. v. adnotationem.

5) 'Ἀπολλων' undevicies invenitur; v. Dind., lex. Aeschyl.

6) Spuria est tradita vox Φοῖβος Ch. 32, ubi φόβος latere Heathio et Weilio assentior. Cf. Ch. 928.

7) Remanet aliquid dubitationis, num recte hic Paeanem Apollinem interpreter Schneidewinum, Hensium, Engerum, Dindorfium (lex. Aesch. s. v.) secutus. Hermannus censet: non Apollinem ad avertendam Dianae iram invocari a Calchante, sed Paeanem, qui quisquis sit non sit frater Dianae. Me maxime, ut illis assentiar, movent quae Prellerus exponit (myth. Gr.[2], vol. I p. 188 et 212, ed.[4] Robert. p. 277). Cf. Dindorfium in Stephani thesauro s. v.

8) Quod Eratosthenes catast. c. 24 (frg. 20 Dind.) profert 'Orpheum Apollinem et Solem eundem putasse' num, sicut quae sequuntur, ex Aeschylo haustum sit, valde dubito. Sed memorabile est Φοῖβον Persarum deum significari Pers. 209. Cf. § 30 adn. 4.

9) Quid vero proprie hoc epitheton significet, discernere non audeo. Cf. Hermann., opp. VII pag. 293. Scholiastam interpretantem ἐν ἑβδόμῃ γεννηθείς et ἑβδόμῃ γὰρ ἐγεννήθη Ἀπόλλων, quod recepit Klausenius (l. l. p. 123), ἑβδομαγένην legisse fortasse recte Blomfieldus suspicatur.

10) Ampliora de hac fabula uberius ab Aeschylo tractata vide § 113.

11) At Ag. 55 ab ipso Apolline Furia mittitur. Cf. § 63 adn. 13.

12) Vide §§ 134, 142.

13) Cf. § 116.

14) E corruptis apud Macrobium litteris (vide ed. Eyssenhardtii) *KABAIOC* (*P*), *BAKCIOC* (*B*) Hermannus Βακχεῖος restituit veram sine dubio lectionem.

6. Ἄρτεμις[1].

§ 16. Filia Iovis Diana significatur Supp. 151[2]. Etiam quae una cum Apolline invocatur Λατογένεια κούρα Sept. 133 et quae dicitur Λητῴα κόρη frg. 169, aperte Diana est. Quocum, quod memorabile est, aliquantum discrepat, quod Herodotus tradit, Cereris filiam Dianam ab Aeschylo fictam esse, frg. 436 a[3].

De Dianae natura et moribus haec invenimus in Aeschyli reliquiis. Ἁγνά dicitur Supp. 150[4], 1041, Ag. 140. Ut castitatem defendat, imploratur Supp. 153 sq., 1041. Partus tuetur et mulierum Supp. 684 et bestiarum Ag. 140 sq. Ferarum catulis omnino favet Ag. 146 sq. Ἑκάτα epitheton eius est Supp. 684[5]. Ἀστερωπὸν ὄμμα Λητῴας κόρας de luna dicitur frg. 169.

De cultu Dianae haec tantummodo afferenda sunt, προ-

σωτηρίαν deam a Thebanis eam dici Sept. 436 et commemorari μελισσονόμους δόμον Ἀρτέμιδος frg. 84.

Dianam Atridis iratam esse tecte nec tamen dubie a Calchante perstringitur Ag. 139 sq., 155 sq. Postulari ab ea immolationem Iphigeniae pronuntiatur Ag. 210 sq. Ac verba vatis ita composita sunt, ut causa Dianae irae videatur esse aquilarum cena leporina. Sed recte Blomfieldus (pag. 162) et Welckerus (tril. p. 409) monuerunt, eam non causam sed indicium irae esse a dea ostentum[6].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 97 sq.

2) Neque enim, quamquam non exstat nomen Dianae, quin haec illic dea intellegenda sit, dubium esse potest. Ἁγνά Diana saepius (vide paulo infra), Minerva nunquam ab Aeschylo dicitur. Hermannus mutatione nomen 'Ἄρτεμις' efficere voluit. Sed recte Weilius, Oberdickius cet. non opus esse hac mutatione docent. Quae Buechelerus (Rh. Mus. 40 p. 628) suspicatur „ad Minervam haec verba et ad Parthenonis parietes modo exstructos vocem ἐνώπια (v. 152) spectare", iam satis refutata sunt mea sententia a Wilamowitzio (Herm. XXI p. 608 adn. 1). Cf. adn. 4.

3) De hac repugnantia vide § 58 adn. 2.

4) Eodem loco σεμνὰ ἐνώπια ἔχουσα appellatur, sed primo aspectu dubites, quomodo ἐνώπια explicandum sit. Hesychius exhibet: ἐνώπια· τὰ κατ' ἀντικρὺ τοῦ πυλῶνος φαινόμενα μέρη κ. τ. λ. Haec vocis huius notio est in vv. Iliad. VIII, 435, XIII, 261, Odyss. IV, 42. Cum vero minus apte dici „Diana quae σεμνοὺς atrii parietes habet" censerent, nonnulli viri docti (ut E. A. I. Ahrensius, Dindorfius [Steph. thesaur. s. v.], Rostius [lex. Gr.], cet.) interpretati sunt „quae castos oculos habet". Hoc quamquam aptissime dici concedo, tamen minime licere censeo illis hoc uno loco nixis sic hanc vocem explicare, cuius notio prorsus diversa ceteris locis satis munita sit. Satis probabiliter Wilamowitzius (Herm. XXI p. 609) hanc difficultatem explicat: „deam invocari quae εἰσόδους, πρόθυρα tueatur", revocans ad frg. 386, cum eadem apud Aeschylum dea sit Diana et Hecate. Cf. § 25 c. adn. 3. — Alii locum corruptum esse censent. Vide Oberdickii adn. ad h. v.

5) De epitheto 'ἑκάτη' vide § 25 adn. 3.

6) Quare vix erraverimus censentes: cogitatam esse ab Aeschylo eandem causam quae in Cypriis narrata erat (Kink. fr. ep. p. 19). Cf. etiam Wilamowitz. in Herm. vol. XVIII, p. 250 sq. De fine Iphigeniae sacrificii vide § 89 adn. 3. — Welckerus (tril. p. 408) coniecit in fabula perdita, quae inscripta erat Ἱέρειαι, hanc Dianae iram amplius ab Aeschylo depictam esse. Equidem illius fabulae nec in titulo nec in fragmentis nobis servatis aliquid deprehendere possum quod pro-

babiliter ostendat tale argumentum eius fuisse. Cf. § 89 adn. 3. V. Robert, Arch. Zeit. 1876 p. 134 adn. 3. — Probabile autem est in fabula, cuius inscriptio fuit *Τοξότιδες*, Dianae partes fuisse; in qua de Actaeone agebatur. Vide § 176.

7. *Ἄρης*[1].

§ 17. De rebus Martis gentiliciis sive domesticis hoc unum praebet Aeschylus, quod *Ἀφροδίτης εὐνάτορα* eum dicit Supp. 672.

Plurima, paene omnia quae omnino de Marte exstant apud Aeschylum, sunt de natura eius moribusque. Pugnae caedisque avidus hominum exstinctor, verus belli deus ille est. Significatur *χρυσοπήληξ* Sept. 103. Iurant per eum qui pugnam parant Sept. 45. Iactat Eteoclus miles ferocissimus ne Martem quidem se fortiorem esse Sept. 456. Atque *ἀρείφατος* significat 'bellicus, fortis, validus' frg. 146, Eum. 914. Appellatur *βροτολοιγός* Supp. 673, *μάχλος, θερίζων βροτοὺς ἐν ἄλλοις ἀρότοις* Supp. 644, *ἄχορος* 643, 689, *ἀκίθαρις, δακρυογόνος* 689, *λαοδάμας μιαίνων εὐσέβειαν* Sept. 330, *οὐκ ἐπίχαρις* Sept. 894. Similiter dicitur Martem (*χρυσαμοιβὸν σωμάτων*) pro viro ex pugnis remittere urnam cineris Ag. 445 sq., duplex ei esse flagellum, quo delectetur, *δίλογχον ἄτην φοινίαν ξυνωρίδα* Ag. 647; similiter: *Ἄρης φιλεῖ ἀεὶ τὰ λῷστα πάντα στρατοῦ* perdere[2] frg. 98, *Ἄρης βόσκεται φόνῳ βροτῶν* Sept. 230. Pugnas ille discernit, *ἔργον* (i. e. proelium, certamen) *ἐν κύβοις κρίνει* Sept. 401, *Ἄρης δικάζει ταῦτα* Supp. 945; est ille *ταλαντοῦχος ἐν μάχῃ δορός* Ag. 446, *πικρὸς χρημάτων κακὸς δατητάς* Sept. 926.

Saepius aliis deorum nominibus Martis quodammodo appellative apud Aeschylum usurpatur. Cum eorum quos iam enumeravi locorum nonnulli eiusmodi sint, ut dubium sit, utrum Mars pro vero deo an pro ipso tantummodo bello positus sit, iam alii afferendi sunt, ubi unice appellative, ut ita dicam, dei nomen explicandum est, ut Sept. 63 *πνοιαὶ Ἄρεως* et Sept. 110 *κῦμα πνοαῖς Ἄρεος ὀρόμενον* pro 'hostium impetu' dicitur (cf. 330). Nihil est nisi 'bellum' *Ἄρης* Sept. 399, Supp. 710 (cf. 690), *ἐμφύλιος Ἄρης* 'bellum civile' Eum. 864. *Ἄρη πνεῖν* Ag. 386, 1234, *Ἄρη δεδορκέναι* Sept. 53, *Ἄρη κλάζειν* Ag. 48 dicitur. Nec solum bella, pugnae, sed etiam singulorum caedes Martis

propriae dicuntur sive ipso illius nomine significantur, ut legimus: *βιάζεται ὁμοσπόροις ἐπιρροαῖσιν αἱμάτων μέλας Ἄρης* Ag. 1510, *ἔμολε ἐς δόμον Ἀγαμέμνονος διπλοῦς Ἄρης* Ch. 936, *Ἄρης τιθασὸς ὤν* pro caede domestica Eum. 356, *θηλυκτόνῳ Ἄρει δαμέντων* (sc. Aegyptiorum) Prom. 886. Cf. Ch. 159 sq. Sic fortem quoque animum et robur *Ἄρης* significat, ut '*οὐκ ἔνεστ' Ἄρης* sc. feminis' Supp. 757, idem de senibus Ag. 78 dicitur. Quin etiam singulis partibus singuli diversi Martes tribuuntur, ut legimus *Ἄρης Ἄρει ξυμβαλεῖ* Ch. 459[3], *Ἰάνων Ἄρης ἑτεραλκής* (sc. nos orbavit) Pers. 954.[4]

De locis Martis sacris haec commemoranda sunt. Invocatur '*παλαίχθων Ἄρης*' a Thebanis, ne ipsius urbem prodat Sept. 102 (cf. 125). Athenas eum *νέμειν φρούριον θεῶν* (una cum Iove) dicitur Eum. 919. Atque *ὁ Ἄρειος πάγος* commemeratur vel potius scenae locus est in 'Eumenidum' extrema parte (v. 693)[5]. Ibidem de Amazonum castris in colle illo positis et sacris Marti in eo factis, unde *Ἄρειος πάγος* nominatus sit, narratur Eum. 688 sq.[6]

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 127 sq.

2) Tradita lectio est *πάντα τἀνθρώπων στρατοῦ*. Sed iure certe Valckenarius (Diatrib. in Eur., p. 225) *φιλεῖ* requirere infinitivum observavit, quem in vocabulo corrupto *τἀνθρώπων* latere verisimile est. Verba alia ab aliis proposita sunt neque vero eiusmodi ullum, quod genuinum esse cuique persuadeatur. Ceterum vide Dind. (frg. 98), Nauck. (frg. 94), Herm. (frg. 104).

3) Cf. § 22.

4) Cf. Schilleri adn. ad h. v.

5) In v. 688 vocem *Ἄρειον* non sine causa nonnulli editores suspectam habent.

6) Hos versus interpolatos esse Dindorfius putavit. Neque vero esse, cur in eis offendamus, satis mihi videtur demonstrasse Weilius.

8. *Ἀφροδίτη*[1].

§ 18. Liberi Veneris sunt *Πόθος, Πειθώ, Ἁρμονία*[2] Supp. 1050. *Ἄρης Ἀφροδίτης εὐνάτωρ* dicitur Supp. 672 et, id quod eodem pertinet, Thebanae virgines eam appellant *γένους προμάτορα*, ex cuius sanguine oriundae sint Sept. 127[3]. Nomina eius apud Aeschylum praeter *Ἀφροδίτη* sunt *Κύπρις* Sept. 127, Prom. 677, 890, Supp. 1012, 1045, Eum. 215; *Κυθέρεια* Supp. 1043.

Veneris natura, mores, vis. Omnem amorem ac procreationem a se proficisci ipsa de se praedicat frg. 41[4]; coniugiorum effectrix est Supp. 1043, Eum. 215 (ὅθεν — sc. a Venere — βροτοῖσι γίγνεται τὰ φίλτατα). Dicitur αἰολόμητις Supp. 1047, potentia omnes praeter Iovem et Iunonem deos superat Supp. 1046. Comitantur eam liberi Πόθος et Πειθώ Supp. 1050. Appellative, ut ita dicam, pro venustate vel amoris voluptate ipsa dea posita est Supp. 1012, Ag. 428, Prom. 677. Etiam Prom. 890 „τοιάδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι Κύπρις (sc. qualis Aegyptiis)" quodammodo appellative dictum est[5].

De sacris Veneris locis praeter nomina quae iam supra commemoravi Κύπρις et Κυθέρεια hoc unum invenimus, quod terra quaedam ab Io peragrata Ἀφροδίτης πολύπυρος αἶα dicitur, quam terram recte, ut videtur, scholiastes interpretatur Phoeniciam.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 90 sq.

2) Cf. § 27 c. adn. 1.

3) Hoc ad Harmoniam Martis et Veneris filiam, Cadmi uxorem, aperte referendum est, ut iam scholiastes notavit.

4) Patet ex hoc fragmento ipsam Venerem in scenam processisse in 'Danaidibus'. Cf. § 172.

5) „Deum Amorem apud Aeschylum non invenimus: imo omnia, quibus fungi possit, ad Venerem referuntur" KLAUSEN, l. l. p. 91.

9. Ἑρμῆς[1].

§ 19. Parentes Mercurii sunt Iupiter Prom. 979, 1001, frg. 387 et Maia frg. 387, cf. Ch. 809. Fratrem Apollo eum vocat Eum. 89. Πρόγονον denique eum appellant Arcades (γένος οἱ περὶ λίμναν, sc. Στυμφαλίδα) frg. 271[2].

Natura, vis, mores. Munus Mercurio datum est a Iove patre homines comitandi, deducendi, custodiendi. Unde πομπαῖος cognomen ei est. Eum. 90 sq. Illic mandatur ei, ut Orestem comitetur. Eiusmodi etiam in 'Phrygibus' partes eius fuerunt, sc. Priami deducendi, ut mihi quidem videtur[3], in cuius fabulae prologo in scenam prodiisse traditur frg. 254. Sic Mercurio tribuitur, quod bellatores duo alter alteri opponuntur, Sept. 495. Certaminum quoque praeses 'ἐναγώνιος' ab Aeschylo dictus est frg. 387. Similiter μέγιστον πρόξενον, peregrinorum patronum

summum, praeco Aegyptiorum eum sibi vindicat Supp. 931, et huc referendum est, quod identidem Mercurius imploratur, ut secundum det eventum Orestae Aegisthum necaturo Ch. 1, 723, 808 sq. Praeter ceteros autem deducit mortuos homines ad inferos. Eo pertinent versus, qui sequuntur versibus modo allatis Ch. 812 sq.; sic *κιγχάνει νιν Ἑρμῆς* dictum est ab Aeschylo pro 'moritur' Ch. 620. *Χθόνιος* appellatur Ch. 1, 124, 723 (*χθόνιος καὶ νύχιος*), *ἐνέρων βασιλεύς* Pers. 632. Invocatur ab illis qui mortuorum animas vocant, ut *τοὺς γῆς ἔνερθε δαίμονας* propitios eis reddat Ch. 142 sq., vel ab eis qui carminibus mortuos ab inferis elicere conantur Pers. 632. Et metalla, cum sint subterranea, *ἑρμαία δόσις* dicuntur Eum. 948.

§ 20. Imprimis autem Iovis patris sive omnium deorum praeco Mercurius est. Hoc munere fungitur in Aeschyli 'Prometheo Vincto' a patre missus, ut exquirat e Prometheo nuptias quas ille iactat Prom. 976 sq. Illic se ipse nominat *πατρὶ Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον* 1001, cum Prometheus contemptim eum appellet *Διὸς τρόχιν* 973, *διάκονον* 974, *θεῶν ὑπηρέτην* 986, 1015 eiusque munus *λατρείαν* 998. Praeco Agamemnonis eum vocat *τιμάορον* suum, *φίλον κήρυκα, κηρύκων σέβας* Ag. 520, Electra *κήρυκα μέγιστον τῶν ἄνω τε καὶ κάτω* Ch. 123[4].

De moribus Mercurii pauca colligi possunt ex ea scena quam modo commemoravi Prom. 976 sq. Praebet se illic Iovi fidelem, cuius partibus ab omni parte favet. Prometheus igitur in inimicorum suorum numero eum ducit 1005, qui beneficiis a se affecti maleficia sibi reddant 1008. Mercurius autem identidem eius contumaciam vituperat suadetque, ut prudentia usus Iovi se subiciat, quod laudant Oceanides Prometheo faventes 1068.

Argum a Mercurio interfectum esse memoratur Supp. 309 (cf. Prom. 707). Sacra denique Mercurii loca Aeschylus laudat *Ἑρμαῖον λέπας Λήμνου* Ag. 295 et Cyllenen montem Arcadiae frg. 271[5].

Mentione praeterea dignum est, quod dicitur Supp. 226 alium esse *Ἑρμῆν* ex Aegyptiorum, alium Graecorum doctrinis.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 101 sq.

2) Arcades et lacum Stymphalicum dici schol. Aristoph. testatur. Cf. § 132.

3) Cf. § 95.

4) Consulto omisi Supp. 254, cum Ἑρμοῦ illic genuinum esse pro tradito ἥερον non ita probari posse mihi videatur, ut omnis dubitatio remota sit.

5) Schol. Aristoph. hoc testatur. Cf. adn. 2.

10. Θέμις[1].

§ 21. Haud ita multa de Themide apud Aeschylum exstant, sed admodum memorabilia et quae non careant difficultatibus. Nam cum unum idemque numen esse Themidem et Tellurem dicatur Prom. 226, filia *Γαίας* Themis significatur Eum. 3 atque appellatur *παλαιγενὴς Τιτανίς* Prom. 900 (cf. Eum. 6)[2]. Promethei mater Themis est Prom. 18, 225, 900.

De ratione quae inter Iovem et illam deam intercedat in Promethei fabula nihil comperimus nisi quod hanc, quamquam Titanidem, illius partibus favisse legimus Prom. 225 sq. Uxorem Iovis in 'Prometheo' certe eam Aeschylus non cogitavit[3].

Praedita Themis est divinatione, qua usa Prometheum filium vaticinia docet, Prom. 227, 900. Sic etiam oraculo Delphico olim praefuit, quod a Terra matre recepit donavitque sorori Phoebae, Eum. 2 sq. Appellatur *ὀρθόβουλος* Prom. 18.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 34 sq.

2) De hac discrepantia, praecipue de Prom. v. 226 vide § 46 adnot. 2.

3) Hoc efficitur ex eis rationibus, quae et inter Iovem et Prometheum et inter Themidem et Prometheum finguntur. Cf. de hac quaestione disserentem H. L. Ahrensium, Ueber die Göttin Themis, Hannov. 1862, p. 8. Adde Keckium, Der theol. Char. des Zeus in Aesch. Prom., p. 23, et cf. supra § 1 adn. 6. — Suppl. 364 *ἱκεσία Θέμις Διὸς κλαρίου* invocatur. Sed recte Welckerus (tril. p. 39 adn. 49) monet, hic non de dea Titanide cogitandum esse, sed allegorice poetam loqui. Quare rectior mihi videtur scriptura *θέμις* (ut Supp. 37, 444): sc. *ἱκεσία θέμις Διός* pro *Ζεὺς θεμίστιος καὶ ἱκέσιος* metaphorice dicitur.

11. Δίκη[1].

§ 22. Filia *Δίκη* dicitur Iovis Sept. 649, Ch. 948, *παρθένος* Sept. 649, et talis picta ea est in Polynicis scuto Sept. 632 sq. Cetera autem, quaecunque de ea apud Aeschylum exstant, vix aliud quidquam eam esse Aeschylo ostendunt atque universam iuris notionem divina specie indutam. Quae fere omnia eius-

modi sunt, ut non minus appellativam vocem '*δίκη*' quam ipsam deam intellegendam esse putare possimus. Magis ceteris haec verae deae significationem servant. De eadem quam attuli Polynicis imagine ab Eteocle dicitur, nunquam eam aspexisse Polynicem ac, si adiutura illum sit, *πανδίκως* eam *ψευδώνυμον Δίκην* futuram esse, Sept. 654 sq. *Μεγιστότιμος* ea dicitur, cuius in praeceptis tertium scriptum sit *τὸ τῶν τεκόντων σέβας* Supp. 715 sq., *τέλειος*, cui immolasse se Agamemnonem Clytaemnestra ait Ag. 1433. *Δίκα τοῖς παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιρρέπει* Ag. 261. Ut dea imploratur *Δίκη* Ch. 243, sed invocatur etiam *δίκη* ita, ut vix aliter ac simplex appellativa vox explicanda sit, ut Eum. 514 (cf. 519, 528), 789, imprimis Ch. 148, ubi diserte *δίκη* a deis separatur. Cf. etiam Ch. 495, ubi Agamemnon invocatur verbis *δίκην ἴαλλε σύμμαχον φίλοις*, et Ch. 639, ubi re vera adiuvisse eam Orestes praedicat. De ara Iustitiae Aeschylus dicit, sed id quoque haud aliter fere atque allegorice Ag. 394, Eum. 542. Similiter de his locis iudicandum est ubi adiuvisse eam legimus, Ag. 1607, Ch. 947, deque iis ubi legimus sive 'magna voce eam clamare *ἀντὶ πληγῆς πληγὴν κ. τ. λ.*', Ch. 309 sq., sive '*Δίκα ξυμβαλεῖ Δίκᾳ*[2] (scil. alterius partis cum alterius)' Ch. 459[3].

Restant nonnulli loci, ubi simpliciter appellative, ut ita dicam, vox *δίκη* mihi videtur explicanda esse. Quae tamen, ut perfectus fiat conspectus, afferam; sunt Sept. 402[4], Ag. 767, 902, 1611, Ch. 59, 643, frg. 257.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 129 sq.

2) Cf. § 17 de diversis singularum partium Martibus.

3) Etiam Ag. v. 1537 huc mihi referendus videtur, ubi in verbis corruptis *Δίκα θηγάνει μάχαιραν* latere mihi persuasum est.

4) Recte hic explicat scholiastes: *Δίκη δ' ὁμαίμων· τὸ τῆς συγγενείας δίκαιον στέλλει αὐτὸν εἰς τὴν μάχην.* Cui assentiuntur Hermannus et E. A. I. Ahrensius. Aliter nec vero recte interpretari videtur Klausenius (l. l.). Nulla causa est, quod hoc loco Martis et Iustitiae cognatio commemoretur, neque omnino id ferri possit; quo accedit quod verba ita posita sunt, ut *ὁμαίμων* ad Melanippum, non ad Martem pertinere appareat.

12. *Λητώ.*

§ 23. De Latona hoc unum apud Aeschylum exstat, quod Apollo eius filius significatur Eum. 324.

13. *Κράτος, Βία.*

§ 24. *Κράτος* et *Βία,* Iovis ministri, in scenam procedunt in Aeschyli Promethei Vincti prologo (v. 1—87). Hi enim a Iove iussi sunt Prometheum tenentes iuvare Vulcanum ad rupem illum alligantem, Prom. 12 sq. E quibus *Βία* muta tantummodo persona est neque amplius quidquam de ea exstat. Pluribus Roboris mores pinguntur. Durus eius animus est vel potius plane immanis. Vituperat Vulcanum propter Promethei misericordiam monetque eum, ne cunctetur Iovis imperata exsequi, Prom. 36 sq., 67 sq. Quin etiam illudit Prometheum ad rupem vinctum, quem iustas Iovi poenas dare censet 7 sq., 37, 70. Animi eius immanitati corporis forma accommodata est 78 sq.

Una cum Iove et Iustitia invocatur *Κράτος* ab Electra Ch. 243.

14. *Ἑκάτη*[1].

§ 25. Hecates deae simulacrum invocatur: *δέσποιν' Ἑκάτη | τῶν βασιλείων πρόδομος*[2] *μελάθρων* frg. 386[3].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 99.

2) Cf. Ahrens., schol. Theocr. II, 36 et Hermann. ad hoc frg. (355). — De Hecate *εἰσόδων* tutrice vide § 16 adn. 4. Cf. Preller.-Robert., Gr. Myth. I, p. 322.

3) *Ἑκάτη* i. e. iaculatrix, longe iaculans, Dianae epitheton est Supp. 684. (Vide § 16). Ex hoc loco comparatoque frg. 169, ubi *ἀστερωπὸν ὄμμα Λητῴας κόρας* de luna dicitur, colligi licet unam eandemque deam Dianam et Hecaten ut ab aliis sic etiam ab Aeschylo putari. Itaque ad Dianam etiam frg. 386 refert Klausenius (l. l.). Cf. Wilamowitz. (Herm. 21 p. 609). Nihilominus equidem disiungendas in hac deorum conspectu eas esse putavi et perspicuitatis causa et maxime, quia hoc frg. 386 ad Theocriti locum (2, 36) a scholiasta refertur, ubi aperte agitur de Hecate *τριμόρφῳ*, quam a Diana quodammodo secernendam esse Welckerus (Gr. Götterl. II p. 398 sq., praec. p. 404) et Preller.-Robert. (Gr. myth. I p. 321 sq.) demonstrant; unde coniciendum est etiam Aeschyli illa verba ad hanc triformem magorum Hecaten pertinere.

15. *Ἐνυώ, Φόβος.*

§ 26. De Phobo et Enyo hoc unum apud Aeschylum invenitur, quod una cum Marte invocantur a bellatoribus iureiurando se obstringentibus Sept. 45. Ibidem *Φόβος φιλαίματος* dicitur.

16. Πειθώ, Πόθος, Ἁρμονία.

§ 27. Matris Ἀφροδίτης sociae et comites sunt Πόθος, Πειθώ, Ἁρμονία Supp. 1049 sq.[1] De Potho praeterea nihil exstat apud Aeschylum neque de Harmonia quidquam praeter hoc, quod ibi legimus: *δέδοται δ' Ἁρμονίᾳ μοῖρ' Ἀφροδίτας ψεδυραὶ τρίβοι τ' ἐρώτων.*

Pluribus locis Πειθώ commemoratur. Qui omnes eam ostendunt deam persuadendi. Appellatur *θέλκτωρ* Supp. 1050, *δολία* Ch. 722. Nihil ei negari potest, Supp. 1050; solum deorum *θάνατον* superare non potest, frg. 156. Invocatur, ut persuasiones bene succedant, a Minerva Eum. 886 et a choro pro Oreste preces faciente Ch. 722, gratiasque ei agit Minerva (*στέργω ὄμματα Πειθοῦς κτλ.*) postquam vicit persuadendo, Eum. 971.

Adnot. 1) Harmonia quamquam disertis verbis non dicitur filia Veneris esse et comes, respecto tamen sententiarum conexu videri sic Aeschylo nemo negabit.

17. Μοῦσαι.

§ 28. Musae deae nunquam apud Aeschylum commemorantur. Namque unus locus ubi tradita lectio est *μοῦσαι θεαί τ'*, Supp. 703, aperte corruptus est et sine dubio recte ita emendatus ab Hermanno, ut *μοῦσα* cum significatione appellativa 'cantus' legatur. Idem significat *μοῦσα* Eum. 308.

18. Ἀσκληπιός.

§ 29. Memoratur exstinctum esse a Iove *τὸν ὀρθοδαῆ τῶν φθιμένων ἀνάγειν*, quod ad Aesculapium fulmine percussum pertinere apertum est, Ag. 1007 sq.[1]

Adnot. 1) Verba non integra sunt, sed de sensu loci nulla dubitatio.

19. Ἥλιος[1].

§ 30. Filiae Solis Ἡλιάδες nomen praebuerunt fabulae Aeschyleae nobis perditae. Cuius argumentum quin in Phaëthontis temeritate luctuque sororum versatum sit, dubitari vix potest. Titul. frg. 65 b. Certe Eridanus fluvius in hac fabula exstabat, frg. 65 b, nec repugnant reliqua fragmenta tali argumento[2]. Filia Solis etiam Luna ab Aeschylo dicta esse traditur, frg. 443.

De natura Solis hoc praeter cetera praedicatur, ab eo omnia conspici posse, Ag. 637, Ch. 983, Prom. 91, frg. 192. Sic etiam *πατήρ* appellatur ab Oreste (qui testem eum sibi futurum esse confidit) Ch. 982. *Ὁ τρέφων χθονὸς φύσιν* Sol est Ag. 637. De cotidiano Solis itinere Aeschylus haec profert: *αἰεὶ* (i. e. cotidie) Sol corpus suum immortale fessosque equos calida lavatione recreat in lacu Aethiopico, frg. 192. Eodem sine dubio pertinet quod legimus Prom. 834 *Ἡλίου πηγαί*. Noctu autem in poculo a Vulcano facto per Oceanum ad orientem revehitur, frg. 66.

Imploratur, ut auxilium ferat, Sol vel potius eius *αὐγαὶ σωτήριοι* a Danaidibus Supp. 219[3].

Quod ibidem legimus *Ζηνὸς ὄρνιν* recte de Sole explicare videtur scholiastes.

Memorabile denique est, quod Sol est deus Persarum Pers. 235[4].

Adnot. 1) Cf. Klausen.. theol. p. 121 sq.

2) Amplius de hoc disseruerunt Welckerus (tril. p. 566 sq.) et Hermannus (opp. III, p. 130 sq.). Cf. etiam Nauckium, Ahrensium, Dindorfium ad frgg., Robertum in Herm. vol. XVIII p. 439, Wilamowitzium ibid. p. 427, Knaackium, quaestiones Phaetonteae, p. 17 sq.

3) Nihil haec omnia, quae de Solis natura apud Aeschylum inveniuntur, nisi allegoricam quamdam veri solis divina specie induti imaginem ostendunt.

4) Certe non sine causa Persarum *ἄναξ* ab Aeschylo Sol significatur. Cf. § 14 adn. 8. Ibidem vide de frg. 20.

20. *Σελήνη*.

§ 31. Lunam Solis filiam dictam esse accepimus, frg. 443. Praeterea non commemoratur in reliquiis Aeschyleis.

21. *Ἠώς, Ἡμέρα*.

§ 32. Aurora Memnonis mater est, frg. 276. In scenam procedebat in Psychostasia; Iovi pro filii vita supplicat et postea mortui filii corpus surripit, frg. 276. *Κισσία*, i. e. Susiana, illa dicitur frg. 279[1].

Ἡμέραν cum eandem cum Aurora ab Aeschylo creditam esse verisimile sit[2], hic referam quod unum de hac mentione dignum est Aeschyleum. Vocatur *Ἡμέρα λευκόπωλος* Pers. 389.

Ceterum quod de eius surrectione illic dicitur nihil fere est nisi figura allegorica.

Adnot. 1) Quod ita accipiendum esse puto, sacram eius dici illam, ut orientis, urbem sive regionem, unde etiam filius eius Troiam venit. Non opus esse censeo explicatione tam alte repetita, qualis Welckero placet (ep. Cycl. p. 211) „non agi de Aurora sed metaphorice ipsam terram *Κισσίαν* 'matrem' ab Aeschylo dici". Cf. § 96 c. adnot. 2.

2) Vide Prellerum, myth. Gr.[2] I, p. 343.

22. Reliqua visa caelestia, *Αἰθήρ*, sidera, venti.

§ 33. *Αἰθήρ* bis a Prometheo invocatur, ut testis ei sit immerito patienti Prom. 88, ubi *δῖος*, et Prom. 1126, ubi *πάντων κοινὸν φάος εἱλίσσων*[1] epitheton ei est. Sed uterque locus eiusmodi est, ut de divina illius natura quid Aeschylus putaverit sive intellegi voluerit, perspici non possit[2].

Sidera. De sideribus, quod quidem ad mythologiam pertineat, hoc unum Aeschyleum[3] exstat, quod Athenaeus affert: dicuntur Pleiades[4] '*Πελειάδες*', septem filiae Atlantis, quae patris laborem deplorant, frg. 298. Maia, Iovis uxor, Mercurii mater, nominatur frg. 387.

Venti. In universum venti *ταχύπτεροι πνοαί* invocantur a Prometheo ut testes, sed ita, ut admodum dubium sit, num deos eos illic intellegi Aeschylus voluerit, Prom. 88. — De Zephyro vide § 77 adn. 1. — De uno tantummodo ventorum singularia exstant, Borea. Partes enim agebat Boreas in fabula deperdita 'Orithyia', cuius argumentum praecipue notus ille Orithyiae raptus videtur fuisse, frg. 280[5]. Illic Boreas ipse vires suas praedicat. Monet, ut custodiant homines foci ignem. Nam facile sibi esse totam comburere domum una scintilla deprehensa cet., frg. 280. Etiam *αὐλητήν* eum dixisse illic videtur Aeschylus ac demersis eum maxillis mare eruere, frg. 280. Etiam certam Boreae sedem Aeschylus statuit, quamquam ubi terrarum illam putarit non servatum est, frg. 195.

Adnot. 1) De hoc epitheto vide Schoemannum ad h. v.

2) Quin etiam uterque locus eiusmodi est, ut appellativa quoque, ut ita dicam, vox *αἰθήρ* intellegi liceat. Nos quoque Christiani ita dicere possumus per allegoriam. Nulla igitur causa est, cur cum

H. L. Ahrensio (Ueber die Göttin Themis, p. 9 sq., p. 11) ex his locis colligamus Aeschylum *Αἰθέρα* Promethei patrem putasse. — Cf. etiam quod idem Aeschylus dixisse fertur: *Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός κτλ.*, frg. 65 a.

3) Commemorantur etiam Pleiades Ag. 817, Sirius Ag. 958; nihil vero significant nisi vera ipsa sidera.

4) *Πλειάδες* Ag. 817.

5) Vide Welcker., tril. p. 564 sq.

23. Deae fatales,

Μοῖραι, Τύχη, Αἶσα, Νέμεσις, Ἀδράστεια[1].

§ 34. De fatalibus numinibus apud Aeschylum haec inveniuntur.

a) *Μοῖραι.* Alias pluralis *Μοῖραι,* alias singularis *Μοῖρα* exstat[2]. *Μοῖραι ματροκασιγνῆται* Furiarum Eum. 963, *παλαιγενεῖς* Eum. 173, *τρίμορφοι* sunt Prom. 532. Una cum Furiis hae *ἀνάγκην* regunt Prom. 531, cui illic Iupiter ipse obnoxius est, cum a Choephoris (v. 305) eaedem invocentur, ut '*Διόθεν*' adiuvent Orestis consilia[3]. *Παντὶ δόμῳ μετάκοινοι, ὀρθονόμοι,* iustitiam parantes, *πάντᾳ τιμιώταται θεῶν* a Furiis dicuntur Eum. 964 sq. Cum omnia ab eis reguntur fata, tum coniugia earum sunt Eum. 959 sq. Invocantur Parcae ab Oceanidibus Prom. 923. Parcas *φθίνεσθαι* Eum. 173 sive *πείθεσθαι* 727 dicitur (ab Eumenidibus Aeschyleis), cum solitus rerum divinarum et humanarum ordo et moderatio videtur turbatus esse[4].

Praeterea singularis *Μοῖρα* saepius apud Aeschylum invenitur, simpliciter ac paene sublata omni personae specie significans simile aliquid Fato Romanorum[5]. Vocatur *διανταία* Eum. 335, *βαρυδότειρα, μογερά* Sept. 962, *κυανέη* in epigrammate Aeschylo adscripto frg. 449. Tribuuntur ei quaecunque accidunt, ut mortes hominum Ch. 909 (ubi de Agamemnonis morte agitur), 910, frg. 449, Ag. 1451, Troiae excidium Ag. 135. Furiae *Μοῖραν* munus suum sibi *ἐπικλῶσαι* dicunt Eum. 335, 395. Sic denique in Eumenidum conclusione Athenienses secundi eventus gratias et Iovi agunt et *Μοίρᾳ* Eum. 1047.

Ipsum autem quod efficiunt *Μοῖραι* (vel *Μοῖρα*) fatum sine dubio ab Aeschylo significatur vocibus *ἀνάγκη, τὸ μόρσιμον, πεπρωμένον* (sive *πεπρωμένος μόρος, πεπρωμένη αἶσα, πέ-*

προωται cet.), quarum unaquaeque apud eum saepenumero deprehenditur[6].

§ 35. *b*) *Τύχη*. Uno tantummodo loco Aeschyleo de Fortuna dea cogitare possumus Ag. 669, ubi allegorice dicitur *Τύχη δὲ σωτὴρ ναυστολοῦσ' ἐφέζετο κτλ.*

c) *Αἶσα* quoque dea uno loco commemoratur Ch. 644, ubi allegorice '*προχαλκεύει Αἶσα φασγανουργός*' dicitur.

d) *Νέμεσις* non exstat nisi frg. 257, ubi Priamus, ut videtur, dicit: *ἡμῶν γε μέντοι Νέμεσίς ἐσθ' ὑπερτέρα.* Ulciscendi igitur eius munus significari videtur.

e) *Ἀδράστεια.* Verbis *οἱ προσκυνοῦντες τὴν Ἀδράστειαν σοφοί* Prometheum superbientem monent Oceanides Prom. 968, ubi dubium est, an Aeschylus eandem eam putaverit ac *Νέμεσιν*[7]. — Sedem *Ἀδραστείας* fuisse apud Berecyntes Aeschylus dixisse fertur frg. 155. Nec vero quidquam de deae natura illic reperimus.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 36 sq.

2) Similiter *Ἐρινύς* et *Ἐρινύες*; vide § 62.

3) De ratione quae inter Iovem et *Μοῖραν* intercedit vide § 1 adn. 6 et § 3 adn. 14. — De *ἀνάγκῃ* vide paulo infra.

4) Loco priore Furiae queruntur, quod Apollo Orestem tuetur, posteriore eidem deo obiciunt, vino eum Parcas commovisse, ut immortalem facerent Pheretem. Cf. § 13 adn. 4.

5) Cf. Keckium (der theol. Charakt. des Zeus in Aesch. Prom., p. 14), qui „manifesto non esse personam *Μοῖραν* apud Aeschylum" censet, bene autem eam explicat ut „eam vim qua certis datis condicionibus certa consequuntur".

6) Accuratius quid horum vocabulorum quodque significet Klausenius (l. l. p. 46 sq.) explicare conatur. — Loci, qui non pauci sunt, congesti sunt a Dindorfio in lex. Aesch. s. vv. *ἀν., μόρσ., πεπ.*

7) Ut Weckleinio videtur.

24. *Ποσειδῶν*[1].

§ 36. *Ποντομέδων ἄναξ* appellatur Neptunus Sept. 122, similiterque ab Aeschylo *Ζεὺς ἐνάλιος* ille videtur dictus esse frg. 436 b[2]. Maris deus est Neptunus Supp. 225, ubi dicunt Danaides '*εὖ ἔπεμψεν* (sc. nos) Neptunus', et Pers. 748, 752, ubi de ponte a Xerxe Hellesponto iniecto Darii umbra ait: *ῥόον θεοῦ* vincire illum conatum esse ac *Ποσειδῶνος κρατήσειν* cet.

Ceterum universa aqua eius propria est ita, ut fontes quoque ab eo creentur Sept. 296[3]. Ibidem γαιάοχος vocatur.

Insigne ei est et telum tridens, Supp. 224 (σημεῖον θεοῦ), Prom. 956 (τινάκτειρα νόσος, αἰχμὴ Ποσειδῶνος), Sept. 123 (ἰχθυβόλος μηχανή).

Ἵππιος denique appellatur Neptunus Sept. 122.

Nihil fere de necessitudinibus Neptuni apud Aeschylum exstat. Hoc unum fortasse hic afferi potest, quod in fabula perdita 'Amymone' amorem illum Neptuni tractatum fuisse veri simile est[4].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 137 sq.

2) Cf. Herm. (frg. 385) et Dindorf. ad h. frg.

3) Siccantur fontes ab eo in narratione Apollod. 2, 1, 4, quam ex Aeschylo totam haustam esse veri simile est. Cf. § 170.

4) Cf. § 170.

25. Ὠκεανός, Τηθύς, Ὠκεανίδες[1].

§ 37. Oceanus coniunx est Τηθύος πολυτέκνου Prom. 142 sq. Quae ei peperit Oceaninas Prom. 142 sq. et fluvios[2]. Prometheo cognatus est Oceanus, Prom. 305.

Dicitur Oceanus ὁ περὶ πᾶσαν χθόνα ἀκοιμήτῳ ῥεύματι εἱλισσόμενος Prom. 143 (cf. frg. 192 et Prom. 547 Ὠκεανοῦ ἄσβεστος πόρος). Habitat in antro rupis ab ipso confecto Prom. 316 (cf. 137). Aperte Aeschylus distinguit ipsum deum et eius ἐπώνυμον ῥεῦμα Prom. 316. De hoc solo cogitandum est frg. 192. Deus autem etiam excedere potest ex illo fluctu et aerem obire[3]. Sic in 'Prometheo Vincto' in scenam prodit, pervolans aetherem οἰωνῷ τετρασκελεῖ Prom. 411 tamquam equo utens, quem στομίων ἄτερ εὐθύνει Prom. 303[4]. Venit enim misericordia motus, Prom. 304, ad Prometheum rupi adhaerentem, ut illum sive consilio sive alio modo iuvet, Prom. 311, 323 sq. Cui amicissimum se esse affirmat Prom. 304 sq.[5] Hortatur eum, ut a pertinacia recedat Iovique, quoniam apud illum tunc summum imperium summaque potentia sit, se subiciat Prom. 325 sq. Se ipsum Iovem aditurum et pro illo deprecaturum esse 341. Hanc sibi apud Iovem auctoritatem esse confidit 354. Sed aspere omnia illa Prometheus repudiat, quamquam Oceani animum sui studiosum laudans, monetque eum, ne et ipse Iovem

sibi inimicum reddat 346 sq., 357 sq., 395 sq., sed conservet *τὸν παρόντα νοῦν* (i. e. Iovis timorem) 408[6].

§ 38. Oceanides filiae Oceani et Tethyos sunt Prom. 142 sq., habitant in patris (133) antris 137. *Ὁμοπάτριον* suam dicunt *Ἡσιόνην*, Promethei uxorem, cuius nuptiis ipsae interfuerint, Prom. 578[7]. *Τηθύος παῖδες* simul cum Neptuno (cf. § 36) fontibus aquam suppeditant Sept. 298. Iovem Oceanides timent Prom. 542 sq., eique et aliis deis sacrificant 545. Ipsae scenam ingrediuntur chori partes agentes in 'Prometheo Vincto'. Mallei pulsus Vulcani audiverunt Prometheum ad rupem alligantis Prom. 136. Veniunt visitaturae eum et consolaturae, 130 sq., curru volatili aetherem pervolantes 140, cf. 127 sq., 295[8]. Commiserantur atque deplorant Prometheum 150 sq., 258 sq., 413 sq., 556 sq. Conqueruntur de libidine qua Iupiter recens imperium suum gerat deosque antiquiores aspere tractet suppliciisque gravissimis excruciet 156 sq., 172 sq., 418 sq. Sed reformidantes illius potentiam admonent Prometheum semel atque iterum, ut imperio eius se subiciat, quo poena liberetur, 193, 275 (*οὐχ ὁρᾷς ὅτι ἥμαρτες;*) sq. Ac laudant, quod Mercurius idem illi conatur persuadere, ut Iovi obtemperet, 1068 sq. Cum autem illius animus flecti non possit, nolunt tamen deserere eum 1096 sq., quamvis moneat Mercurius, ut tempestatem imminentem subterfugiant 1091 sq. Ita tempestate a Iove excitata simul cum Prometheo corripiuntur, 1104 sq., 1114 sq.[9]

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 139.

2) Hoc Aeschylum statuisse certe ex Prom. 663 colligendum esse puto, ubi Inachus Oceanidum frater dicitur. Cf. Hesiod. theog. 337, 367. Nec vero Sept. 298 *Τηθύος παῖδες* fluvii, ut scholiastae videtur, significantur mea sententia, sed illic filias Oceanides notari Dindorfio (adn. ad h. v.) assentior.

3) Cf. schol. Prom. 300 et Il. 20, 7.

4) Schol. Prom. 300 et Eustathius (in Od. *E*, p. 1545, 49) interpretantur gryphem; Weckleinius autem volucrem equum (Pegasum) intellegendum esse censet. Cf. § 186, n cum adn. 12.

5) Dubitatione non carent vv. 346 sq. Quarum lectio tradita aliter explicari vix potest nisi sic, ut iuvisse Oceanum Prometheum in hominibus bene faciendo intellegamus, sicut Schoemannus (ed. Prom. p. 7) et alii interpretati sunt. Sed hoc censuisse Aeschylum cum minime probabile sit, suo iure corruptum esse v. 347 Weilius et Weckleinius suspicati sunt. Et valde cavendum est mea sententia,

ne tam multa colligamus ex hoc uno loco, qualia Klausenius l. l. p. 154 collegit.

6) Sic recte hoc explicasse puto Weckleinium et recte Caesarem (Z. f. d. A. 1845 p. 332) animadvertisse censeo ex v. 407 (ἡ σή κτλ.) hoc elucere: significare voluisse Aeschylum timorem veram causam, cur Oceanus Iovis partes secutus sit.

7) Hanc unam Oceaninarum putasse Aeschylum mihi persuasum est. Quamquam enim quod scholiasta de Tethye eius matre exhibet ab ipso fictum esse puto, Weckleinio assentiri non possum concludenti 'voce ὁμοπάτριον ostendi eam non Tethyos filiam ab Aeschylo fingi ut ceteras Oceanides'. Cet. cf. etiam Herm. ad v. 556.

8) Cf. schol. ad 130 et 300.

9) Simul cum eo sub terram eas demergi, cuius fabulae conclusionis causa Aeschylo fuerit ratio dramatica, recte intellexisse Weckleinium (ad v. 1071) censeo.

26. Νηρηΐδες.

§ 39. Nereus ipse cum nusquam occurrat in reliquiis Aeschyleis, de Nereidibus haec pauca afferenda sunt. Quinquaginta eae sunt frg. 175. Νηρηίδες nomen erat fabulae Aeschyleae. Atque ad ipsas eas pertinere verba servata frg. 150 δελφινοφόρον πόντου πεδίον διαμειψάμεναι manifestum est. Argumentum illius fabulae pertinuisse ad arma nova, quae Achilli Vulcanus fabricavit, a Nereidum choro apportata, veri simile est[1]. Praeterea in scenam prodibant Nereides in fabula cui nomen erat 'Ὅπλων κρίσις', frg. 175. Etiam illic chori partes videntur egisse[2].

De una Thetide paulo plura exstant. Nereidum δέσποινα dicitur frg. 175. De Iovis erga Thetidem amore vide § 8 cum adn. 27 et de nuptiis eius et Pelei § 129. Mater est Achillis, frg. 276, 281. Quae eius partes videantur fuisse in 'Nereidibus' et 'Armorum iudicio', vide §§ 93 et 98. In 'Psychostasia' inducebatur Thetis Iovem deprecans de filii vita, frg. 276. Vide § 96. Achille mortuo vehementissime Thetis Apollinem incusat, quod mortis eius auctor fuerit, frg. 281.

Adnot. 1) Vide § 93.

2) Vide ampliora § 98.

27. Γραῖαι[1], Γοργόνες, Ἅρπυιαι.

§ 40. Φορκίδες, Gorgonum sorores tres[2] δηναιαὶ κόραι describuntur Prom. 819 sq. Habitant Κισθήνης πεδία 819,

quae ad extremam orientis partem sita cogitanda sunt (cf. quae antecedunt, praec. v. 817)[3]. Sunt κυκνόμορφοι[4] et unus tantummodo communis oculus unusque dens eis est 821. Nec sol nec luna unquam eas adspicit 822. Sunt denique Graeae Gorgonum sororum prope habitantium, Prom. 823, προφύλακες[5] frg. 253.

Etiam Gorgones tres sunt, Prom. 824. Φαιοχίτωνας et anguicomas eas sibi fingit Aeschylus Ch. 1047 sq., Prom. 825 (δρακοντομάλλους). Κατάπτεροι dicuntur Prom. 824. Sunt βροτοστυγεῖς neque quisquam mortalis adspicere eas potest, quin respiratio ei consistat, 825 sq. Comparantur in deformitate Gorgonibus Furiae Ch. 1047 sq., Eum. 48 sq.

'Phorcides' nomen erat fabulae Aeschyleae, cuius argumentum ad Perseum sine dubio pertinebat[6].

Harpyiae memorantur frg. 251, Eum. 50. Ampliora vide § 162, d.

Adnot. 1) De nomine Γραῖαι vide adn. 5.

2) Cf. etiam adn. 6.

3) Cf. Weckl., Schoem., Herm. ad h. l.

4) Hoc est 'cygneas figuras habentes'. Quomodo hoc explicandum est? Recte (Schoemannum secuti) Weckleinius et Rappius, qui scite et fusius de hoc epitheto disputat (in Roscheri lex. myth. Gr. et Rom. s. v. p. 1733), mihi videntur interpretari: 'quarum corpora partim virginea partim cygnea sunt'. Namque etiam κόραι ab eodem Aeschylo significantur Graeae et praeterea, quod iam recte Wieselerus (Philol. 9, 717 sq.) monuit, non totam earum figuram cygneam ab Aeschylo intellegi inde elucet, quod earum dens commemoratur. Nec vero ea de causa hanc vocem corruptam esse Wieselero concedendum est, quae aptissime, ut supra dixi, explicari potest. — Omni caret probabilitate mea sententia Prelleri (Gr. myth.[2] II, 63) interpretatio: 'quae Κύκνῳ Troico similes sunt'.

5) Sic verba Eratosthenis, qui fertur, cataster. non plane integra ab Hermanno restituta sunt, ut etiam verba Γραίας (haec vox sine dubio in tradita ἃς latet) εἶχον προφύλακας αἱ Γοργόνες ad antecedens enuntiatum pertineant, i. e. Aeschylea habeantur. Hoc confirmatur quidem loco Hygini (astron. II, 12) huc referendo. Atque ut Aeschyleum illud receperunt Prellerus (Gr. myth.[2] II, p. 67) et Rappius (l. l.). At aliter res se habere videtur ratione habita schol. Germ. BP p. 82 (vide Rob. ed. Erat. p. 130), quae paene ad verbum Erat. epitomes verba reddunt. Ubi 'Gorgonum custodes ferunt tres cet.' iam non ad Aeschylum referuntur. Hac de causa equidem tantummodo dubitanter Aeschylo illud προφύλακας κτλ. adscribere audeam. Nescio, an parum accurata sint, quae Hyginus tradit. — Eodem cadit quaestio, num nomen Γραῖαι ab Aeschylo usurpatum esse demonstrari

possit. Demonstrari ne hoc quidem potest, nisi Hygini verbis fides habetur. Quamquam hoc casui tribuendum esse censeo.

6) Graeae cum in hac fabula chori partes videantur egisse, quaestio existit, num Aeschylus illic plures tribus finxerit. Non improbabile est, quod Welckerus (tril. p. 386) suspicatur additas fuisse tribus illis alias daemones tamquam ministras. Minus veri simile mihi videtur, quod conicit Hermannus (opp. II, p. 125): 'Chorus ille si fuerit ex Phorci filiabus, certe in eis etiam Gorgones numeratas fuisse, ut sex, non tres fuerint neque illas fortasse sine comitibus.' Quamquam etiam Welckeri sententia valde incerta est tam paucis fabulae illius reliquiis servatis. Cf. § 173.

28. Ἰνώ.

§ 41. Inonis eiusque filii Melicertis fabulam in Θεωροῖς ἢ Ἰσθμιασταῖς tractatam fuisse Welckerus coniecit (tril. p. 359, append. tril. p. 131 sq.) multisque demonstrare conatus est, quamquam re vera nulla re nixus nisi titulo 'Ἰσθμιασταί'. Fragmenta nihil de argumento produnt. Quare valde incertas et dubias has viri ill. divinationes esse dicendum est. — Actum vero esse de Inone et Melicerte in fabula, cui nomen erat Ἀθάμας, admodum probabile est. Vide § 161.

29. Ἄτλας.

§ 42. Atlas deus unus ex Titanibus Prom. 443, Promethei frater est Prom. 363, pater Pleiadum frg. 298. Labores ei sustinendi sunt similes ac Prometheo. Caeli et terrae onus (κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονός) perpetuo (Prom. 444) portans stat ad solis occidentem (ἐς ἑσπέρους τόπους), Prom. 364 sq. (ὤμοις ἐρείδων), 444 sq. (νώτοις ὑποστενάζει), frg. 298 (μέγιστος ἆθλος οὐρανοστεγής)[1]. Commiserantur eius sortem Prometheus, Prom. 363 sq., et Oceanides, Prom. 441 sq. Maxime eum deplorant filiae Pleiades, frg. 298, neque non misericordia eius moventur fluctus marini, flumina, fontes, Prom. 447 sq.

Adnot. 1) Atque hanc poenam esse Atlanti a Iove impositam verborum conexus Prom. 360 sq. docet. Quare non dubitandum est, quin etiam Aeschylus pati eum cogitaverit hoc supplicium, quia Titanum rebellioni interfuerit.

30. Πρωτεύς.

§ 43. Fabulae satyricae Aeschyleae nomen erat Πρωτεύς, qua tractavit poeta notum illud ex Odyss. lib. IV, quod Menelao

apud Proteum Aegyptium accidit. Ampliora de fabulae huius argumento vide § 126. Hoc unum hic quoque commemorandum est, etiam Aeschylum *Εἰδοθέαν* (quam deminutione etiam *Εἰδώ* dixisse fertur) filiam Protei nominasse, frg. 210.

31. *Γλαῦκος πόντιος*.

§ 44. *Γλαῦκος πόντιος* nomen erat dramati Aeschyli satyrico, ut videtur[1]. De eius argumento certi nihil constat. Omni enim probabilitate carent mea quidem sententia, quae argute quidem nec tamen satis caute Welckerus (tril. p. 471 sq. et append. tril. 176 sq.), tragoediam eam fuisse ratus argumenti continuitate cum Persis coniunctam, coniecit (consentiunt K. O. Muellerus cet.), deum marinum in ea de victoria Syracusanorum Himerensi narrasse. Quod vero Hermannus (l. l. p. 66 sq.) de Oreste, cui fata cecinerit Glaucus deportanti Dianae e Tauride simulacrum, divinavit, id quoque valde dubium esse ipse confitetur (p. 75). Ad Argonautarum fabulam dramatis huius argumentum refert, quamquam dubitanter, E. A. J. Ahrensius (ed. p. 206). Gaedechensius denique (in Roscheri lex. myth. Gr. et Rom. s. v. p. 1685) suspicatur, de Ariadnae amore, quo captus fuerit Glaucus, dramatis argumentum fuisse[2]. — Hoc unum certum esse puto ipsum Glaucum in scenam processisse, frg. 31 (b), frg. 28, tit. Veri autem simillimum mea sententia est summam dramatis versatam fuisse in ipsa Anthedoniorum narratione, quam refert Pausanias 9, 22, 6 (frg. 23 Dind.): *εἶναι αὐτὸν ἁλιέα καὶ ἐπεὶ τῆς πόας ἔφαγε, δαίμονα ἐν θαλάσσῃ γενέσθαι καὶ τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἐσόμενα ἐς τόδε προλέγειν*. Ac sic intellegenda esse puto Pausaniae verba insequentia: *Αἰσχύλῳ δὲ καὶ ἐς ποίησιν δράματος ἐξήρκεσε*[3]. Putandum nimirum est, summam argumenti in narrationibus (et fortasse vaticinationibus) daemonis iam transformati positam fuisse, quod ab satyrica fabula non alienum mihi videtur esse. Spectant ad hanc narrationem etiam frg. 31 verba: *ὁ τὴν ἀείζων ἄφθιτον πόαν φαγών* et *καὶ γεύομαί πως τῆς ἀειζώου πόας*. Describebatur vel inducebatur Glaucus ab Aeschylo daemon partim hominis partim beluae marinae figuram referens, frg. 24[4]. Ad eandem descriptionem sine dubio pertinebat frg. 30: *δαῦλος ὑπήνη καὶ γενειάδος πυθμήν*[5]. Etiam de itinere illo quod

facere quotannis Glaucum perhibebant (Preller., myth. Gr.² I, p. 479) in hoc dramate actum esse videtur. Huc refero frgmm. 26, 27, 28, quae aperte ex oratione alicuius sumpta sunt, qui iter maritimum a se factum describit.

Adnot. 1) Occurrit hic quaestio illa nobilissima, utrum tragoedia an satyricum drama Glaucus Marinus fuerit sive utra fabularum (Marinus an Potniensis Glaucus) una cum Persis docta sit. Multa de ea re summo cum studio disputaverunt nonnulli huius aetatis viri docti, ut Hermannus (opp. II p. 64 sq.), Weilius (ed. Pers. praef.), Dindorfius (ad frgmm.) satyricam fabulam, Welckerus (tril. p. 471 sq.) [cui assentiuntur K. O. Müllerus (Gr. Lit. I p. 536), Nitzschius (Sagenpoes. d. Gr. p. 580 sq.) cet.] et Leutschius (in Ersch. et Grub. encyclop. s. v. vol. 69 p. 203 sq.) et nuperrime Hippenstielius (diss. de Graec. princ. trag. fab. nominibus, Marp. 1887, p. 22) tragoediam eam fuisse affirmaverunt. Etiam meum animum vehementer ac diu haec quaestio occupavit. Sed tandem omnibus accurate examinatis eo deductus sum, ut re vera ne unum quidem e documentis quaecunque in utramque partem prolata sunt eiusmodi esse, ut refelli non posset, mihi censendum esset. Tamen mihi dicendum est, quid verum esse mihi 'videatur'. Ac videtur mihi fabula fuisse satyrica imprimis propter figuram Glauci, qualem ab Aeschylo descriptam fuisse accepimus, quae ad satyricam fabulam aptissima videtur esse, ut iam Hermannus et Weilius monuerunt, quo accedit, quod de satyris in ea fabula dictum vel etiam actum esse fragmento 29 (cf. Ahrens. ed. schol. Theocr. IV, 63) docemur.

2) Sed miror, quod Gaedechens. (ibid.) et satyricam fuisse illam fabulam et ad Persarum trilogiam pertinuisse affirmat.

3) Aliter neque vero recte, ut equidem censeo, vocem ἐξήρκεσε interpretatur Hippenstielius (l. l.).

4) De hoc fragmento cf. Dindorf., Philol. 12, p. 189 sq. et 17. p. 719 sq.

5) Fortasse etiam frg. 25 huc referendum est. Cf. Welck. append. tril. p. 178. — De artis monumentis ad Glaucum pertinentibus cf. Gaedechens., Glaukos der Meergott, diss. Gött. 1859 p. 34 sq., et in Roscheri lexico l. l.

32. Σκύλλα.

§ 45. Scylla *οἰκοῦσα ἐν πέτραισι, ναυτίλων βλάβη* commemoratur Ag. 1232, ubi illi comparatur Clytaemestra maritum occisura. Nescio an eandem putet Scyllam Aeschylus filiam regiam (sc. quae postea in monstrum illud conversa sit¹), de qua legimus Ch. 611 sq. Dicitur illic: *φοινία Σκύλλα* (*ἁ κυνόφρων* v. 619), quae abominanda sit, cum hostibus favens Cre-

ticis monilibus aureis donis Minois obsecuta φίλον φῶτα perdiderit, immortali crine privans Nisum imprudenter dormientem mortemque ei ita parans[2].

Adnot. 1) Cf. Preller., myth. Gr.[2] I, p. 485.

2) Recte ad Nisum haec verba κιγχάνει δέ νιν Ἑρμῆς rettulisse censeo Weilium (et iam ante eum Heathium). Dubitat scholiastes. Minus recte ad Scyllam poenas dantem mihi videtur ea referre E. A. J. Ahrensius, plane autem perverse explicare Schützius: 'Assecutus est ipsam lucro inhiantem Mercurius lucrorum praeses eamque gravi damno mactavit'.

33. Γῆ (Χθών)[1].

§ 46. Tam diversa atque aliqua ex parte inter se discrepantia de Terra dea apud Aeschylum exstant, ut aptissimus videatur esse numinis eius quam apud hunc poetam invenimus informationi versus ille Prom. 226: (καὶ) Γαῖα πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία[2]. Cum hoc loco eandem eam ac Themidem esse legamus, mater Themidis et Phoebes Titanidum Terra dicitur Eum. 3, 7. Titanes Οὐρανοῦ τε καὶ Χθονὸς τέκνα sunt, Prom. 221[3]. Sed Iovis quoque mater Γᾶ appellatur Supp. 903, ubi eandem eam ac Rheam putari a poeta manifestum est[4]. Praeterea filii Terrae sunt (γηγενεῖς) Typhon Prom. 367, Argos Prom. 589. Etiam Παλαίχθων, antiquissimus Argivorum rex, γηγενής dicitur Supp. 256.

Nomina Terrae apud Aeschylum Γῆ (Γᾶ, Γαῖα) Prom. 226, Sept. 69, Pers. 632, 643, Supp. 901, 903 (911, 913), Χθών Prom. 221, Eum. 6 inveniuntur.

§ 47. Terra bis simul cum Iove, ut tutelam afferat, ab eis qui in periculis versantur invocatur, ab Eteocle Sept. 69, a Danaidibus Supp. 901. Hoc sic intellegendum esse puto: Terra ab eis invocatur, quia omnium quodammodo mater et nutrix est, sicut ad matrem refugiunt infantes periculum metuentes. Sic Supp. l. l. epitheton ei datur μᾶ i. e. 'mater'. Similiter παμμήτωρ dicitur terra Prom. 90. Sed hic eiusmodi sententiarum conexus est, ut appellative potius vel allegorice terra ipsa, quae sub pedibus nobis est, intellegenda esse videatur[5]. Nequit aliter explicari Ch. 127: καὶ γαῖαν αὐτήν, ἣ τὰ πάντα τίκτεται | θρέψασά τ' αὖθις τῶνδε κῦμα λαμβάνει. Sed hic quoque, ut preces audiat, imploratur[6]. Conferendum denique est frg. 41, ubi et

Caeli Terraeque coniugium et Terrae fertilitatem prorsus allegorice Aeschylus depingit his verbis:

ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα,
ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν·
ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν
ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον·
δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου
τέλειός ἐστι. τῶν δ' ἐγὼ (scil. Ἀφροδίτη) παραίτιος[1].

Ut deorum plurimorum et antiquioris et recentioris generis mater Terra grandaeva est, sic etiam divini iuris aliarumque institutionum (ut vaticinationis) parens putatur. Huc refero, quod eadem cum Themide ea habetur Prom. 226[2], et quod πρωτόμαντις dicitur quaeque prima oraculum Delphicum obtinuerit praedicatur Eum. 2.

Nec vero solum omnium quodammodo genetrix apud Aeschylum est, sed inter χθονίους deos etiam ipsa Χθών numeratur et mortuorum regina habetur. Invocatur ab eis qui mortuorum animas ab inferis elicere conantur Pers. 632, 643 (Γᾶ τε καὶ ἄλλοι χθονίων ἁγεμόνες). Similiter, ut patrem mortuum sursum mittat sibi adiutorem, Orestes eam orat Ch. 487[3]. Hic autem valde dubium est, utrum dea an appellative nostra terra intellegenda sit, praesertim cum comparemus Ch. 718, ubi simul allegorice invocantur: ὦ πότνια χθὼν καὶ πότνι' ἀκτὴ χώματος — νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 28 sq.

2) Quamquam etiam aptius ei dicendum fuit: πολλῶν μορφῶν ὄνομα ἕν. In hoc vero versu Prom. 226 nonnulli viri docti (Schützius et Schoemannus praeter cet., quos vide apud Schoem.) offenderunt non intellegentes, cur eandem Terram et Themidem Aeschylus putaverit, praesertim cum Eum. 2 sq. diversae sint deae. Quare duas hoc loco deas significari (Schoemannus) aut spurium esse versum, Aeschylo plane indignum, (Schützius) censuerunt. Alii vero eum versum valde defenderunt, e quibus commemorandi sunt praecipue Hermannus (ed. ad h. v. et opp. VII, 301), Welckerus (tril. p. 39 sq., tril. append. p. 69) — quamquam multa aliena hunc immiscere suo iure Hermannus vituperat —, Klausen. (theol. p. 29), Preller. (Gr. Myth.[2] I, p. 373), Keckius (Der theol. Char. des Zeus in Aesch. Prom., p. 22 sq. et adn. 20), Weckleinius (ad h. v.), H. L. Ahrens. (Ueb. die Göttin Themis, p. 9). Quos sequi non dubito. Nam tales discrepantias in talibus rebus Aeschylum sibi permisisse facile credi potest. Immo optime concinere mihi vide-

tur hic versus cum tota Telluris informatione Aeschyli. Nec desunt exempla similium discrepantiarum apud Aeschylum, ut in Furiis (vide § 62 sq.) et Cerere (vide § 58 adn. 2). Bene Keckius l. l. observat constantiam non requirendam esse in his rebus, in quibus Aeschylo aliud censendum fuerit poetae, aliud philosophi rationes sequenti. — A diversis eiusdem numinis nominibus ad diversas eiusdem nominis deae naturas redeo. Iam Klausenius (l. l.) separatim tractat Tellurem omnium genetricem (p. 28 sq., cf. p. 33), Tellurem mala cohibentem (p. 57 sq.), Tellurem mortuorum reginam (p. 62 sq.).

Optandum est, ut accuratius de Terra Aeschylea investigetur. Sed singularem commentatiunculam ea efficiat necesse est. Quam ob rem venia mihi sit, ut, sicut convenit huius opusculi proposito, congeram hoc loco Aeschylea quaecunque huc pertinent et addam tantummodo explicationes, quae maxime necessariae videantur.

3) Cf. Prom. 175, frg. 193; adde frg. 41 et quae de eo paulo infra exponam. Cf. § 73.

4) Cf. § 1 adn. 2.

5) Cf. § 33 cum adn. 2.

6) Cf. etiam v. 148 sq.

7) Praeterea admodum memorabile mihi videtur esse, quod idem poeta alias dicit: *Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός*, frg. 65 a.

8) Talem eam in 'Prometheo Soluto' in scenam prodiisse non improbabile est. Traditum enim est nomen *Γῆ* in personarum indice Promethei Vincti; cum autem in hac fabula servata partes non agat, suo iure docti viri suspicati sunt, in 'Soluto' partes ei fuisse. Vide § 85 c. adn. 33.

9) Quamquam hoc loco allegorice tantummodo hoc '*ἄνες κτλ.*' dicitur.

34. *Ῥέα, Κουρῆτες.*

§ 48. Semel tantummodo Rhea nominatur in reliquiis Aeschyleis Prom. 863, ubi *Ῥέας κόλπος* mare Ionium dicitur. Sed eandem eam quam Terram putatam esse ab Aeschylo nobis censendum est[1].

Etiam Curetes semel apud Aeschylum inveniuntur frg. 322, ubi dicit poeta de crine eorum luxuriante (*ὡς παρθένοις ἁβραῖς*), 'unde Curetes vocati sint'.

Adnot. 1) Cf. § 1 adn. 2 et § 46 adn. 2. — De Adrastea vide § 35 e.

35. *Διόνυσος*[1].

§ 49. a) Incunabula et res gestae.

Bacchum quin filium Iovis et Semeles Aeschylus habuerit, non dubitandum est. Nam quamquam perdita est fabula '*Σε*-

μέλη', quae erat de Bacchi rebus natalibus, hoc quidem satis certe colligi posse videtur ex fragmentis (praec. 223), Aeschylum a vulgari traditione non abhorruisse. De argumento illius dramatis haec patent: Semele in scenam prodibat ἔγκυος οὖσα καὶ ἐνθεαζομένη, quaeque ventrem eius attigerunt, pari furore divino correptae sunt, frg. 223. Quod autem chorus aquam portabat (alius titulus erat Ὑδροφόροι), conicere cogimur etiam regiae Thebanae incendium tractatum fuisse. Quamobrem dubium vix esse puto, quin nota illa fabula de stulta Semeles precatione, Bacchi partu cet. argumentum fuerit. Quocum optime concinit etiam, quod frg. 221 traditur, novum in hac fabula daemonem fictum esse ab Aeschylo Amphidromum, cuius munus περὶ τὰ ἀμφιδρόμια versaretur[2].

Nutrices Bacchi chorum agebant, ut videtur, in fabula perdita (Διονύσου) τροφοί[2a]. Nec vero de illius argumento quidquam constat. Hoc unum accepimus: in ea Medeam Bacchi nutricibus earumque maritis coctis iuventutem restituisse, frg. 46, cf. frg. 49.

§ 50. Quae Baccho acciderunt ad Thraces venienti ab Aeschylo tractata sunt in tetralogia 'Lycurgia' (vide schol. ad Ar. Thesm. 135)[3]. Cuius prima fabula erant Ἠδωνοί. De eius argumento haec fere satis certa sunt. Agebatur de Bacchi apud Lycurgum, Edonorum regem, adventu. Hoc docemur titulo collatis frgmm. 55, 56, 64 b. Describebatur a choro Edonorum Bacchi comitum incessus frg. 55[4]. Appropinquante autem ipso deo tota Lycurgi domus divino quodam furore corripitur frg. 64 a[5]. Verba frg. 56 servata: 'ποδαπὸς ὁ γύννις; κτλ.' regis Bacchum comprehensuri esse veri simillimum est[6]. Haec sola certa videntur; sed his omnibus collatis totam illam Lycurgi fabulam, et nefarie factorum et poenae, ab Aeschylo tractatam fuisse putandum nobis est. — Subsequebantur 'Bassarides'. De cuius tragoediae argumento etiam pauciora constant. Chorus Βασσαρίδες sive Βασσάραι, i. e. Bacchae Thracio modo appellatae, erant. Ad Bacchum igitur fabulam pertinuisse patet. Praeterea hoc unum satis certum videtur, ibi Aeschylum narrasse haec de Orpheo: 'Non veneratur ille Bacchum. Quare iratus deus Bassarides mittit; quae eum discerpunt membraque in diversas partes disiciunt', frg. 20[7]. — Tertia Lycurgiae tragoedia

Νεανίσκοι erant. De huius argumento certi plane nihil constat praeter hoc unum, quod ad Bacchum id pertinuisse coniunctio fabularum, de quibus dixi, credere nos iubet[8]. — Coniunctum erat cum hac trilogia 'Lycurgus' drama satyricum. Ex eadem fabularum complexione argumentum eius sumptum fuisse titulus docet. Nec vero ipsum quale fuerit argumentum, ex fragmentis, quae perpauca servata sunt, erui posse certe Hermanno (l. l. p. 27) concedendum est[9].

Etiam Penthei notam fabulam tractavit Aeschylus. Simile atque Euripidis Baccharum argumentum fuisse Penthei Aeschyleae colligendum est ex eis quae in Euripidis Bacch. argum. exstant (vide ante frg. 182 Dind.). Sed etiam Aeschyli *Ξαντρίας*[10] ad Pentheum pertinuisse collatis frgmm. 165, 167, 168 putandum est[11]. E Parnasso proficiscens, Eum. 25, Bacchas in Pentheum ducit Bacchus illique in monte Cithaerone, frg. 168[12], mortem parat Eum. 24 sq. Huc videntur pertinuisse etiam frg. 165 '*Λύσσαν* ipsam deam ab Aeschylo introductam esse incitantem ac furore implentem Bacchas' ac frg. 167, quod est de facibus, quae dicuntur *κάμακες πεύκης οἱ πυρίφλεκτοι*; videtur denique ad Bacchum a Pentheo captum pertinere frg. 169, ubi de loco quodam, cui nec sol nec luna lucem ferat, dicitur.

Praeterea in catalogo Aeschyli fabularum titulus traditus est *Βάκχαι*; sed nullum sub hoc titulo fragmentum affertur[13].

§ 51. *b*) Vis et mores, sacra, nomina.

De vi et moribus Bacchi satis multa ex eis, quae de eius rebus gestis modo congessi, elucent. E quibus haec praeter cetera notabilia mihi videntur esse. Utero materno inclusus etiamtum omnes qui eum attingunt spirito quodam divino implet, frg. 223. Cum Bacchis (*Μαινάδων ζευκτήριος* frg. 350) furentibus[14] omnes terras peragratur cultum suum propagans. Vocantur Bacchae apud Aeschylum *Βάκχαι* Eum. 25, *Βασσαρίδες, Ξάντριαι*[15] (tituli), *Μαινάδες* frg. 350. Dicuntur *χαλιμάδες*[16] frg. 388. Ad Bacchi eiusque comitum vestitum sine dubio pertinebant quae commemorantur *νεβρίδες* frg. 60 et *βασσάραι Λύδιαι ποδήρεις* frg. 64 b. Talis agminis Bacchici incessus splendide describitur frg. 55 (*ὁ μὲν ἐν χερσὶν | βόμβυκας ἔχων, τόρνου κάματον, | δακτυλόδικτον πίμπλησι μέ-*

λος | μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν· | ὁ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ. — — ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει· | ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνται | ποθὲν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι, | τυπάνου δ' εἰκὼν ὥσθ' ὑπογαίου | βροντῆς φέρεται βαρυταρβής)[17]. Ad ipsius Bacchi habitum aperte γύννις illud frg. 56 spectabat[18]. Dubium est, num ad ipsum deum referenda sint epitheta μουσόμαντις frg. 57[19] et χλούνης frg. 63.

Dithyrambus Διονύσῳ σύγκοινος dicitur frg. 392. Sacra Bacchi dicitur Κωρυκὶς πέτρα Parnassi Eum. 22[20].

Nomina eius apud Aeschylum sunt: Διόνυσος frg. 392 (cf. tit. Διονύσου τροφοί), Βρόμιος Eum. 24, Θέοινος frg. 350[21].

Denique de Bacchi et Apollinis necessitudine vide § 15.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 124 sq.

2) Welckerus (tril. p. 329) inde colligit: Bacchum modo natum, ut mos erat Atticus, circum aram portatum esse. E. A. J. Ahrens autem (p. 223) hoc veri simile esse negans Amphidromum e flammis infantem (pro mortuo habitum, frg. 222) rettulisse putat. Et hoc et illud verum esse potest mea sententia.

2a) De huius fabulae nomine vide Hippenstiel, de Graec. trag. princ. fab. nominibus, diss. Marp. 1887, p. 14.

3) De ea disputavit Hermannus (opp. V, p. 3 sq.). Cf. etiam Welcker. (tril. p. 320 et praecip. append. p. 103 sq.) et Nitzsch. (Sagenpoesie d. Gr. p. 586 sq.).

4) Recte Hermannum (l. l. p. 9) censere puto haec verba (de quibus amplius paulo infra dicam) chori Edonorum esse suam deam Cotyn celebrantium neque non faventium advenienti novo deo, e quibus praeterea hoc licet conicere, hostilem Lycurgi in Bacchum animum improbari a choro.

5) Hoc fragmentum sine dramatis nomine traditum quin ad 'Edonos' pertineat, non dubito.

6) Eodem fortasse spectat frg. 59; cf. Hermann. (l. l. p. 17), cui assentitur E. A. J. Ahrens. (p. 179). Nec non frg. 57 huc referendum videtur; nec tamen de Baccho haec dici pro certo affirmare audeam, praesertim cum verba ipsa admodum corrupta sint.

7) Satis confidenter Welckerus (append. tril. p. 115 sq.) et E. A. J. Ahrensius (p. 179) nomine Lycurgiae nixi exponunt, Bacchi liberationem et Lycurgi poenam in hac tragoedia tractatas fuisse. Quam autem incertae hae sint coniecturae, docet Hermanni prudens et cauta huius quaestionis tractatio (l. l. p. 19 sq.). Scire non possumus, utrum Orphei in praetereundo tantummodo mentio facta sit an totum fabulae argumentum de eo fuerit. Neque Hermanni probanda mihi videtur coniectura (l. l. p. 24), simul ad Lycurgum id spectasse et Orphei sortem complexum esse.

8) Hermannus (l. l. p. 22) cultum Bacchi et fortasse Lycurgi quoque cum illius coniunctum in Neaniscis propositum fuisse suspicatur. Quod non improbabile est, quamquam minime cum Ahrensio (p. 180) dixerim dubitari de hac re non posse. Vix autem quisquam ea comprobabit quae Welckerus (append. tril. p. 117 sq.) de altera quadam poena Lycurgi in Neaniscis tractata, satyrorum choro cet. protulit.

9) Aliter E. A. J. Ahrensius (p. 180) censet. Qui vini usum, non illius quidem quod Bacchi beneficio debeatur, sed illius quod frumenti coctione in similitudinem vini corruptum a Thracibus inventum sit, propositum fuisse putat. Non inepta haec coniectura est, nixa frg. 123, nec tamen certis argumentis probari potest. Minime vero ei repugnat Hermanni sententia (l. l. p. 23) deum Lycurgum in satyrico dramate fuisse.

10) Vocem *Ξαντρίας* recte, ut videtur, explicant viri docti (Welckerus, tril. p. 330; Ahrens. p. 230; Nitzsch., Sagenpoesie d. Gr. p. 629) 'carminatrices' i. e. quae discerpunt, a verbo *ξαίνω* eam ductam esse putantes comparato loco Philostrateo (cf. Dindorf. ad frgmm.).

11) Iam existit atque adhuc remanet quaestio, utrum ea quae una fabula ab Euripide comprehensa sunt, ab Aeschylo duabus tractata fuerint, quod censet Welckerus (l. l.), adsentiuntur Nitzschius et Ahrensius (ll. ll.) quodque veri simillimum est, an Penthei sors in Xantriis in praetereundo tantummodo memorata fuerit. Neque enim necessarie efficitur frg. 168, tale eius fabulae fuisse argumentum. Fortasse etiam suspicetur quispiam Xantrias et Pentheum eiusdem fabulae duo nomina esse. Hoc catalogi Aeschylearum fabularum (in quo suo utrumque loco scriptum est) ratione improbari nobis censendum est, si recte se habent, quae de eius ratione et indole Hippenstielius (de Graec. trag. princ. fab. nominibus, diss. Marp. 1887 p. 10) exponit, utique in eo duplices titulos plenos servatos esse. Recte se habeat Hippenstielii ratiocinatio, si eum, qui catalogum exhibuit, omnes illas fabulas legisse vel argumenta certe cognovisse putandum nobis sit. Neque vero tantum auctoritatis ipse Hippenstielius catalogo tribuit, cum ipse *Βάκχας* (quod nomen suo loco a catalogo affertur) non unius fabulae sed totius didascaliae titulum fuisse suspicatur (p. 49). Ac si grammaticus ille non tanta diligentia fuit, cur fieri non potuit, ut eis quidem fabulis binorum titulorum, quas ipse cognovit, plenos titulos adscriberet, aliarum, quarum argumenta accurate non cognovit, duplices titulos, qui ferebantur, diversis locis adnotaret, ad diversas fabulas eos spectare arbitratus? Neque enim hoc solum exemplum est, quod eiusmodi aliquid suspicati sunt viri docti. Vide adn. 13, praeterea quod de Lemniis et Philocteta (vide § 99 adn. 10), de Memnone et Psychostasia (vide § 96 adn. 1) Welckerus suspicatus est. Cf. de catalogi ratione et indole Welcker., Kl. Schriften IV, p. 131.

12) Scholiastes (ad Eum. l. l.) sibi non constare Aeschylum censet; sed, ut verbis 'e Parnasso proficiscens' significavi, equidem paulo aliter hoc explico.

13) Ne *Βάκχας* alterum titulum fuisse unius illarum de quibus dixi fabularum putemus, catalogi indole et ratione prohibeamur, si recte se habeat, quod de ea Hippenstielius iudicat. Sed vide quae in adn. 11 exposui.

14) Animadverte quae de Lyssa (frg. 165) paulo supra attuli.

15) Si recte hoc nomen explicant viri docti. Vide adn. 10.

16) Hesychius hanc vocem interpretatur: *ἀναίσχυντοι καὶ θρασεῖαι.* Cet. cf. Hermann. (ad frg. 405 et opp. V, p. 18).

17) Scripturam exhibui Dindorfii.

18) Etiam quae frg. 167 describuntur faces ad Bacchas pertinere veri simillimum est.

19) Refert hoc ad Bacchum ipsum Ahrensius (p. 179), sine ulla dubitatione ad Silenum Welckerus (append. p. 112); de Orpheo cogitat Hermannus (l. l. p. 16 sq.).

20) De locis eius sacris cf. quae de Thracia, Thebis, Cithaerone, Lydia (frg. 64 b) supra dixi.

21) Nusquam in eis quae nobis servata sunt inveniuntur *Βάκχος, Ἴακχος* (sed *Βάκχαι* ll. ll., *Βακχεῖος* frg. 394, cf. § 15 adn. 14).

36. *Σάτυροι, Σειληνός.*

§ 52. Notissimum est plurima composita esse ab Aeschylo dramata satyrica quae dicuntur[1], quo in genere inter ceteros poetas praestitisse dicitur[2]. Quorum nullum nobis servatum esse valde dolendum est. Fuerunt, quantum scimus, fabulae satyricae: *Ἀμυμώνη*[3], (*Γλαῦκος Πόντιος*)[4], *Κερκύων, Κίρκη, Κήρυκες, Λέων, Λυκοῦργος, Προμηθεὺς πυρκαεύς*[5], *Πρωτεύς, Σίσυφος δραπέτης*[6], *Σφίγξ*[7]. Harum omnium chori e satyris compositi erant. Praeterea nihil fere de satyris apud Aeschylum exstat. Quod *ἀκρατεῖς* satyros ab eo dictos esse legimus frg. 29, falso Casauboni additamento nititur. In 'Amymone' talem se gerentem satyrum partes egisse probabile est[8].

Ad Silenum epitheton *μουσόμαντις* frg. 57 pertinere, quod Welckero (append. tril. p. 112) persuasum est, valde incertum sive potius prorsus improbabile mihi videtur. Neque intellego, unde sciat Klausenus (theol. p. 133) constare Aeschylum plures Silenos commemorasse. E verbis frg. 29 hoc nullo modo concludi potest.

Adnot. 1) Fusius de hoc dramatum genere disseruit Welckerus (append. tril. p. 185 sq.).

2) Diogenes Laertius II, (cap. XVII) 133.

3) Vide § 170.

4) Vide § 44 adn. 1.

5) Vide § 81 adn. 13.

6) Vide § 179.

7) Cf. Welcker. l. l. p. 286. Complures hic non attuli, quas satyricas fuisse non satis certum mihi videatur.

8) Quamquam non certum est. Cf. § 170, praec. adn. 3.

37. Πάν[1].

§ 53. Pan inter eos nominatur deos, a quibus Furiam mitti Aeschylus putat, Ag. 56. Πανίας βήσσας dictas esse ab Aeschylo memoratur frg. 97, quo 'propriam Panis naturam versantis in vallibus montanis tangi' bene observat Klausenus (l. l.).

Φιλόχορος vocatur Pers. 451. Ibidem sacra eius dicitur insula quaedam parva prope Salaminem sita[2] (ἣν ἐμβατεύει).

Duos Panes ab Aeschylo acceptos esse (τὸν μὲν Διός, τὸν δὲ Κρόνου) schol. Rhesi contendit frg. 29. Atque eodem spectare videntur verba scholiastae Theocritei ibid. a Dindorfio allata (cf. ed. Ahrensii et Ziegleri): τοὺς Πᾶνας πλείους φασίν (φησίν Ahrens.) ὡς καὶ τοὺς Σειληνοὺς καὶ τοὺς Σατύρους, ὡς Αἰσχύλος μὲν ἐν Γλαύκῳ, Σοφοκλῆς δὲ ἐν Ἀνδρομέδᾳ.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 132 sq.

2) Psyttalea. Bene affert Klausenus Hdt. VI, 105, Pausan. I, 28, 4; I, 36, 2.

38. Παλικοί[1].

§ 54. De Palicis Siculorum daemonibus in Aeschyli Aetnaeis agebatur. Filii sunt Iovis et Thaliae nymphae. Et nomen illud eis a Iove inditum est, quia πάλιν ἵκουσ' ἐκ σκότου τόδ' ἐς φάος, frg. 5.

Adnot. 1) Fusius de Palicis Aeschyleis disseruerunt: Welckerus (Annali dell' Inst. 1830 p. 245 sq., Zs .f. d. Altert. 1838 p. 235 sq.), Alte Denkm. III p. 201 sq. (praec. 214 sq.); Hermannus, opp. VII p. 315 sq. et 332 sq.; Schneidewinus in Mus. Rhen., vol. III (1845) p. 70 sq.

39. Κάβειροι.

§ 55. Κάβειροι titulus erat fabulae Aeschyleae perditae. Cuius chorum fuisse Cabiros putandum est[1], neque dubitari potest, quin Argonautarum, qui ad Lemnum insulam appulerunt, res in ea descriptae fuerint, frg. 94, 95[2]. Convivia instituta et

ingentem vini copiam a daemonibus illis comparatam fuisse e fragmentis 95, 96 colligendum est. Minitantur per iocum Cabiri, etiam acetum defuturum esse, frg. 96[3].

Adnot. 1) Ex Argonautis chorum huius fabulae compositum fuisse Hermannus putat (opp. II, p. 125). Sed recte Welckerus (tril. p. 313) ei obicit: heroes in choro introduci vix potuisse, si in hac fabula quinquaginta eorum nomina enumerata sint (frg. 94). Cui adsentitur Ahrensius. De Cabirorum Aeschyleorum numero non improbabilia profert Welckerus (l. l. p. 314). Cf. quod de Phorcidibus iudicavi § 40 adn. 6.

2) Cf. § 160.

3) Iactare videntur, quanta sibi sit potentia. Eodem aperte referenda sunt verba ista 'neque vinaria neque hydrias relinquere beatis domibus', frg. 96.

40. Fluvii[1].

§ 56. Filii Oceani et Tethyos fluvii apud Aeschylum aperte sunt. Vide § 37 adn. 2. Ut dei apud eum invocantur: Plistus (*Πλειστοῦ πηγαί*) Eum. 27, 'Caicus *Μύσιαί τ' ἐπιρροαί*' frg. 141, Spercheus (ut quidem videtur) frg. 243, Nilus (*ὁ μέγας*) Supp. 890. Idem (*Νείλου προχοαί*) a Danaidibus cultus est Supp. 1035[2]; quem honorem in posterum fluviis Argivis se habituras esse promittunt 1037 sq. Inacho fluvio patrio cincinnum dedicat Orestes Ch. 6. Ismeno et *Δίρκης πηγαῖς* aeque ac deis Thebarum *πολισσούχοις* Eteocles pollicetur, re bene gesta servataque urbe spolia hostium se consecraturum esse, Sept. 259. Idem Inachus filius Oceani et pater Ius est Prom. 663 (cf. 615, 731). Inachi (*Ἀργείου ποταμοῦ*) filiae fontium nymphae dicuntur frg. 170.

Omnes fontes a Neptuno et Oceanidibus emittuntur Sept. 296 sq.[3] Deplorant Atlantis infortunium fluvii et fontes Prom. 447 sq.[4] Denique invocat *ποταμῶν πηγάς* Prometheus, ut testes sibi sint eorum quae patiatur, Prom. 89; sed talis hic sententiarum conexus est, ut appellative sive allegorice id dictum esse videatur[5].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 139.

2) Nili '*ἁγνὸν νᾶμα*' legitur frg. 304, '*ὕδωρ νόσοις ἄθικτον*' Supp. 570.

3) Cf. § 36 et § 37 adn. 2 et § 38.

4) Cf. § 42.

5) Cf. § 33 cum adn. 2, § 47.

41. Nymphae.

§ 57. Nymphae apud Aeschylum hae commemorantur: Inachi filiae ὀρεσσίγονοι νύμφαι κρηνιάδες[1] κυδραὶ θεαὶ βιόδωροι, quibus Iuno sacerdotis partes agens stipem colligit frg. 170[2]; nymphae antri Corycii a Pythia invocantur Eum. 22; nympha quaedam 'δέσποινα δυσχίμων ὀρῶν ἄναξ' dicitur frg. 379. Denique commemorandum est, scriptam esse ab Aeschylo fabulam 'Bacchi nutrices'. In qua his nymphis earumque maritis coctis iuventutem restitutam esse a Medea traditum est, frg. 46, cf. 49[3].

Adnot. 1) Hanc vocem restituit Meinekius. Vide Dindorf. ad h. frgm. — De fontibus cf. etiam paulo supra § 56.

2) Cf. § 9 adn. 3.

3) Cf. § 49.

42. Δημήτηρ[1].

§ 58. Non multa de Cerere apud Aeschylum exstant, sed quae non parvi sint momenti. Valde memorabile est, quod Herodotus (2, 156) testatur Cererem ab Aeschylo matrem Dianae dictam esse, frg. 436 a[2].

Ad agriculturam Cereris propriam spectant βίος Δημήτριος frg. 41 et φερέσβιος Δήμητρος στάχυς frg. 304, pro 'frumento' dicta.

Saepius apud veteres scriptores hoc occurrit: Aeschylum ab Atheniensibus accusatum et aegre tantum absolutum esse, quod 'ἀπόρρητα' quaedam de Cerere ex mysteriis Eleusiniis profanavisset. Vide Dind. frg. 83. Talia in Iaculatricibus, Sacerdotibus, Sisypho πετροκυλιστῇ, Iphigenia, Oedipode exstitisse frg. 83[3]. Sed quaenam ea fuerint nescimus[4]. Fortasse huc pertinent frgmm. 383 et 384, quae sunt de facibus pompae sacrae et de sacrorum initiatione. Certe vix dubitari posse censeo, quin initiatus fuerit istis mysteriis Aeschylus[5].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 92 sq.

2) 'In Aegyptiorum fabulis, Herodotus ait, Dianam esse natam ex Iside, quae Graecorum Demeter sit; nutricem eius et servatricem fuisse Latonam'. Qua in fabula illud Aeschylus dixerit, non satis certum est neque vero multum refert ad mythologiam. Maioris momenti est, quod alias apud Aeschylum Diana Λατογένεια et Λητῴα appellatur. Vide § 16. Tamen Herodoto, auctori religiosissimo, fidem habendam esse censeo, cum tales repugnantias non plane alienas esse ab Aeschylo

ex eis quae de Terra (vide § 46 adn. 2) et de Furiis (vide § 62 sq.) apud eum exstant colligam. Non improbabile est quod conicit Klausenius l. l., illud ipsum ex mysteriis Eleusiniis eum sumpsisse.

3) Quamquam hoc solo Eustratii qui dicitur testimonio proditum est.

4) Sed vide quae suspicatur Klausenius (l. l.) supra in adn. 2.

5) Vide Dindorf., Aesch. vit. (in poet. scen.) p. 4. Cf. etiam nobilissimos Aristophanis versus (ran. 886), quos in scenam progressus Aeschylus loquitur: *Δήμητερ ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα | εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.* — Dindorfius haec verba pro Aeschyleis recepit (frg. 393), verbis schol. alicuius recentissimi, ut suspicor, nixus: *ἐστὶ δὲ τοῦτο τὸ ἔπος Αἰσχύλου.* Haec verba cum in optimis IV codicibus (vide ed. schol. Ar. Dübneri) desint, valde suspecta habenda mihi videntur.

43. *Ἅιδης*[1].

§ 59. Nomina Plutonis apud Aeschylum inveniuntur: *Ἅιδης* saepissime (paucis locis etiam *Ἀΐδης* videtur legendum esse)[2], *Ἅις* Prom. 449, *Ἀιδωνεύς* Pers. 652[3]. *Ζαγρέα* cognomen datum esse ab Aeschylo et Plutoni ipsi et filio eius[4] frg. 229 dici videtur[5].

Mortuorum rex Pluto est Supp. 799, hominum iudex *ἔνερθε χθονός* Eum. 273. Similiter de eo dicitur: *Ζεὺς ἄλλος ἐκεῖ δικάζει τἀμπλακήματα ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας,* Supp. 236 sq. 'Inferorum Iupiter' etiam Supp. 164 Pluto vocatur[6]. *Ὁ κατὰ χθονὸς Ἅιδης νεκρῶν σωτήρ* a Clytaemestra dicitur Ag. 1385. Cuius *εὐκταίαν χάριν* tertium ictum marito iam collapso se addidisse cavillatur. Imploratur Pluto, ut mortui Darii animam ex inferis emittat, Pers. 652 sq. Cum sub terra habitet, *ο γάιος* Pluto dicitur Supp. 162 et, cum omnes aliquando homines illius regni cives futuri sint, appellatur *ἀγησίλαος* frg. 319, *ὁ πολυξενώτατος* Supp. 163, frg. 229 (de quo cf. adn. 5); eodem spectat cognomen illud de quo supra dixi, *Ζαγρεύς*, i. e. 'magnus venator'. *Ἐχθρὸν παιᾶνα Ἀίδα* tristem suum cantum virgines Thebanae heroes mortuos lugentes dicunt Sept. 854 sq. *Ἐς Ἅιδου μολεῖν* pro 'mori, interire' Prom. 252 et '*ἐν Ἅιδου*' de loco ubi mortui versantur Supp. 234, 421, Ag. 1529 invenitur. *Κελαινὸς Ἅιδος μυχὸς γᾶς* dicitur Prom. 449.

Nec non appellative, ut ita dicam, et ut Latinum nomen 'Orcus' pro ipso regno subterraneo Pers. 925, Prom. 161 sq. (*νεκρο-*

δέγμων), 1061 (ἀναύγητος), Ag. 1290 et pro ipsa morte usurpatur Ag. 672 (Ἅιδης πόντιος pro 'morte marina'), Ag. 1103 (δίκτυον Ἅιδου pro 'reti mortali').[7]

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 58 sq.

2) Vide lex. Aeschyl. Dindorfii.

3) Dindorfius etiam 'Πλούτωνα', quod fluvii nomen, ut exponit scholiastes, occurrit Prom. 832, regem inferorum esse arbitratur (lex. Aesch. s. v.). Nec vero video, cur a scholiastae, quem non indoctum fuisse constat, interpretatione, quae aptissima videtur, recedamus. Receperunt eam Schoemannus, Weckleinius. Cf. § 185, b.

4) Cf. § 179 c. adn. 3. Significari Διόνυσον Ζαγρέα Prellerus (Gr. Myth.[2] I, p. 627) explicat.

5) Nam ita corrupta sunt aperte illius verba, ut pro certo hoc affirmare dubitem. Veri simillimum autem videtur mihi talem esse hanc corruptelam, qualem Hermannus (ed. I, p. 331) conicit, cuius emendationem receperunt Prellerus (l. l.), Dindorfius, Nauckius.

6) Cf. § 36 cum adn. 2.

7) Si recte se habeant verba tradita Ag. 1234 θύουσα Ἅιδου μήτηρ, de Clytaemestra dicta, ea quoque huc referenda sint. Sed suo iure dubitaverunt nonnulli viri docti, ut Weilius, Hensius (cuius adn. ad h. l. vide), an haec scriptura corrupta esset.

44. Περσεφόνη.

§ 60. Dicitur Proserpina apud Aeschylum Περσέφασσα Ch. 488, Δαῖρα frg. 275. Invocatur simul cum Agamemnonis manibus ab Electra Ch. 488.

45. De inferis (Orcus, Tartarus).[1]

§ 61. Plurima quae de inferis dicenda sunt, iam in § 59 congessi; quae iterum enumerare supersedeo. Restant haec pauca. Orci flumina memorantur Cocythus et Acheron Ag. 1159, Sept. 677 (κῦμα Κωκυτοῦ Φοίβῳ στυγηθέν), 841 (ubi de remigatione dicitur, quae αἰὲν δι' Ἀχέροντ' ἀμείβεται | τὰν ἄστονον μελάγκροκον | ναύστολον θεωρίδα, | τὰν ἀστιβῆ Ἀπόλλω|νι, τὰν ἀνάλιον | πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χέρσον)[2], Ag. 1556 (ὠκύπορον πόρθμευμα ἀχέων)[3]. Styx semel tantummodo occurrit Pers. 671, ubi per translationem Στυγία ἀχλύς calamitas dicitur. Plura de his Orci regionibus sine dubio in 'Ψυχαγωγοῖς' exstabant. Refero huc 'σταθερὸν χεῦμα' frg. 274.

Quae ad mortuorum animas a Mercurio in Orcum deductas

pertinent, congessi § 19. De poenis, quas impii homines in Orco dant, dicitur Eum. 269 sq. Nemo iustam poenam effugit 272. Nam memor iudex Pluto est 275.

Etiam inferior ipso Orco sub terra (Eum. 72) est Tartarus Prom. 161 sq. Qui fingitur profundus et caliginosus quidam recessus Prom. 235 (*κευθμὼν μελαμβαθής*), Prom. 1083 (*κελαινός*), 1061 (*κνεφαῖα Ταρτάρου βάθη*). Eo relegati sunt a Iove ibique in custodia tenentur aliquamdiu[4] Saturnus eiusque socii Prom. 235 sq. Ibidem habitant Furiae Eum. 72.

Aptus mihi videtur hic locus esse inserendi ea quae de inferis deis in universum apud Aeschylum inveniuntur. Invocantur *θεοὶ χθόνιοι βαρύτιμοι* Supp. 24, *χθόνιοι* Ch. 398[5]. Mentio fit *θεῶν τῶν κατὰ γᾶς* Ch. 473[6], *τῶν μεγίστων ἐκεῖ* (in Orco) *τυράννων* Ch. 358. *Νερτέρων τυραννίδες* ut iustitiam servantes vocantur Ch. 404.

Denique valde memorabile est, quod etiam hominum mortuorum manes, ut dii, implorantur a vivis, ut auxilium ferant, ut Agamemnon Ch. 331 sq., 454 sq., Darius Pers. 224 sq. Similiter simul cum Parca et Furia, quibus tamquam par ponitur, invocatur *Οἰδίπου σκιά* Sept. 963.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 58 sq.

2) Charontis ad Orci litus mortuos transvehentis 'navalem viam' significari manifestum est.

3) Quin Acheron denotetur, quamquam nomen non additum est, dubitari nequit.

4) Cf. § 74.

5) De hac re non dubitandum est, quamquam verba ipsa nondum sanata sunt.

6) Hic vero solae Furiae significari videntur.

46. Ἐρινύες[1].

§ 62. De Furiis plurima apud Aeschylum exstant nec tamen quae omni ex parte satis perspicua sint et inter se congruant[2].

Nomen earum *Ἐρινύες* saepissime[3] occurrit, semel tantummodo in ipso titulo tragoediae celeberrimae '*Εὐμενίδες*'.[4]

Filiae sunt Noctis Eum. 322, 419, 748, 795, 848, 1034. Ipsae finguntur grandaevae et inter *παλαιούς* deos se numerant, quibus opponuntur *οἱ νεώτεροι θεοί* (ut Iupiter, Apollo, Mi-

nerva cet.), Eum. 69, 150, 883 sq., cf. 162, 397, 734, 781, 850, 1034[5]. Habitant sub terra Eum. 115, 398, 714, 1008 in Tartaro Eum. 72[6].

Species earum et habitus in hunc modum ab Aeschylo describitur. Mulieribus, Eum. 47, neque tamen deabus nec mortalibus feminis, Eum. 414 sq., sed ex parte Gorgonibus ex parte Harpyiis similes sunt, Eum. 48 sq., Ch. 1046. *Ἄπτεροι* sunt, Eum. 51, 250; facile tamen super terras et maria volant, Eum. 250. Pro crinibus serpentes eis sunt, Ch. 1047, quam ob rem *δεινὴ δράκαινα* Furia dicitur Eum. 128. Ex oculis stillant foedum sanguinem, Ch. 1056 (*αἷμα δυςφιλές*), Eum. 54 (*δυςφιλῆ λίβα*). Efflant *αἱματηρὸν πνεῦμα, νηδύος πῦρ,* Eum. 137 sq., cf. Eum. 53[7]. *Φοβερά* eorum *πρόσωπα* dicuntur Eum. 991. Vestitus earum niger, Ch. 1047, Eum. 52, 372, cf. Eum. 353[8], et tam foedus est, Eum. 52, qualem neque ad deorum simulacra neque in hominum domibus gerere deceat, Eum. 55 sq. *Μελάναιγις Ἐρινύς* dicitur Sept. 686. Talem fere re vera chori, qui in scenam prodibat in Eumenidibus, vestitum atque ornatum fuisse putandum est.[9] Foedam earum speciem vituperat Apollo Eum. 192 sq. *Κατάπτυστοι κόραι* ab eo dicuntur '*αἷς οὐ μίγνυται θεῶν τις οὐδ' ἄνθρωπος οὐδὲ θήρ ποτε*' Eum. 68 sq., *παντομισῆ κνώδαλα* Eum. 647.

Numerum Furiarum certum Aeschylus accepisse non videtur. Dicunt '*πολλαὶ μέν ἐσμεν*' Eum. 588; augeri earum numerum Orestes cernit Ch. 1055. Neque vero quisquam quindecim eas ab illo putatas esse inde concludat, quod quindecim apud eum chori personae erant[10]. Valde autem memorabile est, quod vix rarius ab Aeschylo singularis *Ἐρινύς* usurpatus est quam pluralis *Ἐρινύες* notione haud ita differente[11].

§ 63. Iam ad vim, naturam, mores Furiarum Aeschylearum venio. Qua in re hoc maxime tenendum est, aperte in 'Eumenidibus' commutationem quandam Furiarum, quae mitigantur et fiunt *Εὐμενίδες,* cum antea fuerint inexorabiles, ab Aeschylo proponi[12]. Alias ex parte in Eumenidum priore parte se praebent, alias in eiusdem dramatis fine. Hac re multae quae videntur discrepantiae tolluntur.

Tuentur Furiae ius et probitatem acerrimeque ulciscuntur iniuriam. Sic a Iove *ξενίῳ* mittitur *Ἐρινύς* Priamidis, quae

tristes eis nuptias paret, Ag. 746 sq. Cf. Ag. 55 sq., ubi de eadem re dicitur: ἤ τις Ἀπόλλων ἢ Πὰν ἢ Ζεὺς πέμπει ὑστερόποινον Ἐρινύν[13]. 'Ἐρινύος κλητήρ (provocator)' Tydeus dicitur ut homo sceleratissimus Sept. 561. Orestes ab eis exagitatur, quia matrem occidit, Ch. 1046 sq. et per totam fab. Eum. Sed etiam, si illam caedem non perpetraverit, Furiarum impetus Oresti Apollo minatur Ch. 282, quia etiam ultionem patris neglegere impietatis est. Etiam Aegisthus ultione peracta 'in Furiarum reti Agamemnonem illaqueatum esse' iactat Ag. 1580. Iustitiam sibi propriam quodammodo vindicant Furiae Eum. 514. Hominem qui immerito secunda utitur fortuna, Furiae postero tempore mutatis rebus in miserias et calamitates detrudunt, Ag. 468 sq. 'Εὐθυδίκαιοι οἰόμεθ' εἶναι' pronuntiant ipsae Eum. 312. Et atrocissimum quodque scelus persequi debent Eum. 186 sq., cf. 322 sq. Cui cruentae sint manus, ut Orestae, ei sese πράκτορας αἵματος τελέως apparere, 317 sq.; sed cui purae manus sint, in eum iram suam non cadere incolumemque illum vitam degere, 313 sq. Similiter dicitur: 'Furia non intrat domum eorum, quorum sacrificia dei accipiant', Sept. 686 sq. Vocantur Furiae φιλότιμοι Eum. 1033, σεμναί 386, 1042, εὐμήχανοί τε καὶ τέλειοι κακῶν 384 sq., μνήμονες 386, Prom. 532. Dicitur πότνια Ἐρινύς Eum. 952, Sept. 871, βυσσόφρων Ch. 648. Seniorem ipsa Furiam esse atque ideo multo sapientiorem Minerva praedicat Eum. 850 sq.

§ 64. Munera haec iam, cum nascerentur, mandata sibi esse, Furiae gloriantur, Eum. 348, cf. 392 sq. (397 γέρας παλαιόν), 208. In 'Eumenidibus', praecipue in celeberrimo illo iudicio Areopagi a Minerva instituto, ipsae angustius id suum munus circumscribunt. 'Non esse sibi exagitandos nisi qui ὁμαίμους occiderint' Eum. 608, 210 sq., 356 sq.; cf. 424 (ubi βροτοκτονοῦντας tantummodo dicunt). Quare sibi exagitandam non fuisse Clytaemestram quae maritum necaverit, Eum. 607 sq., 211 sq.[14] Homines qui iniuriam passi sunt (sive eorum manes) ipsi Furias excitant ita, ut re vera nihil videantur eae esse nisi ἀραί specie dearum indutae[15]. Sic Oedipodis Ἐρινύς memoratur Sept. 70, 710 (πατρὸς εὐκταία Ἐρινύς), 870 cf. 776. Similiter etiam Iphigeniae Furiam vocat Clytaemestra Ag. 1434. Ipsis autem oculis nostris, ut ita dicam, subicitur, quemadmodum

Clytaemestrae umbra, ut Orestem persequantur, Furias excitet Eum. 94 sq. *Μάρτυρας ὀρθὰς τοῖς θανοῦσι* sese exsistere Furiae dicunt Eum. 319, cf. Ch. 402. Quin etiam ipsum nomen '*Ἀραί*' ab Aeschylo eis datum est Eum. 420[16].

Sic etiam domibus quibusdam insident, idem fere significantes atque *ἄτη*[17]. Nam maiorum delicta prognatos quodammodo Furiis tradunt Eum. 935. Ut Atridarum domo[18] *συγγόνων Ἐρινύων κῶμος, δύσπεμπτος ἔξω,* nunquam excedit Ag. 1185 sq., cf. 1105 sq. Nam 'lex est, ut caede perpetrata guttae humum profusae alium sanguinem exposcant, et *ἄτην ἑτέραν ἐπάγει ἐπ' ἄτῃ Ἐρινύς*'[19] Ch. 399 sq. Sic haec Atridarum Furia (*οὐχ ὑπεσπανισμένη*) meri sanguinis tertium potum bibit caedis Aegisthi et Clytaemestrae, Ch. 575 sq. Cf. 645 sq. — Et Oedipodarum domum Furiae perdunt, Sept. 707 sq., 1047.

§ 65. Formidolose eos vexant Furiae, quorum ipsae exsequuntur persecutionem[20]. Orestis exemplo tamquam oculis nostris Aeschylus hoc proposuit. Vide § 112. Caede vix peracta Furiae apparent homicidae, Ch. 1046 (cf. Eum. 374 sq.), neque alius quisquam praeter eum eas cernere potest, Ch. 1059[21]. Fugientem illum per totam terram (trans maria et per omnes terrae regiones, Eum. 77, 249 sq.) exagitant, Ch. 1048, 1060, Eum. 75 sq., 339, 424, ut venatici canes feram bestiam, Eum. 131 sq., 244 sq., 327. Unde ipsae *ἔγκοτοι κύνες* dicuntur Ch. 923, 1052. Horribili eum vexant hymno Eum. 306 (*δεσμίῳ*), 329 sq. vesanumque reddunt, 330 sq., cf. 379 et Ch. 1024. Quare cantus (sive nuntius) tristis et ad calamitatem spectans dicitur *δυσκέλαδος ὕμνος Ἐρινύος* Sept. 853, *θρῆνος Ἐρινύος* Ag. 981, *παιὰν Ἐρινύων* Ag. 650. Vivum eum macerant, Eum. 267, 305, sanguinem e membris sugentes 265, 302, tum ad inferos eum depellunt, 267, 339, neque ibi eum dimittunt, 341, sed Plutoni, mortuorum iudici, damnandum tradunt, 267 sq. Cf. Eum. 426, ubi finem persequendi se facturas esse dicunt *ὅπου τὸ χαίρειν μηδαμοῦ νομίζεται.* Atque aegre placabiles Furiae sunt, Eum. 387, 929. Quomodo autem in Orestis causa, quamquam aegerrime, contingat Minervae eas placare, in Eumenidibus (400 sq.) nobis propositum est.

Dicuntur igitur Furiae *βαρεῖα ὁμιλία χθονός* Eum. 714, *μεγάλαυχοι φθερσιγενεῖς κῆρες Ἐρινύες* Sept. 1047, *αἰανῆ* (sc.

Νυκτὸς τέκνα) Eum. 419, *κελαιναί* Ag. 468, *μέλαινα Ἐρινύς* Sept. 964[22], *οὐ θεοῖς ὁμοία* Sept. 708 (cf. Eum. 389), *καμψίπους* Sept. 776, *δύσεδρος καὶ δυσόμιλος* Ag. 745. Solum eorum munus est *τεύχειν κακά*, Eum. 125, cf. 71. Neque ulla terra eas nutrit, quin calamitate et aerumnis afficiatur, Eum. 58 sq. Sic Prometheus ad rupem alligatus gravissimosque patiens dolores exclamat: 'castrum hoc Furiarum incolo', frg. 193 (v. 9).[23]

Quare mutatione illa, de qua supra dixi, nondum facta, non solum hominibus sed etiam deis Olympiis invisas eas esse dicit Apollo Eum. 73, cf. 179 sq.[24] Qui eas appellat *μάργους καταπτύστους κόρας* Eum. 67 sq. (quae *κακῶν ἕκατι* natae sint, 71), *παντομισῆ κνώδαλα, στύγη θεῶν* Eum. 647. Ipsae munera sua dicunt *ἄτιμα, ἀτίετα, θεῶν διχοστατοῦντα* Eum. 388 sq. (cf. Sept. 708). Minerva ne agnovit quidem illas, Eum. 411 sq.; solam earum famam se accepisse fatetur 421. Neque enim deorum quisquam una cum eis epulatur, Eum. 351.

§ 66. Nonnunquam autem Aeschylus praedicat, quanta sit Furiarum potentia. Una cum Parcis *ἀνάγκην* regunt, cui etiam Iupiter ipse obnoxius est, Prom. 532[25]. Dicitur *Ἐρινὺς μεγασθενής* Sept. 70. *Μεγάλας* eas dicit Minerva Eum. 929 (cf. 1033) laudatque earum potentiam 931 sq. et 950 sq. (*μέγα δύναται πότνι' Ἐρινὺς παρά τ' ἀθανάτοις τοῖς θ' ὑπὸ γαῖαν κτλ.*).

Sed a deis manus eis abstinendae sunt Eum. 350. Admodum etiam memorabile est, quod hominum iudicium a Minerva propositum satis facile accipiunt, Eum. 438, denique quod dormientes eas facit Aeschylus Eum. 47 sq., 95 sq.

In Eumenidum fine, commutatione illa facta, easdem Furias Aeschylus nobis proponit placatas ac mitigatas, quin etiam benevolas (*Εὐμενίδας*).[26] Atheniensibus bona ac salutem et precantur, Eum. 923 sq., et ipsas se praestituras esse promittunt 939 sq. (nam hoc quoque possunt, cf. 955), 957 sq., 977 sq., 997 sq., 1015 sq. Inde *εὔφρων ὁμιλία χθονός* a Minerva, Eum. 1031, et *ἵλαοι καὶ εὐθύφρονες γᾷ* ab Atheniensibus dicuntur, Eum. 1041. In quorum urbe Minerva suadente sedem accipiunt Eum. 807, 836 sq., 854 sq., 888, 893 sq. Ac *προπομποί* faces portantes, Eum. 1023, 1042, in novum fanum eas deducunt sub terram, 1008[27], 1024, 1037; 1033 sq.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 48 sq.; K. O. Müller., ed. Eum. p. 165 sq. (praec. p. 181 sq.); Schoemann., ed. Eum. praef. p. 18 sq., praec. p. 57 sq.

2) Quare non facile est ab omni parte satis dilucide perspicere et explicare quae de his deabus Aeschylus sibi finxerit. Non convenit huius propositi mei spatio hanc quaestionem tam accurate persequi, ut optandum est. Hic mihi acquiescendum est in congerendis brevique diiudicandis eis quaecunque de Furiis apud Aeschylum inveniuntur.

3) Vide Dindorfii lex. Aeschyl. s. v.

4) Quamquam etiam in ipsa fabula uno certe loco hoc nomen et, quam ob causam id eis inditum sit, commemoratum fuisse, qui locus casu exciderit, Hermanno assentior. Vide § 113 adn. 3.

5) *Παῖδες ἄπαιδες* hic puellae 'grandaevae' explicandum esse Hermanno cet. assentior.

6) Cf. § 66 cum adn. 27.

7) Quae de veneno quod evomant Furiae dicuntur Eum. 733, 785, 815 (*ἰὸν καρδίας σταλαγμόν*), allegorice tantummodo accipienda esse mihi videntur.

8) 'Atrae' etiam Ag. 468 et Sept. 964 eae dicuntur, sed istis locis hoc ad mores potius referendum esse puto.

9) Nota est fabulosa illa narratio, quae exstat in vita Aeschyli, de ingenti terrore spectatoribus specie illius chori iniecto. Cf. Herm. opp. II, p. 128, 134 sq.

10) Hunc huius chori numerum fuisse Hermannus (opp. II, p 125 sq. et 139 sq.) mihi probavit. (Blomfieldo de trium personarum choro cogitanti, quem ibi refellit Hermannus, hodie nemo assentiatur.)

11) Similiter *Μοῖρα* et *Μοῖραι*. Vide § 34. — Hanc unam fortasse differentiam quispiam putet, quod eis locis, ubi paene appellative 'ultio' significata est, saepius usurpatus est singularis.

12) De hac re satis frequenter viri docti disseruerunt, ut K. O. Müller. l. l. (praec. p. 176 sq.): Schoemann. l. l. p. 38 sq.; Preller., Myth. Gr.[3] I p. 652; Caesar, Z. f. d. A. 1845 p. 331 sq.; Campbell, Journ. of hell. stud. VI p. 157 cet.

13) Cum his Agamemnonis locis conferre liceat, quomodo in Eumenidibus et Apollo tractet Furias et illae se gerant non solum in Apollinem (per totam fabulam) sed etiam in Iovem Eum. 722. Quid igitur censeamus? Aeschylum per anachronismum quemdam, ut ita dicam, in 'Agamemnone' iam commutatas Furias accepisse an illic singularem *Ἐρινύν* simpliciter appellative pro 'ultione, poena' intellegendum esse? Hoc mihi quidem probabilius videtur.

14) Neque omnes, quos puniri a Furiis sive a Furia legimus, ab ipsis exagitantur. Quare hoc angustius earum munus tale ab Aeschylo putatum videtur, ut *ὁμαίμων* occisores solos ipsae exagitent puniant etiam alios.

15) Cf. Klausen. l. l. p. 49.

16) Locis autem laudatis Sept. 70 simul Ἀρά et Ἐρινύς invocantur, Sept. 710, 776, 870 Furia effectrix exsecrationum est. Cf. adn. 19.

17) Cf. Ch. 381 sq. Vide § 70.

18) Cf. § 118.

19) Eadem igitur fere intercedit ratio inter ἄτην et Furiam quae inter ἀράς et Furias. Vide paulo supra adn. 16.

20) Cf. adn. 14.

21) In 'Eumenidibus' tamen non solum deos sed etiam homines, et Areopagitas et προπομπούς, eas cernere aperte intellegendum est. Quod dramatica ratione satis explicatur.

22) Cf. adn. 8.

23) Sic Cicero Aeschyli verba nobis perdita vertit.

24) Ipse mittit Furiam Apollo Ag. 55. Sed cf. adn. 13. Praeterea cf. supra de deis iunioribus oppositis Furiis § 62.

25) Cf. § 34 et § 1 adn. 6 et § 3 adn. 14.

26) Cf. § 113.

27) Cf. Schützii adn. ad h. v.

47. Θάνατος[1].

§ 67. Θανάτῳ deo partes fuisse in Aeschyli 'Caribus' et 'Sisypho δραπέτῃ' veri simillimum est. Vide § 117 adn. 1 et § 179.

Solus deorum Θάνατος dona non desiderat nec quidquam sacrificiis movetur, neque ei ara est, neque hymni cauuntur. Ab eo solo Suadelae recedendum est, frg. 156.

Duobus autem aliis locis appellativa potius vox mortis quam deus significari videtur. Invocat Philoctetes: ὦ θάνατε παιάν[2] μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν· | μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν | ἰατρός κτλ., frg. 244. Sic autem nos quoque de morte dicere possumus. Atque etiam magis in frg. 301 hoc cadit, ubi mortem maximum esse malorum munimentum legimus.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 60.

2) Cf. § 72.

48. Νύξ[1].

§ 68. Nox Furiarum mater est, Eum. 322, 419, 748, 795, 848, 1034. Μέλαινα est Eum. 748. Allegorice autem potius quam de dea Nocte dicta videntur esse haec: 'exoptanti tibi, o Prometheu, veniet ἡ ποικιλείμων νύξ' Prom. 24; 'currus noctis caliginosus festinat' Ch. 656; denique etiam Ag. vv. 367 sq.,

ubi invocatur simul cum Iove nox *μεγάλων κόσμων κτεάτειρα*, quae Troiae turribus rete iniecerit.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 30.

49. *Ἔρις*.

§ 69. Eris dea semel tantummodo apud Aeschylum invenitur Sept. 1042, ubi paene allegorice dicitur: *Ἔρις περαίνει μῦθον ὑστάτη θεῶν*.

50. *Ἄτη* (*ἀλάστωρ, δαίμων*).[1]

§ 70. Saepissime memorat Aeschylus funestam illam vim quam Graeci dicebant *ἄτην*. Vix tamen pro vera dea poetam habuisse eam inde mea sententia apparet, quod eandem vim aliis nominibus explicare conatur. Non solum *γένους δαίμων, ἀλάστωρ*[2] sed etiam Furiae[3] alicubi idem significant atque *ἄτη*. Est enim piaculum sceleris, quo nova perpetuo scelera progignuntur. Sic perdit haec funesta vis totas gentes, ut Atridarum (vide § 118) et Oedipodarum (vide § 133).

Clytaemestra simul invocat Iphigeniae filiae suae *Δίκην, Ἐρινὺν, Ἄτην* Ag. 1434. Tamquam dea *Ἄτη* etiam his locis tractatur: *ἕστακε δ' Ἄτας τροπαῖον ἐν πύλαις* Sept. 938 et *Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων | ὑστερόποινον Ἄταν* Ch. 381 sq.[4]

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 56.

2) Vide Sept. 938 et 940. Cf. § 118 et § 133.

3) Vide § 64.

4) Cf. Ag. 58 sq. — Pluribus locis deam *Ἄτην* significari Dindorfius censet (lex. Aesch. s. v.).

51. *Αἰσχύνη*.

§ 71. De Melanippo ut homine pio dicitur: '*τὸν Αἰσχύνης θρόνον τιμᾷ*' Sept. 396.

52. *Λύσσα*[1].

Λύσσαν, deae specie indutam, in ipsam scenam ab Aeschylo introductam esse, incitantem ac furore implentem Bacchas, traditur frg. 165[1].

Adnot. 1) Cf. § 50.

53. *Ἀμφίδρομος*[1].

Novum ab Aeschylo fictum esse daemonem *Ἀμφίδρομον*, cuius munus *περὶ τὰ ἀμφιδρόμια* versaretur, accepimus frg. 221[1].

Adnot. 1) Cf. § 49 cum adn. 2.

54. *Κότυς*.

Cotys Thracum dea in 'Edonis' commemorabatur, frg. 55. Cf. § 50 cum adn. 4.

55. Appendix ad deorum conspectum.

§ 72. Deos nonnullos in hunc conspectum non recepi, quia alius eis aptior mihi videbatur locus. Sic Caelus, Typhoeus, Titanes, Prometheus in 'fabulis cosmogonicis' § 73 sq., Hercules in 'fabulis heroicis' § 159 tractati sunt.

Paean non deus est apud Aeschylum, cognomen tantummodo et Apollinis (vide § 13 cum adn. 7) et Mortis (vide § 67). Similiter vox *Κῆρες* apud Aeschylum nihil est nisi Furiarum cognomen (vide § 65).

Quid in universum de rebus divinis Aeschylus sibi finxerit sive 'theologumena' Aeschylea hic mihi non tractanda sunt. Disseruerunt de his: Klausen, theologumena Aeschylea, 1829; Naegelsbach, de religionibus Oresteam Aeschyli continentibus; Haym, de rerum divinarum apud Aeschylum condicione; Stacke, Andeutungen zu einer Aeschylischen Theologie, Iahns Archiv 1851 (Jbb. Supp. 17), p. 403 sq.; Dronke, die religiösen u. sittlichen Vorstellungen des Aeschylus und Sophokles, Jbb. f. Phil. IV Suppl. (1861) p. 1 sq.; Kitt, quae et quanta sit inter Aeschylum et Herodotum et consilii operum et religionis similitudo, diss. Vratisl. 1869 p. 23 sq.; Herwig, das ethisch-religiöse Fundament der aeschyleischen Tragödie, Progr. Constant. 1878. Cf. Günther, Grundzüge der trag. Kunst, p. 98 sq. Inspicere mihi non licuit Haupt, ein Beitrag z. Theologie des Aeschylus, Progr. Büdingen 1855.

Caput II.

Fabulae cosmogonicae.

1. Οὐρανός[1].

§ 73. Caeli et Terrae liberi sunt Titanes, Prom. 221, frg. 193, cf. Prom. 175. Quorum nomina vide § 74. Prorsus allegorice Caeli et Terrae coniugium, quod quodammodo perpetuum sit, Aeschylus depingit frg. 41[2]. Ad deorum regnum antiquissimum, quod Caelo erat, donec a Saturno ei ereptum est, spectat, quod dicit Aeschylus 'iam duos ante Iovem deorum reges fuisse' Prom. 989, Ag. 178 sq.[3], ubi (v. 179) *παμμάχῳ θράσει βρύων Οὐρανός* dicitur[4].

Adnot. 1) De Terra fusius iam dixi § 46 sq. Hic sola cosmogonica quae ad eam pertinent mihi tractanda sunt. — De Caelo cf. Klausen., theol. p. 30.

2) Vide § 47. — Non dixerim cum Klausenio l. l. 'hinc patere non virum et mulierem coeuntes Aeschylum sibi cogitasse sed ipsum coelum ipsamque terram'. Sic potius mea sententia res se habet: Aeschylus et hos et alios deos tum veros deos (hominum forma indutos) describit tum allegorice vel etiam quodammodo appellative res ipsas quae eorum propriae sunt pro deis habet. Ut videmus in Marte (vide § 17), Venere (vide § 18), Iustitia (vide § 22) cet., apertissime in Oceano Prom. 316 (cf. § 37). Et Titanum patrem et deorum regem *Οὐρανόν* sine dubio Aeschylus verum deum (i. e. viri humani specie indutum) cogitavit.

3) Sine dubio errat scholiastes hoc ad Typhoeum referens.

4) Cf. Hermann. adn. ad h. v. (158).

2. Τιτᾶνες (Κρόνος cet.)[1].

§ 74. Titanes Caeli et Terrae liberi sunt, Prom. 221, frg. 193, cf. Prom. 175. *Πελώρια*[1a] dicuntur ab Aeschylo Prom. 160. In Olympo[2] regnabant ante Iovis imperium, Prom. 156 sq. Pugna

autem illa quae Titanomachia dicitur (de qua vide § 75) a Iove victi, in Tartarum deiecti in custodia tenentur Prom. 235, cf. Eum. 644, Prom. 160[3]. Postero autem tempore e vinculis soluti ipsi in scenam procedunt, chori partes agentes[4], in 'Prometheo Soluto', frg. 191, 193. Veniunt ad rupem Caucasi Prometheum illic pendentem, cuius consanguinei sunt, frg. 193, visuri et, ut videtur, monituri, ut Iovi se subiciat eiusque in gratiam redeat, aeque atque ipsi redierint. Vide § 84.[5]

De singulis iam dixi: de Oceano et Tethye § 37, de Atlante § 42, de Themide § 21, de Rhea § 48.

Phoebe Terrae filia, *Τιτανίς,* oraculum Delphicum a Themide sorore receptum dat *γενέθλιον δόσιν* Apollini, cui hinc cognomen Phoebo datum est, Eum. 4 sq.[6]

Restat *Κρόνος*. Qui pater est Iovis, Prom. 201, 600, 942, Eum. 644, frg. 193 (v. 5), Panis frg. 29[7], *παλαιγενής* Prom. 236, *πρεσβύτης* Eum. 644. Imperio spoliat Uranum, Ag. 178 sq. Ipsius *θρόνοι δηναιοί* dicuntur Prom. 944. De regno ipsi a Iove filio erepto cet. vide § 75. De soluto eo cf. adn. 5. — Condidisse eum *Ἱερὰν πόλιν,* Siciliae urbem, quae olim inde *Κρονία* dicta sit, traditur frg. 10[8].

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 31 sq.

1a) De hoc epitheto cf. M. Mayer., die Giganten und Titanen in der antiken Sage und Kunst (1887), p. 132 et 144 sq.

2) Recte observasse mihi videtur Schoemannus (opp. II, 342) hoc versu ostendi etiam antiquos deos, i. e. Titanes, regnasse in Olympo.

3) Atlas aliter punitur. Vide § 42.

4) Duodecim eos etiam Aeschylum accepisse cum per se probabile ne dicam necessarium sit, hac re valde confirmatur (cf. Welcker., tril. p. 39; Wecklein., Prom. ed. p. 121 adn. I), quamquam alias cavendum est, ne soli chori numero nimium tribuamus, ut de Furiarum (§ 62) et Gorgonum (§ 40 adn. 6) et Danaidum (§ 166 adn. 4) numero disserens exposui. Minime probabile mihi videtur, quod censet Hermannus (opp. IV, p. 265) videri fuisse eos quindecim, quod usus postulet, omnesque mares. Chorum duodecim personarum certe minime alienum esse ab Aeschylo vita Sophoclis et Suidas (s. v. Sophocl.) testantur. Cf. K. O. Müller., Gr. Lit.[4] I p. 502.

5) Magnam ibi terrae partem peragraverunt, frg. 191, 192. Quare eandem Aeschylum secutum esse fabulam, quae apud Pind. Ol. II, 77 sq. exstat 'habitasse Saturnum e Tartaro liberatum in beatorum insulis' veri simillimum est.

6) Cf. Mayer. l. l. p. 54.
7) Hic de uno tantum Pane cogitandum est. Cf. § 53.
8) Cf. Mayer. l. l. p. 51.

3. Titanomachia[1].

§ 75. De Titanomachia quae dicitur haec apud Aeschylum exstant. Seditio (στάσις) inter deos (iratos) oritur, aliis Saturni imperium evertere volentibus, ut Iupiter regnet, aliis id defendentibus, Prom. 215 sq. Titanes qui a Saturni partibus stant, vi et robore se victuros esse sperantes, Promethei consilia mitiora aspernantur, 220 sq. Huic autem Themis mater, futuri gnara, vaticinata est victuros esse eos qui dolo superiores futuri sint, 225 sq. Quare Prometheus una cum matre ad Iovem transfugit, 232 sq. Superantur Titanes, 235 sq., 944, cf. 989, Ag. 178 sq., Eum. 644, atrocissimaque in filium exsecratur Saturnus de imperio detrusus, Prom. 942 sq. Suo autem consilio usum Iovem in Tartarum adversarios deiecisse ibique in custodia tenere, gloriatur Prometheus 235 sq., 321, cf. Eum. 644[2]. Victoriam eaque deorum regnum adeptus Iupiter sociis suis potestates et honores distribuit Prom. 245 sq.[3] De Titanibus postero tempore e vinculis solutis vide supra § 74 adn. 5 et § 84.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 31 sq.

2) Memorabile est, nonnullos ut Oceanum, quem Titanem habitum esse ab Aeschylo inde apparet, quod Promethei cognatus dicitur, poena liberos esse. Quos, ut videtur, sua sponte se subiecisse Iovi Aeschylus putabat. Cf. Schoemann. in ed. Prom. p. 39. — Aliter ac ceteri Atlas punitur. Vide § 42.

3) Cf. § 1.

4. *Τυφῶν*.

§ 76. *Τυφῶν* (Prom. 370, Sept. 480, 498) sive *Τυφώς* (Prom. 386, Supp. 569, Sept. 504) *γηγενής* Prom. 367, *χθόνιος δαίμων* Sept. 509, in Ciliciae antris habitabat, Prom. 367. Est centiceps 369, *δάιον τέρας* 368, *θοῦρος* 370. Oculis eius *γοργωπὸν σέλας* inest, 372. Horrendis autem faucibus ignem efflat atrumque fumum, Sept. 480, 498, Prom. 371. Quare etiam Supp. 569 quin *Τυφῶ μένος* significet calidos ventos Aegyptum perflantes, non dubito[1]. Eius imaginem et diis et hominibus invisam esse dicitur Sept. 510.

Ampliora de rebellione a Typhoeo contra Iovem facta apud Aeschylum exstant. Seditionem movet contra omnes deos Prom. 370, Iovisque imperium vi evertere conatur 373. Is autem reprimit eius ὑψήγορα κομπάσματα 376, percutiens eum fulmine 374. Quo in ipsa praecordia ictus, 377, flammis exuritur Typhon viresque perdit 378. Praeterea autem Aetnam montem ei supericit Iupiter. Cuius sub radicibus coercitum inutile iacet eius corpus 379 sq. Sed quamvis Iovis fulmine combustum quondam iram eum igneosque fluvios efflaturum esse, quibus destruantur Siciliae arva, Prometheus vaticinatur 383 sq.[2] — Iovem et Typhoeum esse θεοὺς πολεμίους, illum autem μάχῃ καρτερώτερον quam hunc, commemoratur etiam Sept. 497, 504, 508.

Adnot. 1) Recte sic Schützius et Oberdickius mihi videntur explicare neque aquam Nili ipsam sic nominari, ut Hermannus scholiastae assentitur, mihi persuadere possum.

2) Cogitasse Aeschylum de Aetnae eruptione aliqua, quae ipsius temporibus fuit, manifestum est.

5. Gigantes, Gigantomachia.

§ 77. Cum de Minerva dicit εἴτε Φλεγραίαν πλάκα θρασὺς ταγοῦχος ὡς ἀνὴρ ἐπισκοπεῖ Eum. 295, aperte meminit Aeschylus pugnae illius celeberrimae qua gigantes a diis Olympiis superati sunt, in qua praeter ceteros excelluit Minerva.[1] Magno corpore insignes gigantes ab Aeschylo putari, ex Sept. v. 411 elucet (cf. adn. 1). — Praeterea vide, quae de voce πελώρια Prom. 160 scite observat Mayerus, die Giganten und Titanen, p. 132.

Adnot. 1) Etiam ipsa vox γίγας bis occurrit apud Aeschylum. Alter locus est Ag. 696 ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ (sc. Helena navigavit). Neque deest qui hoc loco Zephyrum personam intellegendum esse eumque inter Gigantes ab Aeschylo numerari suspicatur (Mayer, Gig. u. Tit., p. 219), cum iam Dindorfius (lex. Aesch. s. v.) 'Zephyrae terrigenae' verterit, veterum huius vocis etymologiam amplexus. Offenderunt, ut videtur, hi viri docti in substantivo, quod attributive tamquam pro adiectivo usurpatur. Neque vero talis dicendi usus a Graecorum sermone alienus est (cf. Kühner., Gr. Gramm. II, p. 232) et imprimis apud tragicos (ut apud Aeschylum ipsum etiam Pers. 615 παρθένου πηγῆς, Ag. 669 τύχη σωτήρ) saepius invenitur. Recte igitur videtur mihi interpretari Hesychii glossa (quae aperte huc pertinet)

γίγαντος· μεγάλου, ἰσχυροῦ, ὑπερφυοῦς, nec de persona Zephyro hoc loco Aeschylum cogitasse puto. Ne ullum quidem vestigium in veterum reliquiis exstat, quo doceamur Zephyrum inter Gigantes numeratum esse. Hoc vero fieri potuisse ut demonstret, Mayerus argumentis utitur altius repetitis. Quo accedit alter locus Aeschyleus Sept. 411, ubi Capaneus dicitur *γίγας ὅδ' ἄλλος τοῦ πάρος λελεγμένου μείζων κτλ.* Ne hic quidem verus Gigas (Terrae filius), sed homo tantummodo robustissimus et ferocissimus ea voce significatur (qui Giganti similis sit).

6. *Προμηθεύς.*[1]

§ 78. Nomen Promethei quomodo Aeschylus explicaverit, ex his Roboris verbis elucet: *ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα | καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως*, Prom. 85 sq.[2]

Mater eius est Themis Prom. 18, 225, 900, pater nusquam commemoratur.[3] Frater eius est Atlas Prom. 363; Titanes 'eius sanguinis socii' sunt frg. 193. Etiam Vulcanus eius *συγγενής* dicitur Prom. 14, 39. Uxorem duxit Prometheus Hesionen Prom. 579.

§ 79. Naturam et mores Promethei Aeschylus in hunc modum describit. Sine dubio deus is est, Prom. 29, 37, 92, 120 cet., qui immortalitate fruitur 779, 965, 1086. Sed summo amore hominum genus amplectitur. Quibus plurima beneficia dat maximeqne opitulatur (vide § 81), quamvis eo Iovis consiliis adversetur Prom. 248 sq., 282. Eo autem non solum Iovem ipsum[4] sed etiam plurimos deos sibi inimicos reddit Prom. 29, 37, 121, cf. 977, 1007[5].

Eximia Prometheus utitur prudentia, intellegentia, calliditate, quod iam nomine eius indicatur. Dicitur *αἰχμήτης* Prom. 18, *ποικίλος* 324, *ἀκριβῶς περισσόφρων* 344, *σοφιστής* 62, 976. Etiam Robur, adversarius eius, *δεινὸν εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρους* eum esse confitetur 59, quamquam Iovem prudentia non aequet 62. Plurimarum rerum inventor Prometheus est 463 sq. Et premitur eius sapientia 351, 485, 489.

Etiam futurarum rerum multarum Prometheus gnarus est. Novit vaticinium illud quod est de coniugio a Iove petito[6], ipsi Iovi ignotum, Prom. 790, 940 sq., 973 sq., cf. 183. Vaticinatur, quae Ioni eiusque prognatis eventura sint Prom. 729 sq., 870 sq.,

cf. 649, quique Herculi subeundi sint labores frg. 195, 196, 198. De se quoque ipso Prometheus scit fore quondam, ut liberetur Prom. 529, 897 sq., cf. 200 sq. Docuit eum haec vaticinia Themis mater Prom. 900, cf. 227. Nec tamen omnia praesagit Prometheus *τὰ μέλλοντα,* quod gloriatur Prom. 101, cf. 281. Namque ipse confitetur, non putasse se tam acerbas sibi dandas fore poenas 284.

§ 80. Maxime autem conspicua est in Promethei indole summa animi constantia vel potius ferocia ac pertinacia, quae nec precibus nec doloribus movetur. Quamvis gravibus suppliciis vexet, perdiu Iupiter eum sibi oboedientem reddere non potest (vide infra); sed maledicta et convicia in summum deorum eosque, quicunque illi obtemperant, congerere Prometheus non desinit (per totam fabulam Prom. Vinct., ut v. 240, 788, 939 sq., 950 sq., 969 sq., 985 sq., 998 sq., 1004 sq. [praec. 1017], 1019 sq., 1034 sq., cf. 93, 121 sq., 327, 334, 343 sq.) iactareque quondam ipsum sibi supplicaturum esse Iovem 180 sq., 204 sq., 796, cf. 540 sq. Quam ob rem mittat sibi quam plurimos et gravissimos cruciatus; sese ei non cessurum esse 967, 994, 1021 sq. 1034 sq., 1075 sq. Neque amicorum preces in hac re aliquid proficiunt 191 sq., 275 sq., 323 sq., 351 sq., 393 sq., 1068 sq. Ad tantam denique adducitur iniquitatem contumacia suique ipsius studio, ut, quamquam peccasse se volentem confitetur vel potius gloriatur, 282, tamen iniustissimum maximeque ingratum esse Iovem vehementer conqueratur 237 sq., 320 sq., 453 sq., 1127, cf. 88 sq. — Sed praeterlapso multo tempore (tredecim aetatibus Prom. 800[7]) nihilominus abiecta pertinacia in gratiam Iovis redit; quamquam is quoque aliquatenus cedit illique morem gerit (vide infra § 85 c. adn. 31). Tunc (in 'Prom. Solut.') iam satis fracta videtur eius ferocia dolorum diuturnitate, cum malorum finem valde desideret mortem, quae ei negata est, frg. 193 v. 23. Quamquam iam in 'Vincto' invidere se Ioni dicit, quod ei maneat mors omnium malorum remedium v. 778 sq., cum v. 965 et 1086 certum munimentum sibi esse contra Iovis poenas immortalitatem glorietur[8].

§ 81. Plurima apud Aeschylum exstant de Promethei rebus gestis. Non mediocriter se meritum esse de Iove in Titanum bello Prometheus affirmat Prom. 220 sq. Vaticinatam

sibi esse non semel Themidem matrem victuros esse eos, qui dolo superiores futuri sint, 225 sq. Quare cum Titanibus (consanguineis frg. 193) frustra suaserit, ne nimis vi confidant, 220 sq., 230, una cum matre ad Iovem se transiisse 232 sq. Atque suo usum consilio illum hostes victos in Tartarum deiecisse ibique in custodia tenere 235 sq. Sic se ipse dicit Prometheus *τὸν Διὸς φίλον, τὸν συγκαταστήσαντα τὴν τυραννίδα* 320 sq. cf. 455 sq.

Adversatur autem Iovi Prometheus in eis quae ad homines pertinent.[9] Deorum imperium adeptus Iupiter hominum genus perditurus est, ut aliud creet Prom. 248 sq. Sed vanum reddit hoc consilium Prometheus, 250 sq., hominum amore et misericordia commotus 255[10]. Hic eius *φιλάνθρωπος τρόπος* identidem premitur Prom. 11, 28, 30, 124, 558 sq. Multa praeterea beneficia, quibus homines adiuverit, singula Prometheus enumerat. Prohibuit, ne fatum diutius prospicerent homines, 264, caecas eis spes praebens 266. Deinde[11] ignem deis clam subductum, 8, 110, 978, ferula occultum (*ναρθηκοπλήρωτον*) 109, hominibus apportavit 268. Hoc ignis furtum ut eius maximum et hominum beneficium et deorum noxa semper praedicatur[12], sic etiam ab Aeschylo praeter cetera a Prometheo facta premitur. Cf. praeter locos iam allatos Prom. 38, 82, 639[13]. — Igne autem accepto plurimas inde alias artes homines didicerunt Prom. 110, 270. Fusius, quae hominibus fecerit beneficia, Prometheus narrat Prom. 458 sq. Se illos, qui antea fuerint *νήπιοι* et *ὀνειράτων ἀλίγκιοι μορφαῖσι* (464), reddidisse prudentes atque intellegentes 459 sq. Se eos, qui antea in antris habitaverint formicarum more, artem docuisse fingendorum laterum et *ξυλουργίαν* 464 sq. Deinde se primum eis monstravisse siderum observationem temporisque ratiocinationem 470 sq.[14] Se eis invenisse *ἀριθμόν* 475, *γραμμάτων συνθέσεις* 476, *μνήμην ἁπάντων μουσομήτορ᾽ ἐργάνην* 477. Se primum mansuefecisse bestias atque in hominum usum reddidisse 478 sq., frg. 194. Se invenisse naves et navigationem Prom. 483 sq. Se homines docuisse medicinam 494 sq., artem divinandi et vaticinandi 500 sq., artem metallorum 516 sq. Omnes denique artes a se hominibus esse comparatas 522. Cf. de beneficiis a Prometheo in homines collatis etiam Prom. 30, 640, 977.

§ 82. Cum autem hominibus favet, eisdem rebus in Iovem ceterosque deos improbe facit Prom. 275, 282, cf. 8, 29, 37, 112, 121, 271 sq., 977, 1007. Quamobrem (Prom. 8, 112, 271 cet.), ut oboedientem eum reddat, Iupiter alligari eum ferreis vinculis ad altam (ὑψηλόκρημνον Prom. 5, ὑπαιθρίοις δεσμοῖσι 113, σκοπέλοις ἐν ἄκροις 148, πρὸς πέτραις πεδαρσίοις 285, cf. 167) rupem iubet Prom. 3 sq., 646, cf. frg. 193. Quomodo hoc Iovis mandatum exsequatur Vulcanus cum Robore et Vi, qui eum adduxerunt, 12, Aeschylus in Promethei Vincti prologo nobis proponit v. 1 sq. Invitus id facit Vulcanus nec tamen obsistere audet patris imperatis (vide § 10), praesertim cum monere eum atque incitare non desinat Robur daemon immanis v. 3 sq., 36 sq. Tandem ferrea (v. 6) vincula (ψέλια 54) manibus (56) et bracchiis (60) Promethei circumiecta malleo ad saxum affigit 54 sq. Deinde ferreum cuneum per ipsum eius pectus transfigit 64 sq. Et tum etiam circa latera (71), crura (74), pedes (76) eius similia vincula cudit 71 sq. De toto hoc Vulcani opere cf. etiam frg. 193 v. 2 sq. — Quo autem terrarum loco hanc rupem fuisse putaverit, non satis dilucide ostendit Aeschylus. In Scythia eam esse ad terrae terminum (prope Oceanum 136 sq.) in inaccessa solitudine Prom. 1 sq. legitur. Cf. 433, 118. In 'Soluto' rupis locum in Caucaso esse non ambigue dicitur frg. 193 v. 28, cf. frg. 196. Quocum aliquantum discrepat, quod in 'Vincto' ita de Caucaso dicitur, ut vicinum, v. 438, tamen aliquantum a Promethei rupe remotum, v. 745, a poeta eum putari censendum videatur.[15] — Ad rupem alligatus pendet Prometheus ὀρθοστάδην, ἄυπνος, οὐ κάμπτων γόνυ 32.

§ 83. Versatur 'Promethei Vincti' argumentum in eis quae modo vincto ei accidunt. Paulo postquam Vulcanus Iovisque ministri discesserunt, 81 sq., adveniunt Oceanides, quae chori partes agunt, 130, quae mallei pulsus audiverunt, 136. Commiserantur et deplorant Promethei sortem 150 sq., 258 sq., 413 sq., 556 sq. atque eum consolantur 524 sq. Vehementer ei querenti de Iovis crudelitate ingratoque animo 146 sq., 161 sq., 255 sq., 320 sq. aliqua ex parte assentiuntur 156 sq., 172 sq.[16], sed tum audacius loquentem eum Iovique maledicentem 180 sq., 202 sq. monent, ne duriores sibi poenas contrahat 190 sq., 263, 275 sq.

Haud multo post etiam Oceanus pater earum eodem venit 300 sq., ut quantum possit auxilium ferat Prometheo amico 304 sq. Is idem eum hortatur, ne audacioribus verbis perpetuaque pertinacia irritet Iovis regis recentis ideoque severi[17] animum iratum 323 sq., 351 sq., 393 sq. Praeterea autem ei offert se ipsum Iovem aditurum et pro eo deprecaturum esse 341 sq., 354 sq., apud quem sibi tantum auctoritatis esse confidit 354. Sed pertinaciter omnia ea repudiat Prometheus. Caveat Oceanus ne sibi quoque inimicum reddat Iovem. Inexorabilem enim eum esse 346 sq., 356 sq., 395 sq.[17] Infecta re discedit Oceanus 409 sq. Aliquanto autem post subito pervenit ad rupem illam Io, quae tunc totum fere orbem terrarum pererrat Iunonis oestro exagitata 581. Cui petenti Prometheus vaticinatur, quae etiam postea passura sit 733 sq., inter ea hoc quoque, exstiturum esse quondam ex illius prognatis suum liberatorem 798. Discedit Io 903 sq. Promethei autem animus visa virgine illa similiter ipsi patiente Iovique item infensa, 785, adeo commotus est, ut audacius et ferocius quam antea Iovi maledicat 939 sq. Praeter cetera iactat interitum illi imminere 939 sq., quem, nisi ipsi sibi supplicaturus sit, vitare non possit 945. Quod iam antea identidem iactavit 180 sq., 204 sq., 782 sq., cf. 538 sq. Vaticinium enim sibi notum esse illi ipsi ignotum de coniugio ab illo petito; quod si initurus sit, fore ut filius nascatur ipso potentior 790 sq., 941. — Denuo frustra eum admonent Oceanides, ut desinat Iovem lacessere 960 sq. Iam audivit Iupiter maledictiones eius et iactationes mittitque Mercurium cum imperatis, ut pronuntiet sibi illud vaticinium 976 sq. Sed multo cum ludibrio id recusat Prometheus 985 sq. Neque minis, quibus Iovem suppliciis multo atrocioribus in eum animadversurum esse pronuntiat, Mercurius quidquam proficit 1072 sq. Omnia illa pati se malle quam Iovi cedere Prometheus exclamat 1072 sq. Quare in fine 'Promethei Vincti' v. 1114 sq. re vera perficiuntur quae Mercurius minatus est. Ingenti orta procella, 1115 sq., 1047, qua etiam Oceanides, quae noluerunt Prometheum deserere 1096 sq., comprehenduntur (cf. 1105 sq.), fulminibus cum tonitru micantibus, 1116 sq. cf. 1049, frangitur rupes illa 1050, 1115 et sub terram una cum saxo[18] Prometheus demergitur 1050 sq.[19]

§ 84. Hactenus res in ipsa scena nobis proponuntur. Quae sequuntur, e Mercurii minis et 'Soluti' fragmentis colligenda sunt. Ipso saxo Prometheus tegitur Prom. 1051. Multo autem tempore praeterlapso, 1052, in lucem rursus emergit 1053, ad idem etiamtum alligatus saxum frg. 193. Iovis autem aquila advolat tertio quoque die[20] pastuque dilaniat eius iecur 1053 sq., frg. 193, quod cotidie renovatur frg. 193.

His atrocioribus suppliciis vexatum in scenam eum produxit Aeschylus in 'Prom. Soluto', frg. 193, cf. 191. De cuius argumento satis multa e fragmentis cognoscuntur, alia ex eis quae in 'Vincto' praedicta sunt colligi possunt.[21]

Perficitur in hac fabula, quam quondam futuram esse ipse praedixit, Prom. V. 529, 898, cf. 541, 794 sq., Promethei solutio; schol. ad Prom. V. 527 (Dind. ante frg. 191) et frg. Philodem. Herculan. (Dind. ibid.) et titulus hoc testantur[22].

Tredecim hominum aetates transierunt, ex quo Prometheus vinctus est, Prom. V. 800. At in 'Ignifero' exstasse, τρεῖς μυριάδας vinctum eum fuisse, traditur frg. 187 (schol. Prom. V. 94)[23]. — Visitant Prometheum ad rupem adhuc pendentem, longum emensi iter, Titanes, qui chori partes agunt[24], consolaturi eum et monituri, ut videtur, ut Iovi cedat, cum ipsi iam e Tartaro soluti et cum summo deorum reconciliati appareant[25] frg. 191, 192, 193. Multa apud eos de doloribus suis queritur Prometheus, qui iam fractus videtur aerumnarum diuturnitate (mortem terminum anquirit mali) frg. 193.

§ 85. Maximas autem in 'Soluto' partes fuisse Herculi Promethei liberatori manifestum est. Cf. frg. 196, 201, 205. Liberatorem sibi exstiturum esse unum ex Ius prognatis, θρασὺν τόξοισι κλεινόν, iam scit Prometheus, cum modo vinctus est, Prom. V. 798, 897 sq. Herculem ad Caucasum venire orbem terrarum peragrantem putandum est[26] ibique Prometheum atrocia illa patientem conspicere. Longum inter eos fuisse diverbium apparet e frgmm. 194 sq. (— 204). Exposuisse videtur Prometheus Herculi, quae in homines beneficia sua sint frg. 194[27]. Deinde eum docet (similiter atque in 'Vincto' Ionem), qui ei postea perferendi sint labores quaeque deinceps terrae peragrandae frg. 195, 196, 197, 198[28]. Deinde aquilam advolantem sagitta interfici putandum est ab Hercule, qui Apollinem invocat,

ut telum suum dirigat frg. 205.[29] Paulo post quin etiam e vinculis solveretur, fieri non potuit. Namque hoc futurum esse non ambigue in 'Vincto' significatur v. 529, 541, 796 sq., cf. tit. *λυόμ.*, schol. Vinct. 527, Dind. ante frg. 191. Etiam hoc muneris Herculi obtigisse e Vincti v. 796 et sqq. colligo.[30] Atque Iovem id imperasse, postquam vaticinium illud Prometheus prodidit, censendum nobis est; Philodem. l. l., schol. ad Vinct. 538, Dind. ante frg. 191.[31] Plane igitur reconciliantur Iupiter et Prometheus.[32] Conciliatricis autem munere functam fuisse (similiter atque Oceanum in 'Vincto') Terram verisimile est.[33] Soluto Prometheo in ipsa scena signum vinculorum corona[34] videtur data esse. Certe in '*λυομένῳ*' commemorabatur, homines in Promethei honorem coronam capitibus imponere (*ἀντίποινα τοῦ ἐκείνου δεσμοῦ*) frg. 204, cf. frg. 233. Denique dubitari vix potest, quin in fine dramatis mentio facta sit Chironis, qui deus vicarius pro Prometheo in Tartarum descendit. tarum descendit. Hoc verbis Mercurii Prom. V. 1058 sq. indicatur: *τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προσδόκα, | πρὶν ἂν θεῶν τις διάδοχος τῶν σῶν πόνων | φανῇ, θελήσῃ τ' εἰς ἀναύγητον μολεῖν | Ἅιδην κνεφαῖά τ' ἀμφὶ Ταρτάρου βάθη.*[35]

§ 86. Reliquum est, ut afferam quae de cultu Promethei apud Aeschylum exstant. Cognomen eius *πυρφόρος*, quod in cultu Attico usitatum fuisse constat[36], in titulo dramatis Aeschyli invenitur, quod satyricum idemque ac '*πυρκαέα*' mea sententia fuisse versatumque fuisse in Promethei cultu Attico iam § 81 adn. 13 fusius demonstravi. Ibidem iam de argumento eius fabulae quae constent dixi.

Adnot. 1) Cf. Klausen., theol. p. 140 sq.; Welcker., tril. p. 5 sq., Gr. Götterl. II, p. 246 sq.; Schoemann., Prom. praef.; Wecklein., Prom. praef. p. 6 sq.

2) Cf. Welcker. l. l. p. 19 sq. c. adn. 19.

3) De perversa H. L. Ahrensii opinione, Promethei patrem *Αἰθέρα* ab Aeschylo putatum esse, vide § 33 adn. 2. — Neque quisquam ullum pondus addat verbis aperte mendose scriptis a prima manu codicis Medicei Prom. 147.

4) De quo paulo infra dicendum mihi est.

5) Rectissime autem mea quidem sententia observavit et demonstravit Keckius (Der theol. Charakt. des Zeus in Aeschyl. Prom., p. 3 sq.), sine ullo iure nonnullos viros doctos docere Aeschyleum Prometheum esse pro 'genere humano' ipso.

6) Vide § 8 adn. 27.

7) Cf. adn. 23.

8) De moribus Promethei Aeschylei fusius disseruerunt Klausen l. l. p. 145 sq.; Welcker, tril. p. 19 sq.; Schoemann, Prom. ed. p. 33 sq. Cf. etiam G. Günther., Grundzüge der trag. Kunst p. 85 sq.

9) Non mentio fit apud Aeschylum fraudis illius notissimae (Hesiod. th. 535 sq.), qua in sacris Meconiis Prometheus Iovem decipere conatur.

10) Keckius (der theol. Char. cet., p. 5 sq.) quaerens, quidnam fuerit quo Prometheum homines ab interitu servasse Aeschylus putaverit, ipsum ignis furtum, quia praeter cetera ab eo facta premitur, id esse censet. Putare hoc possumus, minime vero debemus. Immo repugnat ei sententiae v. 268 πρὸς τοῖςδε κτλ., neque omnem mihi tollit dubitationem Keckii huius rei explicatio 'dass der Feuerraub neben dem Hauptzweck noch die andere wohlthätige Seite hatte, die Menschen zu bilden', quamquam eam ferri posse concedo. — Premitur ignis furtum non ab Aeschylo solo, sed etiam apud plurimos alios scriptores. Cf. adn. 12.

11) Cf. adn. 10.

12) Quoniam ignis Promethei Attici proprius est, unde cognomen ei erat apud Atticos πυρφόρος.

13) Tituli dramatum Aeschyleorum nobis traditi sunt Προμηθεὺς πυρφόρος (in indice fabularum et al.) et Προμηθεὺς πυρκαεύς (Pollux IX, 156 et X, 64). Inde censuit Welckerus (tril. p. 5 sq., append. ad tril. p. 36 sq.), secutus Hemsterhusium (ad Poll. IX, 156), Promethei Igniferi tragoediae cum 'Vincto' et 'Soluto' trilogia coniunctae argumentum versatum fuisse in furto illo Lemnio. Secuti sunt Welckerum alii, ut Klausenius (l. l. p. 153 sq.), K. O. Müller. (Gr. Lit.[4] I, pag. 546), Nitzschius (Sagenp. p. 561), Preller. (Gr. Myth.[2] I p. 76), E. A. J. Ahrens. (Aesch. ed. p. 189), Vischer. (über die Prometheustrag. des Aeschyl., Bas. 1859), nuperrime G. Günther. (Grundr. der trag. Kunst, p. 30, 71), cet., denique etiam Hermannus (in diss. de Prom. Aesch. 1845, opp. VIII p. 156 sq.), quamquam ipse antea vehementissime impugnavit hanc Welckeri sententiam (opp. IV p. 253 sq.). Sed concedendum est non niti hanc coniecturam nisi uno nomine πυρφόρος. Quae de argumento et compositione illius fabulae singula Welckerus suspicatur omni certo carere fundamento nemo neget. Immo obstat huic sententiae schol. Prom. V. 94 (frg. 187), quae verba mendosa esse censere Welckerus (vide l. l. p. 31) cogitur. Cf. Wecklein., Prom. ed. praef. p. 18. Quare aliam protulit sententiam Westphal. (proll. ad Aesch., p. 207 sq.), quam suam fecerunt Wecklein. (l. l.), Robert. (ed. Prell. myth. Gr.[4] I, p. 100), Schwarz. (Progr. Salzwedel 1875 'die Darstellung des Zeus im Prom. d. Aesch.', p. 11), Hippenstiel. (de Graec. tr. pr. fab. nominibus, diss. Marp. 1887, p. 17): tertiam trilogiae fabulam fuisse Igniferum versatumque fuisse eius argumentum in Promethei cultu apud Atticos instituto nomenque illud ad λαμπαδοδρομίας in eius honorem Athenis celebra-

tas pertinere. Sed etiam huic sententiae idem schol. obstat. Repugnant inter se tres annorum myriades illic commemoratae et Prom. V. v. 800, ubi post tredecim hominum aetates eum solutum iri dicitur. (Cf. Herm., opp. IV p. 257, Ahrens. l. l. p. 188). Quamobrem Igniferum una trilogia cum Vincto et Soluto coniunctum fuisse alii negaverunt, ut (olim Hermann. l. l.) Hiller. (quem hoc docentem audivi), Bergk. (Gr. Lit. III, p. 319), Dindorf. (ad frgmm.); quamquam hic aliud affert argumentum, quod ego minus probaverim, non perspici, quomodo integrae tragoediae componendae sufficere potuerit hic cultus institutus. Censent hi viri docti id quod iam Canterus coniecit, *πυρφόρον* non esse nisi alterum nomen satyrici dramatis quod actum est una cum trilogia *Φινεὺς Πέρσαι Γλαῦκος* (argum. Pers.), cuius alterum nomen fuerit *πυρκαεύς*. Confirmatur haec sententia eo, quod unum tantummodo nomen in indice invenitur et quod numerus tam monstruosus — triginta illa milia annorum dico — aptior videtur esse fabulae satyricae. Quod Weckleinius (l. l. p. 18), secutus Westphalium (l. l. p. 208), obiecit huic sententiae 'satis demonstrari illo scholio tragoediam fuisse *πυρφόρον,* quia illic iam tamdiu vinctum eum fuisse dicatur, in satyrica autem fabula novum aliquid et ignotum ignem tractatum fuisse Plutarchus (Mor. p. 86 F., frg. 190 Dind.) doceat', nihil demonstrat nisi fragmentum illud a Plutarcho servatum videri non esse Aeschyleum. Veri simillima igitur mihi videtur esse haec Hilleri, Bergkii, Dindorfii sententia, quamvis omni eam carere dubitatione in tanta fragmentorum paucitate minime contenderim. Eadem de causa nihil certi de satyrici huius dramatis argumento constat. Ignem in ea Prometheum accendisse frg. 187 traditur. Et quoniam etiam schol. illud huc rettuli, de furto Lemnio cogitare non possum; sed ad Promethei cultum argumentum pertinuisse mihi censendum est.

14) Cf. schol. ad v. 473 et quae de Palamede dixi § 90.

15) Haec discrepantia quae videtur esse interpretes irritavit et veteres et recentes. Iam schol. (ad v. 1) adnotat: *ἰστέον ὅτι οὐ κατὰ τὸν κοινὸν λόγον ἐν Καυκάσῳ φησὶ δεδέσθαι τὸν Προμηθέα, ἀλλὰ πρὸς τοῖς Εὐρωπαίοις τέρμασιν τοῦ Ὠκεανοῦ, ὡς ἀπὸ τῶν πρὸς τὴν Ἰὼ λεγομένων ἔστι συμβαλεῖν.* Laudant hanc scholiastae adnotationem Hermannus (opp. IV p. 262 sq. inde colligens Vinctum et Solutum trilogia coniunctas non fuisse, a qua sententia postea [cf. adn. 13] recessit, cf. ed. II, p. 153), Fossius (diss.: de loco in quo Prom. apud Aesch. vinctus sit, Bonn. 1862; de quo vide paulo infra), Weckleinius (ed. Prom. p. 21), qui putat consulto Aeschylum alium in Vincto atque in Soluto locum finxisse, ut varietate delectaret spectatores. Hoc concedere viro doctissimo nequeo. Immo verum esse puto, quod Welckerus, qua est elegantia et acumine sensus, observavit (tril. p. 32 sq.) dramatica ratione censere nos cogi, eundem scenae locum in utraque tragoedia fuisse (cf. adn. 18). Quare etiam in 'Vincto' Caucasi rupem fingi existimo. Dubitationes, quae versibus illis Vincti efficiuntur, satis mea quidem sententia tollit Welckerus (l. l. adn. 37, 2—3). Cui assentiuntur alia ad-

dentes Klausen. (Rh. Mus. III p. 298 sq.), Meyer. (Aesch. Prom. V. quo in loco agi videatur, diss. Bonn. 1861, p. 23 sq.). Atque idem censent C. Fr. Müller. (die scen. Darstellung des aeschyl. Prom., Progr. Stade 1871 p. 4), Schwarz. (die Darstellung des Zeus im Prom. des Aesch., Progr. Salzwedel 1875 p. 12 et 14), M. Mayer. (die Giganten und Titanen [1887] adn. 109), G. Günther (Grundzüge der trag. Kunst p. 71). — Acerrime Welckeri sententiam impugnavit Fossius (l. l.). Nec vero convictum me esse illius argumentationibus fateor. Multo facilius crediderim, in describendis rebus geographicis, quas ne satis quidem cognovisse neque accurate perspexisse Aeschylum putandum nobis est (aliter censentem Forchhammerum suo iure vituperat Weckleinius, Philol. Rundschau 1881 p. 1212), poetam parum diligentem fuisse quam scenae locum ab eo mutatum esse, cum idem Prometheus ad eandem rupem vinctus producendus esset. Cf. § 165 adn. 5 et 20.

16) Cf. § 1 adn. 6.

17) Cf. § 1 adn. 6.

18) Nam ad idem vinctus saxum postea ad lucem rediit, frg. 193, v. 6 sq. Cf. adn. 15.

19) De Oceanidibus cf. § 38 adn. 9.

20) Sic diserte dicitur frg. 193; Prom. V. 1056 autem exstat *δαιταλεὺς 'πανήμερος'*. Non dubitandum est, quod recte Blomfieldus observavit, quin haec vox proprie significet 'per totum diem' (sc. epulans), non 'quotidianus'. Neque laudandi mihi videntur qui sic vertunt, E. A. J. Ahrensius et Papius (lex. s. v.). Minime tamen crediderim Aeschylum hoc (Vincti) loco de 'tertio die' omnino cogitasse, qualis Weckleinii explicatio (adn. ad h. v.) videtur esse. Neque enim quisquam qui haec verba legat, priusquam alterum illum 'Soluti' locum cognoverit, hoc intellegere potest, neque omnino credendum est, Aeschylum hunc mirum in modum hoc sibi finxisse, advolare aquilam tertio quidem tantummodo quoque die, illo autem a prima luce usque ad noctem in edendo perseverare. Sine dubio hoc 'epulans per totum diem' explicandum est 'conviva sempiternus'. Rectissime igitur Hermannus ad h. l. adnotat: 'aut aliter aut accuratius descripsit in Prometheo Soluto'.

21) 'Prometheum Solutum' cum 'Vincto' argumenti continuitate coniunctum fuisse omnes fere dd. vv., quantum scio, hodie consentiunt. Etiam qui acerrime olim oppugnabat hanc (Welckeri) sententiam, G. Hermannus (opp. IV p. 253), postea tamen ipse eam suam fecit (diss. de Prom. Aeschyl., Lips. 1845, opp. VIII p. 156 sq.). De 'Soluti' argumento multi disseruerunt, ut Welckerus (tril. p. 28 sq., append. p. 58 sq.), Klausenius (theol. p. 151 sq.), Hermannus (ll. ll.), Schoemannus ('Des Aesch. gefess. Prom. cet.' 1844, quem conatum ibi esse vernacula utentem lingua totam eam tragoediam restituere vel imitari notum est, et opp. III p. 95 sq., 120 sq.), Keckius (der theol. Char. d. Z. in Aesch. Prom., 1851), Caesar (Zs. f. d. A. 1845 p. 321 sq., 'Der Prom. des Aesch.' 1860), Weckleinius (Stud. zu Aesch. p. 23 sq., ed. Prom

p. 9 sq. cf. p. 121 sq.), E. A. J. Ahrens. (ed. Aesch. p. 188 sq.), cet. (ut Vischer., Köchly., Westphal., Schwarz., Kolisch.), quorum scripta congessit Wecklein., ed. Prom. p. 24. — Ac de summa quidem argumenti omnes fere consentiunt.

22) Quod dicit Vulcanus Prom. V. 27 *ὁ λωφήσων οὐ πέφυκέ πω* non ad certum spectare liberatorem (ut schol. et Dindorfius putant), sed in uuiversum dictum esse ut nostrum 'dein Retter soll erst noch geboren werden' recte Schützius, Schoemannus, Weckleinius observaverunt.

23) *Τὸν μυριετῆ χρόνον ἀθλεύσω* queritur Prometheus Prom. V. 94. Nec vero hoc repugnat cum 'tredecim aetatibus'; hyperbolice tantummodo illud dicit lamentans pro 'ingenti' tempore. Re vera autem discrepat cum tredecim illis generationibus certus numerus trium myriadum ex Ignifero sumptus. Videri hanc esse hyperbolen ad satyricum drama accommodatam, quod non coniunctum fuerit cum Vincto et Soluto, iam supra (adn. 13) exposui.

24) Cf. § 74 adn. 4.

25) Cf. § 74 cum adn. 5.

26) Cf. Apollod. 2, 5, 11.

27) Hoc fragmentum sine fabulae nomine traditum sine dubio recte huc rettulerunt viri docti. Cf. Herm. l. l. p. 271.

28) Ad Hesperides tendenti. Cf. § 159.

29) Post longum illud diverbium hanc aquilae interfectionem fuisse veri simillimum mihi videtur, quia prima pars ipsius liberationis est, quam tragoediae fini asservatam fuisse consentaneum est. Cf. Welcker., tril. p. 46.

30) Neque igitur assentiar Weckleinio (ed. Prom. p. 11) 'fortasse hoc muneris Mercurio fuisse' (cf. adn. 33) neque Kolischio (Zs. f. d. Gymn., vol. 33 [1879] p. 71), qui Vulcano id tribuit. Multo autem minus probari potest, quod Schoemannus (in imitatione sua 'Soluti' v. 795) non, ut Graecae arti consentaneum erat, re et opera, sed miraculo quodam, uno Themidis verbo, vincula Promethei solvi finxit. Cf. etiam Apollod. 2, 5, 11, Hygin. fab. 144.

31) Invito Iove Herculem id fecisse credi non potest. Si fecisset, in certamine illo vicisset Prometheus. Quod cum omnium Graecorum tum Aeschyli Iovis opinioni maxime repugnat. Cf. § 1 cum adn. 6. Neque causa fuisset Prometheo, cur secretum suum proderet. Non tollit hanc ratiocinationem Prom. V. v. 797 *τίς οὖν ὁ λύσων ἐστὶν ἄκοντος Διός*. Nam loquitur haec verba Io, cui non certum illum modum solutionis futurae in mente esse sed quam haec in universum interrogare aptissimum est, quae nihil significant nisi 'neminem te soluturum esse credo', ut recte Weckleinius (similiter etiam Schoemannus) interpretatur. — Incertum autem remanet, quomodo singula reconciliationis illius in 'Soluto' se habuerint, uter prior cedat, Iupiter an Prometheus. Summi momenti in hac quaestione esse verba

Promethei (Vinct. v. 208) *σπεύδων σπεύδοντί ποθ' ἥξει* iam Welckerus (tril. p. 28) observavit. Quibus suo iure Weckleinius (Stud. z. Aesch. p. 26 sq.) confert Hygini fab. 54 'fide data', etiamsi probari non posse Hyginum ad ipsum Aeschylum se applicasse Kolischio (Philol. 41 p. 227 sq.) concedendum est. — Pactionem autem inter eos fieri mihi quoque aptissimum videtur. Nec Iovis animum nec Promethei eosdem adhuc esse, quales in 'Vincto' describuntur, frg. 193 ostendit. Iovem esse valde mitigatum Titanes e Tartaro dimissi testantur, Promethei pertinaciam admodum iam fractam mortis eius desiderium demonstrat. Optime etiam concinit cum tali pactione, quod in 'Vincto' Prometheus iactat, Iovem interitum fugere non posse, nisi ipsum solvat 180 sq., cf. 538 sq., 945, tum confitetur, nisi Iovi placeat, sese vincula non effugiturum esse 274, 392. Nec vana tantummodo verba haec sunt. — Sunt autem re vera vanae iactationes, cum dicit: *νῦν δ' οὐδέν ἐστι τέρμα μοι προκείμενον | μόχθων, πρὶν ἂν Ζεὺς ἐκπέσῃ τυραννίδος* 781 sq.

32) Cum Prometheus 'iam servatus' Herculem alloquitur verbis *ἐχθροῦ πατρός μοι τοῦτο φίλτατον τέκνον* frg. 201, *ἐχθροῦ* aperte haud aliter intellegendum est ac *φίλον* in versu illo Prom. Vinct. 320 *δέρκου θέαμα, τόνδε τὸν Διὸς φίλον.*

33) In personarum indice Promethei Vincti codicis *M* praeter eas, quae illic in scenam procedunt, enumerantur etiam *Γῆ* et *Ἡρακλῆς*. Inde suo iure Welckerus (tril. p. 42) conclusit, cum in 'Soluto' Herculi partes fuisse constet, utrumque nomen ex 'Soluti' indice huc irrepsisse et Terrae quoque in ista fabula locum fuisse. — Nec vero verba Mercurii V. 982 *μηδέ μοι διπλᾶς ὁδούς, Προμηθεῦ, προςβάλῃς* indicare, etiam in 'Soluto' Mercurio partes (sc. conciliandi) fuisse, ut Welckerus arbitratur (tril. p. 44 sq.), certe Hermanno (l. l. p. 260, 265) concedendum est.

34) Cf. Schoemann. p. 348 (ad Sol. v. 782 sq.). — Num etiam anuli apud Aeschylum mentio facta sit, nobis in medio relinquendum est. Vide Welckerum et Schoemannum ll. ll.

35) Quamquam nomen Chironis apud Aeschylum non exstat, a vulgari fabulae forma eum discessisse credi nequit. — Videtur ipse Hercules Iovi centaurum illum offerre, ut condicioni ab eo dictae satisfaciat. Cf. Apollod. 2, 5, 11. Bene de hac re disserit Welckerus (tril. p. 47 sq.).

36) Preller., Gr. Myth.[2] I p. 71 (ed. Robert.[4] p. 92).

7. Hominum incunabula[1], Pandora.

§ 87. Homines iam sunt, antequam Iupiter deorum imperium occupat Prom. 244 sq. Sed *νήπιοι* similiter bestiis vivunt Prom. 459 sq. Sic eos describit Aeschylus: *βλέποντες ἔβλεπον μάτην | κλύοντες οὐκ ἤκουον, ἀλλ' ὀνειράτων | ἀλίγκιοι μορ-*

φαῖσι τὸν μακρὸν βίον | ἔφυρον εἰκῇ πάντα, κοὔτε πλινθυφεῖς δόμους κτλ. —, *κατώρυχες δ' ἔναιον ὥστ' ἀήσυροι | μύρμηκες ἄντρων ἐν μυχοῖς ἀνηλίοις. κτλ.* — Hoc hominum genus *ταλαίπωρον* Iupiter, cum modo imperium adeptus est, delere novumque creare vult Prom. 247 sq. Sed vanum reddit hoc eius consilium Prometheus, misericordia hominum commotus 250 sq. Plurimaque praeterea hic deus '*φιλάνθρωπος*' beneficia hominibus dividit, quamquam hoc a Iove ceterisque deis peccatum habetur. Vide haec fusius et accuratius exposita § 81 et 82. Sed quamquam intellegentes mentisque compotes facti et tot tantisque opibus adiuti a Prometheo sunt, remanent tamen homines admodum infirmi. Sic canunt Oceanides:

οὐδ' ἐδέρχθης
ὀλιγοδρανίαν ἄκικυν,
ἰσόνειρον, ᾇ τὸ φωτῶν
ἀλαὸν γένος ἐμ-
πεποδισμένον; κτλ. Prom. 564 sq.

Nec Prometheo suppliciis vexato ullum ferre possunt auxilium Prom. 84, 564. Nihil possunt nisi deplorare Promethei sortem 425 sq.

Semel etiam Pandora occurrit in reliquiis Aeschyleis. Dicta est, ut tradit Proclus, ab Aeschylo Pandora '*τοῦ πηλοπλάστου σπέρματος θνητὴ γυνή*' frg. 373[2].

Adnot. 1) Cf. Schoemann., ed. Prom. p. 39 sq.

2) Eadem igitur Pandorae informatio Aeschylo fuisse videtur atque in Hesiod. op. et d. (vv. 42 sq.) invenitur. Etiam similis quaedam sententia Promethei verbis *τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα*, Prom. 266, videtur subesse ac fabulae de Pandorae capsa in Hes. op. et d. 94 sq. narratae. Hoc Weckleinio (adn. ad Prom. 250) concedo. In mente vero Aeschylo illic fuisse Pandorae fabulam credere dubitaverim.

Caput III.

Fabulae heroicae.

1. Res Troianae.

A. Cyclus Troianus sive fabulae quae rerum quodam conexu inter se cohaerent.

I. Bellum Troianum.

a) Causa belli (Helenae raptus).

§ 88. Paris ab Atridis receptus mensam hospitalem dehonestat rapta hospitis uxore Ag. 409 sq., simul rebus pretiosis furto subductis Ag. 539. Neque ipsam innocentem esse Helenam Aeschylus significat Ag. 691 sq. (*πρεπόντως ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις ἐκ τῶν ἁβροτίμων προκαλυμμάτων ἔπλευσεν ζεφύρου γίγαντος*[1] *αὔρᾳ*), Ag. 1456, cf. 1465 sq. et 420 (*στίβοι φιλάνορες*). Quam ut ulciscantur ignominiam, bellum Troianis Atridae parant Ag. 61 sq. (cf. 49), 235, 455, 697 sq., 791[2].

Adnot. 1) Cf. § 77 adn. 1.
2) Cf. § 115 et § 126, 127.

b) Belli comparatio, Aulis, Telephus.

§ 89. Invito ex parte populo, Ag. 792, exercitus navalis, Ag. 116, 194, Eum. 459, convocatur Aulidem Ag. 201. Duces exercitus dicuntur duo simul Atridae Ag. 111, 116, 210, 213, 126, quorum *πρέσβυς* est Agamemnon Ag. 194, 215. Cf. etiam Ag. 1226, Eum. 459, 640, frg. 92. Graeci milites ab Aeschylo dicuntur *Ἑλλάδος ἥβη* Ag. 111 (cf. 437), *Ἀχαιοί, Ἀργεῖοι, Δαναοί*[1].

Antequam proficiscuntur, haec eveniunt. Portentum apparet. Duae aquilae, altera nigra, altera alba, prope aedes regias a dextra parte advolantes leporem gravidam instante partu inter-

ceptam una cum fetu devorant Ag. 110 sq. Vates (στρατόμαντις) autem sapiens (Calchas v. 164), duas aquilas Atridas interpretans, haec vaticinatur: 'Quondam expugnabit hic exercitus Troiam, sed metuendum est, ne antea ipsi qui eam oppugnant in calamitatem incidant 125 sq. [Irata enim est 'illis aquilis' Diana bestiarum catulis favens 139 sq. Quamquam igitur dextrum augurium est, adversis non caret 150 sq. (cf. 164 sq.). Metuo, ne dea adversis ventis nos moretur, alterum sibi properans sacrificium ἄνομον ἄδαιτον tale e quo alia mala (domui regiae) nascantur, 153 sq.' Nec vituperat Agamemnon vatem, sed fato cedit, cum re vera venti adversi in portu Aulidensi classem retineant otioque infinito milites consumant Ag. 194 sq. Tum autem etiam gravius aliquid ducibus Calchas pronuntiat, quod a Diana postuletur, ita ut sceptris solum pulsantes Atridae lacrimas retinere non possint 208 sq. Finem enim eam ventis illis non facturam esse, nisi imperatoris filia immoletur[2] 224 sq. Non ignorat Agamemnon culpam sic vitare se non posse; aut filiam sibi interficiendam aut socios prodendos esse 216 sq. Haesitat aliquamdiu 216 sq., sed necessitate coactus ad extremum a se impetrat, ut ipse filiae mactator fiat, 228 sq. Precibus virginis non moventur principes belli avidi 238 sq. Precatione facta pater eam a ministris in aram tolli iubet devincto ore, ne in domum exsecretur, 241 sq. Illa autem veste humum demissa unumquemque immolantium telis oculorum percutit imagini similis, tamquam alloqui cupiens eos quibus saepenumero in conviviis patris hymnos canebat 249 sq. Hic finis est huius narrationis chori Aeschylei[3]. — Iphigeniae immolatio praeterea commemoratur Ag. 1415 sq., 1527, 1554 sq., Ch. 241.

Nullum in Aeschyli Orestea indicium est fabulae illius de Graecis ad Mysiam appellentibus et cum Telepho pugnantibus in Cypriis (Kink., frg. ep. Gr. p. 18) narratae neque alterius prioris exercitus congregationis Aulide factae. Nec vero improbabile est res illas ab Aeschylo tractatas fuisse in 'Telepho' fabula perdita. Vide § 160.

Adnot. 1) Singulos locos vide in lex. Aesch. Dindorf. s. vv.

2) Nomen Iphigeniae hoc toto loco non exstat, sed ex Ag. 1527, 1554 supplendum est.

3) Quid de fine sacrificii et rebus insequentibus Aeschylus sibi finxerit, in medio nobis relinquendum est. Non simpliciter dixerim

cum Naegelsbachio (ed. Ag. praef. p. 19): 'Iphigenia wird bei Aeschylus wirklich geschlachtet und nicht durch die Gnade der Artemis nach Tauris entrückt.' Nam etsi et Agamemnonis chorus et Clytaemestra, Ag. 1415 sq., 1526 sq. (cf. 1554 sq.), et Electra Ch. 241 re vera eam immolatam esse dicunt, inde non efficitur, aut ignorari aut improbari ab Aeschylo fabulam illam, quae est de Iphigenia a Diana servata. Certe non ignoravit eam fabulam, cum Cypria ei notissima fuisse manifestum sit (cf. Welcker., Gr. Tr. p. 1 sq., ceterosque viros doctos, quos attuli praef. adn. 1). Atque in Agamemnone et Choephoris Argivos illud putantes introducere Aeschylus coactus est causis dramaticis. — In alteram autem partem iustum modum mihi videtur excedere Wilamowitzius, cum dicit (Herm. XVIII p. 253): 'Bei Aeschylus muss der Chor die Rettung Iphigenias verschweigen, obwohl er seine Kenntniss andeutet.' Nihil huiusmodi, quo indicetur servatam putari Iphigeniam, in chori verbis me invenisse fateor.

Traditum est fabulae Aeschyleae nomen 'Iphigenia'. Sed de eius argumento certi nihil fragmenta produnt. Quantulum autem utilitatis in talibus rebus afferant audaciores coniecturae, optime elucet ex Welckeri disputationibus, qui cum in tril. p. 408 sq. dubitari non posse affirmaverit, quin res Tauricae in ea tractatae fuerint, in Mus. Rhen. vol. V p. 447 sq. eum eadem paene confidentia contendit, eius argumentum fuisse Iphigeniae immolationem. Atque hoc quidem re vera argumentum videtur fuisse, cum res Tauricas non ante Euripidem in scenam productas esse Robertus nuper (Arch. Ztg. 1876 p. 133 sq.) admodum probaverit. Cf. Wilamowitz. in Herm. vol. XVIII, p. 250 et 254. Cf. etiam Schmidt., Ulixes Posthomer., diss. Lips. 1885 p. 46. Neque vero certa esse tenendum est, quae Schmidtius pro certis venditare vult. — Quod vero de argumento fabulae '*Θαλαμοποιοί*' Welckerus (tril. p. 409) coniecerat et in Mus. Rhen. V p. 447 sq. defendit, tam scite refutatum est ab Hermanno (vide ad frgmm. p. 329 sq.), ut ipse Welckerus postea recte eius sententiam se habere concederet (Kl. Schriften vol. IV, p. 128 sq. = Rh. Mus. XIII p. 189 sq.). Cf. § 171 adn. 2. — Similiter fere iudicandum est de fabula '*Ἱέρειαι*. Quam omnino ad Iphigeniae mythum pertinuisse (vide Welcker., Rh. Mus. V p. 459 sq.), quamquam probabatur ab Hermanno (l. l. p. 336; cf. Nitzsch., Sagenpoesie d. Gr., p. 639) nunc post Roberti commentationem, quam paulo supra commemoravi, omni caret probabilitate. — Cf. § 16 adn. 6.

c) Cycnus.

§ 90. Cycnum[1] ab Aeschylo in fabula aliqua in scenam productum[2] esse eiusque habitum grandem ac terribilem fuisse depictum[3], uno fragmento docemur frg. 127 a.

Adnot. 1) Quin Cycnus Troianus, ut ita dicam, (Neptuni filius) intellegendus sit, non dubito. Hoc inde concludendum est, quod in

hoc fragmento (v. Aristophan. ran. 963: *Κύκνους ποιῶν καὶ Μέμνονας κωδωνοφαλαροπώλους*) Cycnus confertur cum Memnone atque hos duos heroes ab eodem Achille ad Troiam occisos etiam alias conferri (Pind. Ol. II, 90; Isthm. IV, 39) videmus. Cf. Welcker., tril. p. 544, et Fritzschium ad Ar. l. l.

2) Non modo enarrando descriptum eum fuisse, sed personam in ipsam scenam prodiisse, voce Aristophanea *ποιῶν* effici videtur. Cf. Hippenstiel. (de Graec. trag. princ. fab. nominib., diss. Marp. 1887, p. 3), Nauck. (frgmm. p. 28). — Welckerus (tril. p. 544) etiam fabulam, cui nomen fuisset *Κύκνος*, exstitisse hoc uno fragmento nixus coniecit. Sed hoc incertissimum est, quod concedunt etiam Nauckius et Hippenstielius.

3) Hoc ex verborum Aristophaneorum conexu satis apparet.

d) Palamedes.

'*Παλαμήδης*' fabulae Aeschyleae inscriptio erat. Fragmenta de argumento nihil certi produnt. Sed earum quibus ille interest fabularum sola narratio mortis ei ab Ulixe et Diomede paratae eiusmodi est, ut tragoediae 'Palamedis' nomen praebere possit. Quam ob rem mihi dubium non videtur, quin in ea versata sit Aeschyli tragoedia[1], neque dubitavi, hoc ut Aeschyleum hoc loco afferre. Pingit Aeschylus Palamedem sapientem inventorem plurimarum artium, ut stellarum ratiocinationis, schol. Aesch. Prom. 473 (Dind. ante frg. 180), diei descriptionis, ordinis et distributionis exercitus auctorem, frg. 181[2].

Adnot. 1) Cf. Welcker., tril. p. 466.

2) De Palamede Aeschyleo dicenti mihi etiam Ag. v. 832 memorandus videtur esse (vide § 132, a) 'invitum Ulixem Agamemnoni se applicasse.' — Ad eandem autem fabulam Ulixis dolo a Palamede capti pertinere frg. 180 *τίνος κατέκτας ἕνεκα παῖδ' ἐμὸν βλάβης;* (sc. verba esse Ulixis), ut Welckero (l. l. p. 467 sq., trag. Gr. I p. 101) videtur, admodum incertum est. — Sequitur Welckerum eumque paene superat in coniciendo ac confidentia J. O. Schmidt. (Ulixes Posthomericus, diss. Lips. 1885, p. 49). — Cf. etiam § 81.

e) Chryseis, lues, Agamemnonis et Achillis discidium.

§ 91. Dicit Clytaemestra Agamemnonem *Χρυσηίδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ* Ag. 1440. Atque luis, qua Apollo ad Scamandrum Graecos vexaverit, mentionem facit praeco Agamemnonis Ag. 515 sq.

Agamemnonis et Achillis discidium imprimis respici ab

Aeschylo videtur mihi verbis Agamemnonis: 'expertus sum nihil fuisse, qui amici videbantur, nisi amicitiae speculum vel umbrae imaginem, excepto uno Ulixe' Ag. 829 sq.

f) Patroclea.

§ 92. Notissimam Patrocli mortis narrationem quin Aeschylus in 'Myrmidonibus' tractaverit, dubitari nequit.[1] De argumento ipso satis multa e fragmentis colligi possunt. Alloquuntur *Μυρμιδόνες*[2] Achillem: *τάδε μὲν λεύσσεις δοριλυμάντους Δαναῶν μόχθους κτλ.* atque excitant eum, ut Achivis auxilium ferat, frg. 128, frg. 131. Huc etiam referendum est, ut videtur[3], frg. 136, quo docemur, navis *δεκεμβόλου* Nestoris mentionem factam esse, et frg. 137 navis alicuius insigne *ξουθὸν ἱππαλεκτρυόνα* dictum fuisse, qui *στάζει κριθέντων φαρμάκων πολὺς πόνος*[4]. Tandem precibus et urgente periculo victus Achilles patitur suis armis indutum Patroclum proelium inire.[5] Quo in proelio cum Sarpedonem peremerit[6], ipse Patroclus occiditur.[7] Mortem eius nuntiat[8] Achilli Antilochus frg. 133. Tum Achillem corpus amici apportatum multis deplorasse putandum est, frg. 133, 134, 135, qua in re amoris sui et consuetudinis mentionem facit.[9] Atque ulciscendi cupidus *ὅπλων ὅπλων δεῖ* exclamat frg. 140. Neque improbabile est, in extrema parte fabulae Thetidem apparuisse arma se comparaturam esse promittentem.[10]

Adnot. 1) Vide Welcker., tril. p. 415 sq.; Hermann., opp. V p. 136 sq. Cf. E. A. J. Ahrens., ed. Aesch. p. 181 sq.; Nitzsch., Sagenpoes. d. Gr. p. 589; Ribbeck., die röm. Trag., p. 349 sq.; Bergk., Herm. XVIII p. 481 sq.; Wecklein., Burs. Jahrbr. XII (1884) p. 125.

2) Hoc sine dubio recte statuit Hermannus, cui sine iusta causa obloquitur Fritzschius (ad Aristoph. ran. 992). — Et suo iure refutat Weckleinius (l. l.), quod Bergkius (l. l.) nimium ponderis addit scholio recentiori Aeschyleo (ad Prom. 440), quod Talthybion et Eurybaten apud Aeschylum prodiisse exhibet. — Neque felicius mihi videtur (ibid.) denuo defendere Bergkius verba scholiastae Aristoph. recentioris, qui Achillis tragicum silentium, quod in Phrygibus fuisse testimoniis satis firmatum est (cf. § 95), etiam ad Myrmidones refert. (Quae verba inepta esse Hermannus, Dindorfius cet. consentiunt).

3) Probavit mihi id Hermannus (l. l. p. 143).

4) Vide Herm. (p. 144). Etiam Accii versus a Nonio servatos, qui ad Antilochi (vituperantis) et Achillis (defendentis pertinaciam) pertinent (Ribb., frg. trag. Rom. p. 137 sq.), ex Aeschylo manasse et

ad hanc ipsam scenam referendos esse valde probabilė reddidit Hermannus (l. l. p. 140 sq.). Cf. Ribbeck. (die röm. Trag., p. 350 sq.). Non apti illi sunt ei loco quo Welckerus (tril. p. 420) eos refert. — Quod vero de Achille talis ludente traditur frg. 132, valde incertum est, num omnino Aeschylo tribuendum sit. Cf. Bergk. l. l.

5) Hanc narrationis partem nullum fragmentum diserte testatur; neque vero de ea dubitari potest, ut cetera fragmenta docent.

6) Sarpedonis mortem alia tragoedia ('Europa') Aeschylus tractavit. Atque a Patroclo eum occidi etiam apud Aeschylum, veri simillimum est. Vide § 117.

7) Quae de vulnere eius Hermannus e frg. 139 colligit, incertiora sunt, quam ut afferenda mihi videantur.

8) Ad narrationem, qua pugnantis Patrocli fortitudo describebatur, 'pertinere quod schol. Vict. Il. XVI, 380 traditur (frg. 311 b Dind.), per errorem Ἀχιλλέα pro Ἕκτορα scripto, adeo mihi probavit Hermannus (l. l. p. 145; ed. frg. 139), ut mirer neque Nauckium neque Dindorfium eum secutum esse. Sequitur eum E. A. J. Ahrensius (l. l. p. 183).

9) De eorum amicitia vide § 130. Dubium est, an ex eadem scena fuerit frg. 129; sed cum ad mythologiam nihil referat, in medio hanc quaestionem relinquo.

10) Quod et Welckero (tril. p. 421) et Hermanno (l. l. p. 149) videtur.

g) Armorum novorum fabricatio.

§ 93. Iam enim vix dubium est, quod divinavit Welckerus (tril. p. 422) consentiuntque Hermannus (opp. V, 136, cf. 149 sq.), Nauckius, Dindorfius, E. A. J. Ahrensius, Nitzschius (ll. ll.), nova arma a Vulcano facta Achilli a matre apportata in Aeschyli 'Nereidibus' proposita fuisse. Documento est, quod composuisse Aeschylum trilogias continuitate argumenti cohaerentes constat et chorus 'Nereidum' aptissimus est fabulae res inter Patrocli mortem et 'Hectoris redemptionem'[1] continenti. Quas deas comitatas esse (cf. frg. 150) putandum est sororem Thetidem arma ferentem[2]. Quo accedit, quod Achillis hastam 'bidentem' commemoratam fuisse in Nereidibus traditur frg. 151. Ad arma spectant etiam frgmm. 152, 153. Omnem denique dubitationem quod tollat, idoneum est fragmentum nuperrime editum[3], quo docemur, Patrocli[4] corporis velandi in hac fabula Aeschylea mentionem factam esse.

Adnot. 1) Cf. § 95.

2) Cf. Welcker., tril. p. 424 (c. adn. 700) de artis monumentis

hanc scenam exprimentibus. Consentiunt Hermannus (opp. V p. 150), Ribbeckius (Die röm. Trag., p. 124).

3) Herodiani exc. ed. Hilgard., Lips. 1887 (Progr. gymn. Heidelberg.) p. 22, 30: λέγεται γὰρ καὶ ἀρσενικῶς ἐν Νηρηΐσι πὰρ' Αἰσχύλῳ· λεπτὸς δὲ σινδὼν ἀμφιβαλλέσθω χροΐ. Cf. Hiller., Deutsche Literaturzeitung 1888 (No. 1) p. 10 sq.

4) Ad Patrocli corpus haec verba spectare manifestum est, ut iam vidit Hillerus l. l., suo iure comparans Il. XVIII vv. 343 sq. (praec. 352: ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν | ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ). Etiam Achillis illa verba esse sine dubio Hillero consentiendum est.

h) Hectoris mors.

§ 94. Hoc concesso Hectoris interemptionem in eadem fabula tractatam fuisse res ipsa postulat mea sententia, quamquam ex hac parte certum fragmentum non servatum est.[1]

Adnot. 1) Nisi cum Hermanno (opp. V p. 150 sq.) Accii Epinausimaches fragmenta in Aeschyleorum numero habemus. Equidem Roberto (Bild und Lied, p. 140) assentior, hoc nobis in re tam lubrica non licere, quamquam admodum probabile esse Accium exemplo usum esse Aeschyleo non nego. Similiter Ribbeckius (D. röm. Trag. p. 356) indicat. — Frg. 440 Dind. dubium num Aeschylo tribuendum sit. Si est, huc id pertinere veri simile est. Cf. § 115. — Non persuasit mihi Welckerus (tril. p. 424) tam alienam esse Hectoris mortem a dramate, ut exclusam eam esse ex hac trilogia putandum nobis sit.

i) Hectoris corporis redemptio.

§ 95. Hectoris corporis redemptio proposita est ab Aeschylo in fabula 'Φρύγες' (sive 'Ἕκτορος λύτρα'), tertia eius trilogiae de qua iam dixi. Certiora de argumento ex fragmentis haec colligi possunt. Initio fabulae pauca colloquitur Achilles cum Mercurio frg. 254. Deinde velato capite (i. e. lugens) perdiu silens sedet frg. 254. Mercurium Welckerus (tril. p. 425) nuntiare Achilli Priami adventum putat, quod Hermannus (opp. V p. 157) valde improbat arbitratus, mitti eum a Iove, ut iubeat illum a saeviendo in Hectoris corpus abstinere. Equidem hac in re Hermanno assentiri non possum. Hoc certe Welckero concedo aperte Mercurium, ut apud Homerum, ducem comitemque fuisse Priami[1]. Minus intellego, cur non iam in ipso initio Priamus quoque in scenam prodire potuerit (W. tril. p. 425). Fortasse sic res se habebat. Iam in ipso principio fabulae

Priamus ad Achillem venit. Quem comitans Mercurius commendat Achilli. Is autem amicum mortuum lugens, cum deo pauca responderit, hominem hostem multis verbis simul cum choro[2] supplicantem diu ne verbo quidem dignum ducit.' Adductus sum ad hanc sententiam scholio Aesch. Prom. 452: *σιωπῶσι — δι' αὐθάδειαν*[2a], *ὡς Ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς Φρυξὶν Αἰσχύλου*[3]. Quamquam non esse eam nisi coniecturam incertam libenter concedo. Utut singula erant, certe Priamus ad Achillem venit filii corpus redempturus frg. 257. Ad eum, qui similis sit mercatori res venales agenti, sine dubio pertinet frg. 256. Priami Achillem implorantis pauca verba servata sunt frg. 257, 258, 259[4], 260, quibus pertinaciam eius reprehendit, commonefacit Nemeseos, Andromaches meminit[5], cet.[6] Addit regis obsecrationibus suas preces chorus frg. 267. Tandem Achilles precibus senis movetur redditque ei corpus Hectoris accepto pretio redemptionis frg. 262. Id autem pretium est auri pondus corpori par frg. 262.[7]

Adnot. 1) Haec etiam Nitzschii sententia est, Hermanno assentitur E. A. J. Ahrensius (ll. ll.).

2) Hos *Φρύγας* i. e. Troianos (frg. 268; vide de nomine etiam Welcker. l. l. p. 425, Herm. l. l. p. 156) captivos Achillis fuisse, ut Hermanno (p. 158) videtur, veri simillimum est, similiter atque in fabula *Θρῇσσαι* chorus captivarum erat. Minus probabile, quamquam nequaquam ineptum, puto quod Welckerus censet, comitatos eos esse Priamum.

2a) Aliud ex hac voce Bergkius (Herm. XVIII p. 482) colligit. Mutilum esse hoc scholion atque hoc *αὐθαδείας* Achillis silentium ad Myrmidones spectare. Hoc mihi nullo modo persuadere possum. Cf. § 92 adn. 2.

3) Nam recte hoc pro tradito *Σοφοκλέους* a Menagio repositum esse cum Nauckio, Dindorfio cet. censeo. — De hac tota quaestione cf. etiam Fritzsch. ad Ar. ran. 912.

4) Hoc de moribus Hectoris dictum esse, ut Welckerus (tril. p. 427) censet, multo probabilius mihi videtur quam Hermanni (l. l. p. 158) sententia, ad corpus Hectoris non foedatum spectare ea verba.

5) Huc enim pertinere frg. 260, ut iam Welckero visum est, probabile mihi videtur esse. An ipsa in scenam prodibat Andromache? Hermannus (l. l. p. 160) pro verbis traditis, quae aperte corrupta sunt, reponens: *Ἀνδραίμονος γένεθλον, ὦ Λυρνησσίον, ὅθεν περ Ἕκτωρ σ' ἄλοχον ἤγαγεν φίλην,* confidenter contendit, hoc certo testimonio constare ipsi fuisse partes aliquas in hac tragoedia Andromachae. Assentitur Hermanno Nitzschius (l. l.), Welckero Ahrensius (l. l.).

Multis vero defendit Hermanni coniecturam illam Ribbeckius (die röm. Trag. p. 128 sq.), revocans ad imaginem anaglypham sarcophagi Ephesii (quem descripsit Conzius, Arch. Anzeig. 1864 p. 211 sq., et Benndorf., Ann. d. Inst. 1866 p. 254 sq.) et ad mythographos et aetatis multo inferioris, ut Ptolemaeum Chennum (cui nullam fidem habendam esse Hercherus, Jbb. f. Phil. Suppl. I p. 269 sq. demonstravit), et infimae aetatis. Sequitur Ribbeckium vel potius superat coniciendo J. O. Schmidt. (Ulix. Posthomericus, diss. Lips. 1885, p. 45), etiam Ulixem in Phrygibus partes egisse propter capulum illum suspicans. Equidem dubitaverim, quae apud illos mythographos et in sarcophago reperiuntur, simpliciter ad Aeschylum referre. Unum, quo certo fundamento in mythologumenis Aeschyleis congerendis niti possumus, fragmentum illud cum non integrum sit neque omni dubitatione careant Hermanni mutationes, in medio hanc quaestionem relinquendam mihi esse censeo. Nihil autem valere puto vocem *προσαγορεύειν*, qua documento utitur Ribbeckius, ex verbis *Αἰσχύλος Λυρνησσίδα προσαγορεύσας τὴν Ἀνδρομάχην* concludens 'allocutum esse Achillem Andromachen.' Saepius enim *προσαγορεύειν*, ut Latinum 'appellare, nominare', pro 'significando' usurpari video. (Exempli c. cf. Plat. Gorg. 474 E: *οὐκοῦν καὶ τἆλλα πάντα — καλὰ προσαγορεύεις;* Alia exempla vide in thesaur. Stephan., Papii lex. Gr. s. v.)

6) Fortasse huc referendus est versus sine poetae nomine servatus, Aeschylo vindicatus a Dindorfio (frg. 440) et Hermanno (frg. 455), qui iam huc eum rettulit. Cf. § 115. — Haud scio an etiam tracti circa Patrocli tumulum cadaveris mentio facta sit ab Aeschylo. Fortasse huc spectat Hesychii glossa *ἄροτον τὸν ὁλκὸν τοῦ Ἕκτορος ἢ τὸ ἀντίσταθμον· Αἰσχύλος Φρυξίν* (frg. 262 Dind.). Quarum Hesychii interpretationum posteriorem recte se habere non posse suo iure observat Hermannus; is tamen ad pensum Hectoris corpus hoc pertinere censet.

7) Recte mihi in schol. Il. 22, 351 pro tradito *ἀνθιστάμενον* videtur reposuisse *ἀντίσταθμον* O. Jahnius (Philol. XXVIII p. 6).

k) Memnonis adventus et mors.

§ 96. Quae pertinent ad Memnonem, ab Aeschylo tractata sunt in fabulis deperditis, quae inscriptae erant *Μέμνων* et *Ψυχοστασία*[1]. E quibus haec singula nobis servata sunt.

Memnon, filius Aurorae, frg. 276[2], multa cum pompa et sumptuoso ornatu ut orientis[3] princeps apparuisse vel talis descriptus esse videtur frg. 127 a (*κωδωνοφαλαρόπωλος*[4]), frg. 127 c[5] (de aere e scuto eminente). Pugnantium Achillis et Memnonis animas Iupiter in trutina ponderat.[6] Atque orant

eum et deprecantur pro suo utraque filio Aurora et Thetis. Victor exsistit Achilles. Aurora autem filii occisi corpus sublime rapit frg. 276.[7]

Adnot. 1) Eandem fabulam duobus nominibus significari Welckerus (tril. p. 435, Butlerum secutus) pro certo affirmare se posse contendit. Sed graviter eum vituperat Hermannus (opp. VII, p. 345) monens nullum eius rei testem esse atque etiam refragari eam indici. Equidem, cum nihilominus non sine ullo iure illud suspicatus esse Welckerus mihi videatur, nunc vix diiudicari posse censeo hanc quaestionem eamque, quae nihil referat ad mythologumena, in medio relinquo. Nam quid de catalogi Aeschylearum fabularum indole et ratione iudicem, § 50 adn. 11 dixi. Cf. etiam Nitzsch., Sagenpoes. d. Gr. p. 607 sq., Ahrens. l. l. p. 210 sq.

2) Cf. § 32 cum adn. 1. Aperte errat Ahrensius dicens (l. l.): 'mater Memnonis Cissia est, non Aurora, quo magis ortus a Graecis alienus Persicus appareat.' Namque Auroram eius matrem apparuisse in Psychostasia diserte traditur. — Ad eam deam fortasse spectabat, ut Hermannus (opp. VII p. 349) coniecit, frg. 315 (incertum): *πότερα γυνή τις Αἰθίοψ φανήσεται;* An potius de ipso Memnone hoc dictum est, cuius orientalis (vide adn. 3) ac paene muliebris ornatus ab Achille irridetur? Similiter Ahrensium (l. l.) censere video.

3) De loco terrarum, unde venerit Memnon et ubi habitaverint Aethiopes apud Aeschylum, uberius disputaverunt Letronnius, La statue vocale de Memnon 1833, p. 65 sq.; Ukertus, Kunstblatt (ed. Schorn.) 1835, p. 141 sq.; Welckerus, ep. Cycl. II p. 204 sq. (cf. tril. p. 432). Quibus hoc certe manifestum esse consentiendum est (Let. p. 70, Uk. p. 144, Welck. p. 206, 211; adde Herm. opp. VII p. 349), ex orientis parte, sc. ex extrema Asia, ut omnino in antiquissima Graecorum poesi, venisse Memnonem etiam apud Aeschylum. Quod colligendum est praecipue ex fragmento 279 'matrem Memnonis ab Aeschylo *Κισσίαν* i. e. Susianam (cf. § 32 adn. 1) dictam fuisse', comparatis quae his antecedunt apud Strabonem: *λέγεται* (sc. Susa urbs) *γὰρ δὴ κτίσμα Τιθωνοῦ τοῦ Μέμνονος πατρός, — ἡ δὲ ἀκρόπολις ἐκαλεῖτο Μεμνόνιον· λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σούσιοι*, et Pausan. X, 31, 7: *ἀφίκετο μέντοι* (sc. Memnon) *ἐς Ἴλιον οὐκ ἀπ' Αἰθιοπίας, ἀλλὰ ἐκ Σούσων τῶν Περσικῶν καὶ ἀπὸ τοῦ Χοάσπου ποταμοῦ τὰ ἔθνη πάντα ὅσα ᾤκει μεταξὺ ὑποχείρια πεποιημένος*. Neque dubitari potest, quin etiam apud Aeschylum rex fuerit Memnon Aethiopum. Quos, ut tum vulgaris Graecorum opinio erat, a solis ortu incipientes per totum australe Oceani litus habitare putabat. Nam Suppl. 290 sq. de Indis Aethiopibus vicinis dicitur, et Prom. 833 sq. legimus: *τηλουρὸν δὲ γῆν | ἥξεις κελαινὸν φῦλον, οἱ πρὸς ἡλίου | ναίουσι πηγαῖς, ἔνθα ποταμὸς Αἰθίοψ. | τοῦτον παρ' ὄχθας ἕρφ', ἕως ἂν ἐξίκῃ | καταβασμόν, ἔνθα Βυβλίνων ὀρῶν ἄπο | ἵησι σεπτὸν Νεῖλος εὔποτον ῥέον.*

(De Nilo et Aethiope eodem flumine vide Weckleinium ad vv. 809 et 811, Schoemannum, ed. Prom. p. 327.) Idem elucet e frg. 192, quod est de lacu Aethiopico, ubi Sol se et equos suos lavat, qui vicinus est Oceani ἐρυθρᾶς ἱερῷ χεύματι θαλάσσης (nam haec verba ad ipsum Oceanum pertinere assentior Welckero tril. p. 36). Hoc fragmentum hac ipsa de causa Strabo affert, ut istam de Aethiopibus Graecis opinionem fuisse demonstret. Cet. cf. Letr. l. l. p. 67 sq., Welck. ep. Cycl. p. 205, Uk. p. 142, 146, Wecklein. ad Prom. 808, G. Hermann. opp. IV p. 267. Minime igitur discrepat cum ceteris istis frg. 304, ubi non ambigue de Aethiopica Aegypto dicitur. Hermannus (opp. VII p. 347) fortasse ex Memnone petitos esse hos versus suspicatus est, conceduntque hoc fieri potuisse Dindorfius et Nauckius (ad frgmm.); equidem Welckero assentior, qui (ep. Cycl. p. 205) non posse sumptos esse eos ex tragoedia, quae ad Memnonem pertinebat, observavit (cum antea, tril. p. 435 adn. 719, ipse ad Psychostasiam eos rettulisset). Nam, ut supra exposui, ex orientis parte, non ex Aegypto, Memnonis Aethiopes venerunt.

4) Haec vox (de qua cf. Fritzsch. et Kock. ad Ar. ran. 963, Herm., Welck. l. l.) suspicionem mihi movet, etiam versus frg. 341 (sine fabulae nomine traditos): ὅς εἶχε πώλους τέσσαρας ζυγηφόρους | φιμοῖσιν αὐλωτοῖσιν ἐστομωμένας, quos ad Glaucum Potniensem refert Hermannus, ad Memnonem pertinere.

5) Incertum hoc fragmentum. Sed vix erraverit Wellauerus Μέμνονι pro Ἀγαμέμνονι reponens. Quid vero sit ἀθέριτος vel quae vera vox in hac corrupta lateat, nondum, quantum scio, satis repertum est. Ne veterum quidem grammaticorum diversae explicationes quidquam mihi videntur esse nisi merae coniecturae.

6) Non ambigue et schol. Il. et Plutarchus tradunt 'Iovem eas ponderasse.' Nihilominus Hermannus (l. l. p. 353), quod convenientius sit Iovis maiestati, Mercurio hoc muneris fuisse apud Aeschylum censet. Nam etiam in antiquis quibusdam picturis id Mercurio tributum esse. Sed recte Robertus (Bild und Lied, p. 143 sq.) hanc Hermanni argumentationem reicit. Qui ipse conicit, ex Arctini Aethiopide pendere istas imagines.

7) Dei in ipsa scena apparebant in theologeo, frg. 276. Welckeri autem opinionem (l. l. p. 434), silentes ibi eos permansisse (propter divinam maiestatem), iure refutavit Hermannus (l. l. p. 351). Nec minus recte ibidem improbat Hermannus, quod Welckero videbatur, simul in inferiore scenae parte heroes pugnantes apparuisse et in superiore deos istos deliberantes. Veri simillimum est, extra scenam ipsam pugnam cogitandam fuisse et corpus Memnonis in scenam allatum esse, ubi machina surripiebatur. Welckeri sententiam secutus est Nitzschius (Sagenpoes. p. 622), Hermanni Ahrensius (l. l. p. 211). Haec obiter perstringenda mihi videbantur, quamvis ad ipsam mythologiam minus pertineant.

l) Achillis mors.[1]

§ 97. Unum exstat fragmentum Aeschyleum, quo mentio fit Achillis mortis, frg. 281. Ibi incusat Thetis Apollinem his verbis: 'qui *νόσων ἀπείρους καὶ μακραίωνας βίους* cet. praedixit, *αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν τὸν παῖδα τὸν ἐμόν*'.

Adnot. 1) Cf. Nitzsch., Sagenpoes. d. Gr. p. 608 sq.

m) Armorum iudicium et Aiacis mors.

§ 98. Certamen inter Aiacem et Ulixem de Achillis mortui armis ortum Aeschylus tractavit fabula deperdita, quae inscripta erat *Ὅπλων κρίσις*[1]. Pauca eius servata nobis sunt fragmenta. Ipsa Thetis dea proposuisse certaminis praemium illud videtur. Quae certe partes in ea fabula agebat frg. 175[2]. Qui autem iudices apud Aeschylum fuerint, nescimus[3]. Verbis heroes certant. E quorum altercatione manifesto sunt frg. 172, 173, quibus in Ulixem invehitur Aiax, tum matri illius concubitum Sisyphi opprobrio dans, tum laudans (sc. suum) veritatis amorem. Victor autem exsistit Ulixes[4]. Haec hactenus in 'Armorum iudicio' tractata erant[5].

Superatus Aiax ipse sibi mortem consciscit. Hoc argumentum erat fabulae Aeschyleae, cuius titulus erat '*Θρῇσσαι*', frg. 77. De quo singula haec tantummodo exstant, quod chorum fuisse mulieres captivas Thracias videmus frg. 77 (tit.) et haec de morte ipsa[6]. Aiax, cum toto corpore invulnerabilis sit excepto uno lateris loco, frg. 78, 80 (*τὰ περὶ τὴν μασχάλην* frg. 80, *περὶ τὰ πλευρά* schol. Lycophr. 455[7]), diu frustra conatur sese percutere, cum in cute impenetrabili gladius inflectatur frg. 78, 79, donec dea aliqua apparet eique monstrat locum illum frg. 78.

Adnot. 1) *Ὅπλων κρίσιν, Θρῄσσας, Σαλαμινίας* una trilogia comprehensas fuisse probaverunt Welckerus (tril. p. 438 sq.) et Hermannus (opp. VII p. 362 sq.). De argumento cf. etiam Welcker., Kl. Schriften II p. 274 sq., Ahrens., ed. Aeschyl. p. 212 sq., Ribbeck., Die röm. Trag. p. 369 sq., J. O. Schmidt, Ulixes Posthomericus, diss. Lips. 1885 p. 47 sq.

2) Etiam frg. 281 huc pertinere mihi videtur, quod iam Schneiderus, Hermannus cet. suspicati sunt.

3) Neque enim aptas videri quae has partes agant Nereides, quibus hoc muneris fuisse e schol. Ar. Acharn. 883 (frg. 175 D.) colligi possit, Welckero (tril. p. 438, Gr. trag. I, 38), cui assentitur Nitzschius

(Sagenpoesie p. 584), concedo. Idem etiam Hermannus videtur sensisse, qui ipse de hoc scholio disserens addat 'si fides est scholiastae' (opp. VII p. 363).

4) Hoc, quamquam certo testimonio non probatur, pro certo tamen affirmare possumus ab Aeschylo non mutatum esse, qui etiam voluntariam Aiacis mortem tragoedia tractaverit.

5) Ex Romanis tragicis et Pacuvius et Accius 'Armorum iudicium' scripsit. Sed quae inter haec dramata et Aeschyleum rationes intercesserint, nequaquam certius mihi videtur esse quam in Accii Epinausimache (vide § 94 adn. 1) et Philocteta (vide § 99 adn. 2), praesertim cum etiam mortem Aiacis illi in iisdem fabulis tractaverint. Sed cf. Hermann. (opp. VII p. 365 sq.); Ribbeck. (Die röm. Trag. p. 218, 369), Schmidt. (l. l.).

6) Utrum furentem Aiacem Aeschylus finxerit et de pecude ab eo occisa egerit necne, incertum est. Welckerus quidem (ep. Cycl. II p. 179, kleine Schriften II p. 274) et, quamquam non eadem cum confidentia, Ribbeckius (die röm. Trag. p. 221) furorem Aiacis et pecudis mactationem ab Aeschylo praetermissa esse coniciunt. Minime vero argumenta eorum eiusmodi mihi videntur esse, ut hoc necessarie demonstrent.

7) *Τοῦτον δὲ* (sc. *τόπον* vulnerabilem Aiacis) *οἱ μὲν περὶ τὴν κλεῖδά φασιν εἶναι, οἱ δὲ τὰ πλευρά, ὡς Αἰσχύλος ἐν Θρῄσσαις φησίν.* Hoc Aeschyli fragmentum nondum in fragmentorum syllogas receptum est. Vide Lycophr. ed. Kinkel (1880) p. 100.

n) Philoctetes.

§ 99. Philoctetes quomodo ab Ulixe Lemno ex insula ad Troiam reductus sit, Aeschylus in fabula nobis perdita, quae inscripta erat *Φιλοκτήτης*, tractavit[1]. Argumentum eius tragoediae quale fere fuerit, cognoscimus cum ex aliis fragmentis tum ex eis quae de eo Dio Chrysostomus (or. 52) exhibet (comparans Aeschyli, Sophoclis, Euripidis Philoctetas)[2]. Chorus e Lemniis compositus erat, Dio l. l. 6. 7[3]. Quibus copiose et diserte enarrat Philoctetes, quae passus sit, D. 9. Relictum se esse ab Achivis cet. D. 9.[4] Huc sine dubio pertinet frg. 248, quod est de serpentis morsu, fortasse etiam frg. 246, ubi dicit ille de ulcere quod carnem suam comedat. Eodem referendum frg. 244 ex lamentatione Philoctetis: 'veniat sibi tandem mors, quae solus sit medicus dolorum suorum intolerabilium.' Ibidem locustas (*ὀκόρνους*) commemorasse ille videtur, quibus fortasse vesceretur frg. 250.[5] Ex lamentationibus eius, sc. patriae recordantis, aperte sumptus est etiam versus ille, quo *Σπερ-*

χειός fluvius nominatur frg. 243[6]. Arcum Philoctetae in pinu quadam (πίτυος ἐκ μελανδρύου) suspensum fuisse frg. 249 prodit. Ad abducendum eum apud Aeschylum solus Ulixes videtur missus esse; hoc colligendum est ex Dion. 14[7]. Orat Ulixes Minervam, ne agnoscatur a Philocteta. Quod ei dea praestat nullo mutationis artificio usa D. 5. Nam δριμὺν καὶ δόλιον ὡς ἐν τοῖς τότε, sed qui longe abhorreat a posterorum malignitate, ab Aeschylo Ulixem introduci Dio affirmat 5[8]. Fallit Philocteten ille doloque capit (sed eius λόγοι ἥρωι πρέποντες sunt) D. 9. Narrat Agamemnonem mortuum esse, Ulixem quam turpissime periisse, totum exercitum esse extinctum D. 11[9].

Qua tandem re, sive verbo aliquo Ulixis sive nova intercedente aliqua persona, Philoctetes victus sit, nescimus. Certe victum eum esse et in fine dramatis ad navem deductum nobis putandum est.[10]

Adnot. 1) Primus hoc Aeschylus in scenam produxisse videtur; vide Hermann., opp. III p. 113, et Schneidewin., Philol. IV p. 650. Nec vero hic locus est accuratius pertractandae huius quaestionis.

2) Hermannus (opp. III p. 116 sq.) eumque secutus Welckerus (Mus. Rhen. V p. 467 sq.) etiam hic (cf. § 98 adn. 5) Accii tragoediae fragmentis utuntur ad Aeschyleam reficiendam. Sed licet imitatus sit Aeschylum ille, quod ne certum quidem est (cf. Ribbeck., Die röm. Trag. p. 377, Nauck. ante frg. 245), nec scimus, quatenus eum secutus sit, nec graviora nova de mythorum tractatione ex istis elucent.

3) Exponit Dio ab Aeschylo simpliciter chorum introductum esse, non se excusantem propter priorem neglegentiam, ut ab Euripide. Τραγικώτερον hoc Aeschyli Dioni videtur.

4) Etiam decem iam annos inde praeteriise, videtur dixisse, quamquam hoc non certe e Dionis verbis elucet.

5) Cf. Hermannum l. l. p. 123.

6) Fortasse hic versus primus totius tragoediae erat. Cf. Herm. l. l. p. 122. Pro certo id putant Fritzschius et Kockius (ad Ar. Ran. 1383). Neque vero tam certum id esse mihi videtur, et Herm. ipse posterioris cuiusdam scenae exordium versum eum fuisse putat. Welckerus (Mus. Rhen. V p. 476 sq.) iratum haec exclamasse conicit Philocteten, cum Ulixes arcum dolo ei subduxisset. Neque hoc omni probabilitate caret.

7) Ubi dicitur de Euripide: οὐ μόνον δὲ πεποίηκε τὸν Ὀδυσσέα παραγενόμενον, ἀλλὰ μετὰ τοῦ Διομήδους, Ὁμηρικῶς καὶ τοῦτο.

8) Hac in re apparere τὸ ἀρχαῖον καὶ τὴν μεγαλοφροσύνην Aeschyli Dio exponit.

9) Cf. Ribbeck. l. l. p. 384.

10) Cf. J. O. Schmidt., Ulixes Posthomericus, diss. Lips. 1885,

p. 47. — Quae de Hercule intercedente cet. Welckerus (l. l. p. 477) suspicatur, quamquam argute et satis confidenter ille disputat, tamen incertiora esse censeo, quam ut in mythologumenorum conspectum ipsum recipienda sint. — Vix autem id cuiquam persuadebit Welckerus (l. l. p. 466, 479 sq., cf. Gr. Trag. p. 29), duas Aeschyli fuisse fabulas Philoctetas, quarum altera *Φιλοκτήτης ἐν Τροίᾳ* sanationem eius et Paridem ab eo interfectum continuerit, nullo argumento nixus nisi, quod 'Lemnios' et 'Philocteten' illam, de qua dixi, eandem fuisse fabulam et trilogiam Iliupersidis Aeschyleam exstitisse opinatur. Praeterea cf. Nitzsch., Sagenpoes. p. 644 sq., et Hippenstiel., de Graec. trag. princ. fab. nominibus, diss. Marp. 1887, p. 9 sq.

o) Troiae excidium.

§ 100. Troiam captam esse Argos nuntiatur Ag. 22 sq.[1] Urbem eam plane ab Agamemnone deletam, aras et templa excisa esse praeco narrat Ag. 530 sq., cf. Ag. 542 (cf. § 114 adn. 4), 1166, Ch. 934, Eum. 460. *Τῶν αἰχμαλώτων χρημάτων*, quae tunc obtigerint Atheniensibus, mentio fit Eum. 402 sq. Cassandra captiva Agamemnoni datur (vide § 116).[2]

Adnot. 1) Cf. § 103.

2) Multa diserte atque argute disputat Welckerus (Mus. Rh. V p. 483 sq., Gr. Trag. I p. 39 sq. cet.) de fabula quadam, qua tractaverit Aeschylus Troiae excidium, cuius ne titulus quidem nobis servatus est, eiusque argumentum restituere conatur. Neque vero eas esse nisi coniecturas incertissimas nobis censendum est. Contra Welckerum disputavit Hermannus (opp. VII p. 357 sq. et opp. VIII p. 129 sq.), qui recte illic (p. 139) nimiam Welckeri coniciendi libidinem vituperat. Idem fere Nitzschius (Sagenpoes. d. Gr. p. 648 sq.) censet.

p) Singula quae in universum ad bellum Troianum pertinent.

§ 101. Per decem annos bellum fuisse Ag. 40, 509 commemoratur. Quantas molestias milites Graeci perpessi sint, copiose depingitur Ag. 560 sq. (*δυσαυλίας, σπαρνὰς παρήξεις καὶ κακοστρώτους* 560, molestias roris 565, aestatis 570, hiemis 568, cet.). Quantus vero numerus fuerit mortuorum ante Troiam, respicitur Ag. 63 sq., cf. 575. Aeschylum etiam de fossa Graecorum cogitasse, colligendum est e frg. 311 b. Denique memorabile est, Minervam adiutricem Graecorum fuisse in bello Troiano, dici Eum. 460. — De Atheniensibus belli Troiani participibus vide § 184 a.

II. Agamemnonis mors et Orestea.[1]

a) Aegisthus et Clytaemestra[2] quomodo se gesserint absente Agamemnone.

§ 102. Adulterant Aegisthus et Clytaemestra absente Agamemnone Ag. 1626, cf. Ag. 1437, Ch. 916 sq. Aegisthus Clytaemestrae est ἀσπὶς θράσους οὐ μικρά Ag. 1438. Appellatur ab ea φίλτατ' ἀνδρῶν Ag. 1654, φίλτατ' Αἰγίσθου βία Ch. 892 (ad quod respondet Orestes: φιλεῖς τὸν ἄνδρα; κτλ.). Nihil igitur sunt nisi simulationes et mendacia, quae dicit Clytaemestra Ag. 611 sq. (se fidelem illi fuisse cet.) et 852 sq. (quos sibi effecerit dolores illius absentia). Etiam servus ille, quo excubitore regina utitur, hoc respicit, cum confitetur, non omnia recte se et bene habere in regis domo Ag. 18. — Consilium interficiendi Agamemnonis sese cepisse pronuntiat Aegisthus, ut ulciscatur iniurias, quas illius pater Atreus suo patri Thyestae fecerit, Ag. 1604 sq.[3]

Adnot. 1) Hae fabulae cum ad gentem quandam pertineant, fortasse maiore iure ad B (§ 114 sq.) referendas eas mihi esse quispiam dicat. Sed quoniam ampliora eae complectuntur plerisque fabulis gentiliciis atque earum Aeschylea plurima servata sunt, aptius certe mihi videbatur huc eas referre.

2) De hac nominis forma vide § 123 adn. 1.

3) Cf. § 128.

b) Nuntius Troiae captae et Agamemnonis navigatio.

§ 103. Ut quam celerrime Clytaemestra certior fiat de Troiae excidio, in locis inter Troiam et Argos longum prospectum praebentibus speculatores instituti sunt, qui, simulatque urbs expugnata sit, alius alii igneis signis hoc nuntient, Ag. 293 sq. Quorum ultimus in ipsius Atridarum domus tecto excubat Ag. 1 sq. Is a Clytaemestra hoc sibi imperatum esse ait Ag. 10 et iam totum annum se vigilasse v. 2. Hanc nuntiandi rationem sibi cum Agamemnone convenisse, Clytaemestra dicit Ag. 328. Comperit igitur Clytaemestra, Troiam esse captam, istis signis igneis Ag. 22 sq. Regina valde se gaudere hoc nuntio simulans multa sacra facit Ag. 87 sq. et tunc etiam populo nuntium illum refert Ag. 276 sq.

Interea Agamemnon Troia renavigat; satis celeriter, sed una tantummodo cum navi, Argos advenit Ag. 666 sq. Nam gravi tempestate in mari Aegaeo (Ag. 664) orta multae Achivorum naves franguntur Ag. 653 sq. Ita a ceteris disiunctus Agamemnon primus Argos venit 666 sq.

c) Adventus Agamemnonis.

§ 104. Ipsum Agamemnonis adventum Aeschylus proponit Ag. 774 sq. Laete eum consalutant senes Argivi 774 sq. et simulans laetitiam Clytaemestra 846 sq. Ipse rex primum diis patriis gratias agit. Tum salute accepta redditaque domum intrat, transgrediens vestes purpureas quas uxor prosterni iussit Ag. 897 sq. Simul cum Agamemnone advenit Cassandra captiva, quae ei e praeda obtigit. Ut benigne eam recipiat, commendat rex uxori Ag. 941. Iubet eam Clytaemestra domum intrare Ag. 1019 sq. Sed ne verbum quidem respondet Cassandra, ita ut indignata poenasque minata Clytaemestra recedat 1048 sq. Tunc vehementer lamentatur suamque et Agamemnonis sortem vaticinatur Cassandra 1056—1329.

d) Agamemnonis caedes.

§ 105. De ipsa Agamemnonis caede haec exstant apud Aeschylum. Redeunti marito balneum parat Clytaemestra Ag. 1095, 1119, 1540 (*ἀργυρότοιχος δροίτη*), Ch. 489, 997, 1069, Eum. 464, 636. Atque ibi statim post adventum lavantem eum ipsa sua manu, Ag. 1404, 1383, 1635, 1643 sq., tribus ictibus[1], Ag. 1383 sq. cf. 1344, occidit, postquam veste quadam artificiose laqueis instructa tamquam plaga superiecta eum irretivit Ag. 1103, 1117, 1381, 1493, Ch. 490 sq., 979 sq. (ubi civibus monstrat vestem illam Orestes), 995 sq., 1009, 1013, Eum. 463, 637. Ceterum de caede illa cf. Ag. 1097, 1230, 1342 sq., 1643 sq., Eum. 634 sq., 463 sq. Una cum Agamemnone etiam Cassandra trucidatur Ag. 1129 sq., 1147 (*ἀμφήκει δορί*). Corpus Agamemnonis a Clytaemestra detruncatum (*ἐμασχαλίσθη*), Ch. 438[2], et sine ulla pompa clam defossum esse, Electra queritur Ch. 429 sq. (Cf. Ag. 1553).

Clytaemestra hac nece poenas se sumpsisse a coniuge contendit propter interfectam filiam Iphigeniam Ag. 1412 sq., 1526 sq. Consilium interimendi Agamemnonis Aegisthus se cepisse dicit, ut ulciscatur quae fecerit Atreus Thyestae, Ag. 1577 sq., 1604 sq., 1222 sq.[3]

Adnot. 1) De telo, quo utitur Clytaemestra, hi loci comparandi sunt: *ἀμφιτόμῳ βελέμνῳ* Ag. 1497, Ag. 1119 (*τύπτει*), 1342 (*πέπληγμαι*), 1383 (*παίω* sc. ter). Ch. 1009 autem gladius (*ξίφος*) Aegisthi ut caedis Agamemnonis instrumentum ostenditur. Aut igitur gladium ad feriendum adhibitum *βέλεμνον* dici, aut non satis constare sibi poetam, nobis putandum est. Praefero ego illud, cum etiam Clytaemestram ab Oreste gladii Eum. 42 ictibus Eum. 595 occisam esse Aeschylus fingat. Cf. § 111. Neque igitur recte mea sententia Robertus (Bild und Lied, p. 176) et Mayerus (de Eurip. mythopoeia, diss. Berol. 1883, p. 36) apud Aeschylum telum illud esse bipennem explicant.

2) Idem de corpore Agamemnonis dicit Sophocles El. 445. Ubi scholiastes adnotat: *εἰώθεσαν οἱ δρῶντες ἐμφύλιον φόνον ἀκρωτηριάζειν τοὺς ἀναιρεθέντας ἐκ παντὸς μέρους τοῦ σώματος ἀποτεμνόμενοι, περιάπτειν ἑαυτοῖς τὰ ἄκρα συναίραντες, διὰ τούτων ὥσπερ τὴν δύναμιν ἐκείνων ἀφαιρούμενοι διὰ τὸ μὴ παθεῖν εἰς ὕστερόν τι παρ' ἐκείνων δεινόν· ἐφόρουν δὲ εἰς τὰς μασχάλας τὰ ἄκρα, ὃ καὶ μασχαλίσαι ἔλεγον. ἄλλως. ἐπὶ ταῖς καθάρσεσι τοῦ φονευθέντος τὰ ἄκρα ἔτεμνον, καὶ περὶ τὴν μασχάλην αὐτοῦ ἐκρέμαζον αὐτά, ἵνα, φασίν, ἀσθενὴς γένοιτο πρὸς τὸ ἀντιτίσασθαι τὸν φονέα· καὶ Ἀπολλώνιος* (Argon. 4, 477) '*ἐξάργματα τέμνε θανόντος*' *τοῦ Ἰάσονος*. Conferendus Hesychius (s. v.) *μασχαλισθῆναι· ἀνηρτῆσθαι ἐκ τῶν μασχαλῶν*. Idem aperte censet schol. Aeschyl. Ch. 439 (— *τοῦ Ἀγαμέμνονος μὴ δυναμένου σοι συμμαχῆσαι πρὸς τὴν τιμωρίαν Κλυταιμήστρας*). Disseruit de hoc more Naegelsbachius, Nachhomer. Theol. p. 359. Cui dubia videtur esse grammaticorum veterum explicatio, cum dicat: 'Die Deutung des *μασχαλίζειν* hat mir noch nicht gelingen wollen. Doch hat vielleicht der Schol. zu Soph. recht'. Mihi probabilius nihil esse ista veterum interpretatione videtur, quam receperunt etiam Schneidewinus (ad Soph. l. l.), Dindorfius (in Steph. thesaur. s. v.). Confirmat eam mea sententia id quod Aeschylus addit: *μόρον κτίσαι μωμένα ἄφερτον αἰῶνι σῷ*, quae verba recte mihi (et Hermanno ad h. l.) videtur explicare scholiastes. Cf. etiam Aesch. frgmm. 376 et 381.

3) Cf. §§ 121, 128.

e) Aegisthi et Clytaemestrae imperium.

§ 106. Chorus, i. e. populus Argivorum, quamquam initio graviter commotus caede regis ('*ἀνδρὸς θείου*' Ag. 1547) reprehendit vehementer necatores Ag. 1398, 1406 sq. (1426 sq.,

1469 sq., 1482 sq.), 1612 sq. (1625 sq., 1633 sq., 1643 sq.) minaturque ultionem neque se passurum esse affirmat Aegisthi tyrannidem Ag. 1651—fin. (cf. 1633, 1350, 1363), tamen postea illius et Clytaemestrae imperio se subicit, ut ex 'Choephoris' apparet, ubi regnum Argivorum illi obtinent. Superbam eorum dominationem esse sive crudelem (quae timorem populo iniciat), chorus indicat Ch. 53 sq.[1] Sic vi et severitate conaturum se esse ἄρχειν πολιτῶν ipse Aegisthus professus est Ag. 1638 sq. Agamemnonis divitiis illi potiuntur Ag. 1638 (eius πόνοισι χλίουσι μέγα Ch. 137). Filia autem Agamemnonis Electra a matre eiusque amico sicut serva, Ch. 135, turpissime tractatur Ch. 443 sq. (κυνὸς δίκαν 445)[2].

Adnot. 1) Sic enim recte mea sententia haec verba cum scholiasta interpretatur Hermannus.

2) Nam hoc ad Electram pertinere eique haec verba tribuenda esse, sine dubio C. O. Muellero assentiendum est.

f) Orestis apud Strophium peregrinatio, Pyladis amicitia.

§ 107. Iam, cum adventat Agamemnon, Orestes Argis non adest. Quem educandum se tradidisse Strophio Phocensi, Agamemnonis hospiti, Clytaemestra dicit, qui monuerit periculorum quae a populo filio regio rege absente immineant Ag. 870 sq. Re vera autem domo eiectum eum esse a matre, ne impedimento sit ei cum amico versanti et ut patrimonio privetur, e Choeph. vv. 912 sq. elucet. Dicitur Orestes φυγὰς ἀλήτης τῆςδε γῆς ἀπόξενος Ag. 1281; similiter de se ipse Orestes: 'redii τὸν πρὸ τοῦ φεύγων χρόνον' Eum. 465. Strophium Phocensem mandasse sibi, ut mortem Orestis nuntiaret, simulat Orestes Ch. 673, et Phocense genus linguae se usurpaturum esse dicit Ch. 562. Neque abhorruisse Aeschylum a vulgari fabula in eis, quae ad Orestis et Pyladis, Strophii filii, amicitiam attinent, inde colligi potest, quod in 'Choephoris' comitatur Orestem Pylades (vide Ch. 20, 560, 898).

g) Oraculum ab Apolline Oresti datum.

§ 108. Apollo ipse oraculo Oresti imperat, ut matrem occidat patris mortis vindicandae causa Ch. 268 sq., 899, 939,

1027 sq., Eum. 468 sq., 597, 800 sq., quod ipse fatetur deus Eum. 84, 203, 582. Promittit Oresti, si obsecutus sit ei imperato, sese effecturum esse, ut poena liberetur; si non oboediverit, gravissimis suppliciis (agrorum sterilitate, aegrotatione cet.) se eum persecuturum esse minatur Ch. 268 sq., 1029 sq., Eum. 468 sq. Quin etiam Iovem ipsum, ut omnium oraculorum[1], sic huius auctorem esse, Apollo dicit Eum. 619 sq., cf. 800, Ch. 258.

Adnot. 1) Cf. § 5.

h) Somnium Clytaemestrae.

§ 109. Proxima nocte antequam Argos redit Orestes patris necem ulturus, Clytaemestra hoc videt somnium: 'draconem parere sibi videtur, qui mammae admotus simul cum lacte sanguinem bibit' Ch. 525 sq. (cf. 927, 540 sq.). Hoc somnio territa regina, ut vitet perniciem quam sibi imminere suspicatur, prima luce coniugis necati manibus inferias offerri iubet Ch. 521 sq., 586, 22 sq.

i) Orestis et Electrae cognitio.

§ 110. Illo die mane cum Pylade (v. 20) amico Argos advenit Orestes atque ad patris sepulcrum cincinnum capilli sui consecrat Ch. 1 sq. Dum ibi preces facit, Electra cum ancillis appropinquat Clytaemestrae iussum exsecutura. Quas cum viderint, post tumulum recedunt Orestes et Pylades Ch. 20. Electra inferias offerens, v. 83 sq., cincinnum illum reperit, 165 sq., cognoscitque, suo ipsius crini esse istum similem, itemque suis similia existimat vestigia in arena reperta 204 (227). Iam speranti fratrem adesse procedit Orestes, 211, declaratque, se esse eum qui exspectetur, 216, tollitque omnem eius dubitationem monstrata veste, quam ipsa quondam texuit, 230. Tum gaudio gestiens eum consalutat Electra 237 sq., multaque simul cum ancillarum choro precati diis et patris Agamemnonis manibus 245 sq. (cum alia tum ut somnium Clytaemestrae eveniat 538 sq.), conveniunt de ratione Clytaemestrae et Aegisthi interficiendorum 552 sq.

k) Mors Aegisthi et Clytaemestrae.

§ 111. Orestes hoc sibi esse consilium ait. Tamquam hospites cum sarcinis ad portam se venturos esse atque Aegi-

sthum percontaturos 552 sq. Quem si repperit in patrio solio, se occisurum esse, priusquam quaerere possit, quis et unde hospes veniat, 569 sq. Electra interea intra, ancillae extra domum quae opus sint observantes, se adiuvent 577 sq. Atque ut constitutum est, ita fit. Fores pulsantibus famulus aperit 649 sq. Et ipsa Clytaemestra eos excipit 664. Cui dicit Orestes, e Phocide se venisse 670, mandatum sibi a Strophio, cui (ad id tempus ignoto) forte occurrerint, ut nuntiaret Argis parentibus Orestem mortuum esse, 671 sq. Specie vehementer dolet hoc nuntio Clytaemestra 687 sq.[1] Nihilominus comiter, ut domum intrent, hospites invitat 703 sq. Aegisthus non intus est. Quem (ὡς ἀνὴρ ἀπ᾽ ἀνδρὸς τὴν νεάγγελτον φάτιν πύθηται) arcessere Cilissa nutrix iubetur 730 sq. Sed ne veniat sine satellitibus armatis, Clytaemestra diffidens mandat 765. Sed nutrici (quae multis mortem alumni lamentatur 736 sq.) solatium afferentes tectis veri notationibus, 771 sq., facile persuadent ancillae, ut solum Aegisthum arcessat, 777. Hic vix intravit domum (853), cum ab Oreste trucidatur 868, 874 sq. Clamante famulo accurrit Clytaemestra[2] 884. Quae cum divinaverit magis quam compererit, quae fiant, quam celerrime securem sibi dari iubet 888, ut ipsa contra filium Aegistho auxilium ferat. Sed iam Orestes prodit ipsam matrem quaerens 891. Quae cum videat iam mortuum esse Aegisthum 892, precibus animum filii movere conatur obsecrans eum, ut parcat uberibus, quae ipsum quondam nutriverint, 895 sq. Cunctantem Orestem Pylades Apollinis oraculi admonet 898 sq. Cui obtemperat Orestes, 902, et matrem, quae frustra excusare conatur sua flagitia 907 sq., ξίφει, Eum. 42, collum feriens, Eum. 595, occidit Ch. 929 (cf. Eum. 466).[3]

Adnot. 1) Simulatum esse hunc matris dolorem, recte Weilius mihi videtur observasse. Cf. etiam Fleischmann., Jbb. f. Philol. 115 p. 527. Tota Clytaemestrae indoles, de qua vide § 123, hoc indicat.

2) Discessit igitur ea antea ab hospitibus.

3) Hoc fieri intra domum (iuxta Aegisthi corpus, 903), existimandum est, cum in ipsa scena necem fieri mori Aeschyleo non conveniat.

l) Orestem Furiae exagitant.

§ 112. Paene continuo peracta caede Furiae apparent. Orestes factum suum defendens et excusans Ch. 971 sq., mentem

suam perturbari sentit, 1019 sq., et paulo post Furias ipsas appropinquantes videt 1046. A quibus exagitatus profugit 1060 (mare et terras pererrat Eum. 77, 240, 249), *προσιζόμενος ξὺν θαλλῷ* (*ἐλαίας* lana redimito Eum. 43) *καὶ στέφει μεσόμφαλον ἵδρυμα, Λοξίου πέδον* 1033, ut Apollo iussit 1036. Delphos cum pervenerit et in Apollinis templum confugerit, ab ipso deo (*πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ*) *καθαρμοῖς χοιροκτόνοις* Orestes purgatur[1] Eum. 280 sq., 580 sq., 448 sq., cf. 237 sq., 477. Deinde pollicitus sese eum non proditurum esse Eum. 64 sq., Apollo ei mandat, ut Athenas confugiat ibique ad Minervae simulacrum supplex considat. Ibi se inventurum esse, qua ratione in omne tempus laboribus eum liberet 79 sq. Mercurio fratri, ut eum prosequatur, mandat Eum. 90. Furias autem, quae usque in ipsum templum Orestem persecutae, dum ille ad aram sedet, paululum obdormiverunt Eum. 46 sq., a Clytaemestrae autem umbra excitantur 94 sq., Apollo aspere e fano suo expellit 179 sq. Orestes denuo exagitatus a Furiis denuoque multas terras pervagatus, simul cum illis persequentibus Athenas pervenit Eum. 235 sq., 244 sq.

Adnot. 1) Cf. de hac et similibus purgationibus C. O. Mueller., ed. Eum. p. 134 sq. (praec. p. 150), Naegelsbach., Nachhom. Theolog. p. 359.

m) Orestes Athenis culpa liberatur.

§ 113. Ante simulacrum Minervae procumbens Orestes deam implorat, ut ab Apolline iussus est, Eum. 235 sq. Procul eum audit Minerva atque advolat, ut cognoscat, quid sit quod Furiae et Orestes in templo suo velint 400 sq. Dicunt pro sua uterque parte et Furiae 418 sq. et Orestes 446 sq. Difficillimam esse hanc rem ad diiudicandum dea fatetur 473 sq.; cum autem utique discernenda sit, iudicium se instituturam esse iuratorum optimorum civium suorum, quale in perpetuum (cf. 575, 686 sq.) in eiusmodi causis adhibendum sit 485 sq. Atque ita fit. In Areopagum, 693, convocatis iudicibus, Minerva iudicio praesidens, 585, causas dicere et Furias, quae accusatoris partes agunt, et Apollinem, qui Orestem defensurus advenit, 579, iubet 569 sq. Interrogatus Orestes non negat, necem matris se commisisse, sed causam sibi fuisse patris vindictam ab Apolline sibi imperatam[1], 591 sq. Ampliora ad eum defendendum Furiis respondet

Apollo 617 sq. Tum suffragia ferri Minerva iubet 677, 711, simul disertis verbis instituens hoc Areopagi iudicium Atheniensibus in perpetuum servandum et colendum 684 sq. Suum vero esse *λοισθίαν κρῖναι δίκην* 737; atque se ipsam suffragium suum Orestae additaram esse 738. Victurum autem esse Orestem, etiamsi par futurus sit calculorum damnantium et liberantium numerus 744. Atque hoc ipsum fit 756, liberatumque eum esse Minerva declarat 755.[2] Orestes gratias agit Minervae semperque Argivos fidos socios fore Atheniensibus pollicetur 757 sq. (cf. 674). Furiae primum moleste ferentes hunc iudicii eventum, 781 sq., gravia minatae Atticae terrae 784 sq., tandem placantur, 893 sq., a Minerva, quae sedem et cultum eis in eadem sua civitate fore promittit 807, 836 sq., 854 sq., 888, 893 sq., et condicionem hanc accipiunt, 917 sq., multaque bona et salutaria civibus Atheniensibus promittunt atque exoptant 923 sq., 939 sq., 957 sq., 977 sq., 997 sq., 1015 sq. Huc nomen quoque fabulae pertinet '*Εὐμενίδες*', et hanc in ipsa fabula appellationem Furiis a Minerva datam esse grammatici tradunt.[3] Decedentes eas prosequuntur virgines sacerdotes Minervae faces gerentes multa cum veneratione 1022—fin.

Adnot. 1) Cf. § 108.

2) Paucis hic mihi perstringenda est quaestio illa celeberrima, ut ita dicam, de calculo Minervae instituta, quae a doctissimis nostrae aetatis viris magno cum studio tractata est. Nam si singula, quaecunque ad eam discernendam sunt allata (quorum multa remotissima ac plane aliena sunt), hic recensenda mihi esse putarem, nimis longe a proposito meo aberrarem. — Hoc certe mihi constare videtur, verba Aeschyli ipsa non satis aperte prodere, quae eius sententia fuerit, utrum 'parem iam factum esse illum numerum sine Minervae calculo i. e. parem esse numerum iudicum', an 'illo calculo ipso addito parem suffragiorum numerum fieri, i. e. imparem numerum iudicum esse'. Neque, si aliter res se haberet, fieri potuisse puto, ut tanta exsisteret diversitas sententiarum virorum doctissimorum, acutissimorum, elegantissimorum. Negari non potest, nostrae aetatis hominum cogitationi multo aptiorem videri illam priorem sententiam (paris iudicum numeri, ita ut Minervae calculo maior fiat liberantium suffragiorum numerus). Nec mirum, quod plures, quod quidem videam, hanc defendunt. Dico C. O. Muellerum (ed. Eum. p. 161), Schoemannum (ed. Eum. p. 77), Haymium (diss. 'de rerum divinarum apud Aeschylum condicione', Hal. 1843 p. 40 sq.), Schneidewinum (ed. Soph. Electr. praef. p. 11), Weckleinium (Philol. 43 p. 712), cet. (vide Haym. l. l.). Altera sen-

tentia est Godofredi Hermanni (opp. VI p. 189 sq. et ed. Aesch. II p. 623, ad Eum. v. 726 sq.). Quem sequuntur Fritzschius, Genellius cet. (vide Haym. l. l.), Kirchhoffius (Monatsber. der Berlin. Akadem. 1874 p. 105 sq.), Zawadzkius ('die Anzahl der Areopagiten in den Eum.', Progr. Ruhrort 1884). **Atque hos recte censere mihi quidem prorsus persuasit hoc unum Kirchhoffii argumentum** (l. l. p. 111), quod 'eum qui Areopagi iudicio praeerat (sc. *ἄρχοντα βασιλέα*) postero tempore re vera cum ceteris iudicibus suffragium ferre (id quod in nullo alio iudicio erat) eiusque suffragio addito parem calculorum numerum liberationem efficere' demonstrat. Hac in fabula huius *ἄρχοντος βασιλέως*, cui Areopagi iudicii praesidium erat, partes a Minerva agi manifestum est. — Cetera quaecunque ab utraque parte afferuntur argumenta ad hanc quaestionem discernendam fere nihil valere censeo.

3) Vide hypothesin Eumenidum et Harpocrat. s. v. *Εὐμενίδες* Neque vero in tragoedia, qualis nobis servata est, haec scena, ne vox quidem *Εὐμενίδες*, usquam praeter titulum invenitur. Persuasit igitur mihi Hermannus (opp. II p. 133 sq., VI p. 117 sq., ed. ad v. 1009), lacunam alicubi statuendam esse, neque improbabile est, quod proposuit Hermannus, consentit Schoemannus, post v. 1027 versus illos excidisse.

B. Fabulae quae ad singulos homines sive gentes pertinent.

I. Priamus et Priamidae.

a) Priamus[1].

§ 114. *Πριάμου πόλις* Troia nominatur Ag. 132, 279, 712.[2] Priamum Graecorum expeditio petit Ag. 40. Sacrificia multa pro urbis salute a patre suo facta esse nec tamen quidquam profuisse, Cassandra queritur Ag. 1167. In scenam prodibat Priamus ipse in fabula Aeschyli nobis perdita, cui nomen erat *Ἕκτορος λύτρα*, de qua vide § 95.

Πριαμίδαι memorantur Ag. 542, ubi *διπλᾶ*[3] *θἀμάρτια* illos luisse dicitur, totam domum *πανώλεθρον αὐτόχθονον*[4] periisse, et Ch. 934, ubi similiter poenas eos dedisse legimus.

Adnot. 1) Incerta quaedam etiam de Priami proavis apud Aeschylum exstant. Erichthonius, Iovis et Electrae filius, frg. 437 (de quo vide § 8 adn. 24) commemoratur. — Cum vero *Τευκρὶς αἶα* dicit Ag. 114, admodum dubium est, num de Teucro Priamidarum proavo (cf. Steph. Byz. s. v. *Τευκροί*) cogitaverit Aeschylus.

2) Nomina ipsius urbis apud Aeschylum sunt *Τροία* (*Τρωΐα*

Ch. 362) et Ἴλιον saepenumero (vide Dind. lex. Aesch.). Πόλις γεραιά ea dicitur Ag. 712. Terra Ἰλιὰς γῆ Ag. 460, Τευκρὶς αἶα Ag. 114 (cf. adn. 1); populus Τρῶες Ag. 67 (cf. Ag. 346), Φρύγες in titulo cet. 'Phrygum' fabulae dicuntur. — Etiam flumina Troiana apud Aeschylum commemorantur: Σκάμανδρος Ag. 516, 1156, Ch. 356, Eum. 401, frg. 311; Σιμόεις Ag. 699.

3) Dupliciter, sc. et urbis et gentis interitu. Nam recte ἁμάρτια (similiter ac εὐαγγέλια pro praemio εὐαγγελίων) τὸν μισθὸν τῆς ἁμαρτίας explicare mihi videtur schol. rec. Cf. Hensium, adn. ad h. l. Non recte, ut equidem censeo, Schneidewinus et Naegelsbachius vertunt 'die doppelte Schuld'.

4) 'Ipsa cum terra' haec vox ab Hermanno, Weilio, Wilamowitzio, plurimis explicatur recte, ut mihi videtur, nec tamen omni sublata dubitatione. Multo minus probabile mihi quidem videtur, quod Schneidewinus profert, conferens incertum frg. 437 (cf. adn. 1) et reponens αὐτοχθόνων (i. e. Priamidorum ex ipsa terra oriundorum). Similiter etiam Naegelsbachius vertit.

b) Hector.

§ 115. De Hectoris et Patrocli pugna in Aeschyli Myrmidonibus agebatur. Vide § 92. In ea Hectorem reversum cum omnibus armis fossam transiluisse Aeschylus dixisse videtur. Vide ibid. adn. 8. Ad Hectoris mortem 'Nereidum' fabula pertinebat. Vide § 94. Ex hac tragoedia fortasse est frg. 440 'tota Troia de Hectoris sorte sollicita[1] erat', qui versus, quamquam sine poetae nomine servatus, tamen Aeschyleus videtur esse.[2] De Hectoris corporis redemptione fabula Aeschylea, quae dicebatur 'Phryges', erat; de qua ampliora vide § 95. Uxor Hectoris Andromache est frg. 260.

Adnot. 1) δέδοικεν pro δέδορκεν scribendum esse mihi persuasum est.

2) Vide Dindorf. ad hoc frg. Cf. § 94 adn. 1.

c) Paris.

Πάρις Ag. 409, 537, 714, 1155 sive Ἀλέξανδρος Ag. 61, 375, ἁρπαγῆς καὶ κλοπῆς δίκην ὀφλών Ag. 539, belli Troiani et Ilii excidii auctor est. Vide de raptu Helenae § 88. Αἰνόλεκτρος dicitur Ag. 714; ἰὼ γάμοι γάμοι Πάριδος ὀλέθριοι φίλων Cassandra lamentatur Ag. 1155.

d) Cassandra.

§ 116. Circa Scamandri ripas, quem dicit *πάτριον ποτόν*, nutrita est Cassandra Ag. 1156 sq. Amore eius captus Apollo artem manticam ei donat Ag. 1201 sq. Virgo autem obtemperaturam se ei esse pollicita eum fallit Ag. 1207. Apollo autem, ut de ea poenam sumat, efficit, ne quisquam credat quaecunque Cassandra vaticinatur Ag. 1211. Sic a suis irridetur (sc. perniciem imminentem praedicens) et ut *φοιτὰς ἀγύρτρια* appellatur *πτωχὸς λιμοθνής* Ag. 1269 sq. Quare ipsa vaticinandi artem suam, quae tamquam furor quidam eam vexat Ag. 1213 sq., 1255, *ὀρθομαντείας πόνον* dicit Ag. 1214.[1] Se quoque iam vatis eius famam accepisse, senes Argivi affirmant Ag. 1083. Ipsam vaticinantem eam Aeschylus in scenam prodeuntem facit in 'Agamemnone' 1056 sq. (cum vatis veste 1269, sceptro, corona 1264).

Troia capta captiva Cassandra Agamemnoni serva datur. Quocum Argos venit Ag. 941, 1019 cet. Comiter eam Agamemnon tractat, Ag. 942, itemque ut excipiat '*ξένην*', petit a Clytaemestra 941. Iam autem haec invida *δούλη* (cf. 1020 sq.), quam acerbe et contemptim dicit *κοινόλεκτρον* Agamemnonis *θεσφατηλόγον, πιστὴν ξύνευνον ναυτίλων δὲ σελμάτων ἰσοτριβῆ* Ag. 1441 sq. (cf. Ch. 917), mortem paratura est. Quam sibi simul atque Agamemnoni imminere praenovit Cassandra Ag. 1129 sq., 1259 sq. (*ἐπίξηνον μένει* [sc. me] *κτλ.* 1276). Sed ultorem quondam venturum esse, simul praedicit 1278 sq. Monstrat choro necatae Cassandrae corpus Clytaemestra Ag. 1441.

Adnot. 1) Cf. Preller.-Robert., Gr. myth. I p. 282.

e) Andromache.

Andromache filia Andraemonis Lyrnesii est. Ex oppido illo uxorem eam duxit Hector frg. 260.[1]

Adnot. 1) Cf. de hoc fragmento § 95 adn. 5.

II. Sarpedon.

§ 117. Sarpedonis mors similiter, atque Il. XVI v. 419 sq. describitur, quin tractata fuerit in Aeschyli fabula deperdita, quae inscripta erat '*Κᾶρες ἢ Εὐρώπη*', mihi quidem dubium

non videtur. Elucet hoc e papyro a. 1879 a Weilio edito.[1] Singula quae constare censeo haec habemus. Filius Sarpedon est Iovis et Europae[2], frater Minois et Rhadamanthi (papyr.). Rex est Carum (tit. cum papyro coll.; cf. adn. 1). — Bello interest Troiano, atque imminet ei periculum (vel potius mors) a viro aliquo fortissimo, Troianorum hoste (papyr., cf. frg. 98). De rebus incertioribus paucis vide adn. 1. — In praetereundo memorat Sarpedonis promonturium (*Σαρπηδόνιον χῶμα*) Aeschylus Supp. 881.

Adnot. 1) Weil, un papyrus inédit de la bibl. de M. Firmin-Didot, Paris 1879. In hoc papyro post paucos Euripidis Medeae versus subsequuntur XXIII versus, quibus inesse Aeschyleum genus dicendi recte sensit Weilius (l. l. p. 22). Atque ex Europa Aeschyli eos esse, quod ibidem iam Weilius de priore parte suspicatus est, novis argumentis demonstravit Blassius (Rh. Mus. XXXV p. 84 sq.), qui etiam non dirimendas esse duas partes orationis — loquitur aperte Europa — adeo probavit, ut Weilius (Revue de Philol. [1880] IV p. 145 sq.) plane illi consentiret aliisque allatis argumentis hanc coniecturam confirmaret. Ac mihi quidem hoc prorsus persuaserunt hi viri docti. Praecipue Weilii (loco posteriore) argumentatio tam praeclara mihi videtur esse, ut eum satis, quae quidem probari possint de hoc papyro, probavisse concedam. Sunt autem haec. Loquitur Europa. Narrat, quomodo a Iove gravida reddita sit (vide § 181). Ei tres filios se peperisse, Minoa, Rhadamanthum, Sarpedonem. (Sine dubio in litteris v. 16 *ΑΔΦΗΔΟΝ Σαρπηδόν'* latet, ut iam in priore editione vidit Weilius.) Nunc de hoc tertio filio valde se sollicitatam esse. Namque in bello illum versari, nuperque se audivisse, iactare virum aliquem fortissimum (Patroclus aperte intellegendus est), Troiam urbem vi expugnaturum sese esse. A quo ne malum aliquid filio suo accidat, vehementer se timere. Cum genus dicendi manifesto Aeschyleum et titulus fabulae perditae 'Europae' nobis traditus sit, ex hac esse versus in papyro servatos, veri simillimum est. Tollitur omnis dubitatio altero titulo '*Κᾶρες*' collato cum versuum horum in papyro servatorum argumento. Nam Lyciorum rex Sarpedon in Iliade est. Carum autem nomen pro Lyciorum dictum esse a tragicis (ut Phryges pro Troianis), testatur Strabo (XIV, 665). Scenae igitur locus Caria patria Sarpedonis est. Chorus e Caribus (senibus ut videtur) compositus erat. Argumentum dramatis videtur simplicissimum fuisse. In Sarpedonis morte, ut videtur, totum versabatur. Concinunt cum tali argumento etiam fragmenta alias servata (frg. 98, 99 Dind.). Compositionem similem fuisse ac Persarum putandum est. In fine dramatis corpus Sarpedonis allatum fuisse veri simillimum est, cum in patria Sarpedonis scenae locus sit. Neque discessisse Aeschylum ab Iliadis) traditione (XVI, 671 sq.), ubi *Ὕπνος* et *Θάνατος* hoc negotii

exsequuntur (cf. Robert., Bild und Lied, p. 117) usui Aeschyli fabularum tractandarum, qualem plerumque videmus, consentaneum est. Assentiuntur in universum Weilio et Blassio Gomperzius (Wiener Stud. 1881 p. 16 sq.), Weckleinius (Burs. Jb. 1879 [Berol. 1881] p. 44 sq. et Philol. 39 p. 414 sq.), Robertus (l. l.). Quae prolatae sunt a Buechelero (Rh. Mus. 35 p. 93 sq.), Bergkio (ibid. p. 248 sq.), Kockio (ibid. p. 272 sq.), Schenkelio (Z. f. östr. Gymn. 1880 p. 75), Cobeto (Mnemosyne 1880 N. S. VIII p. 64) de hoc papyri fragmento sententiae diversae, iam satis refutatae sunt a Weilio illa argumentatione, de qua dixi. Quamquam ad singula explicanda (praecipue ad singulorum vocabulorum scripturam valde corruptam emendandam) aliquid unusquisque fere horum vv. dd. contulit.

2) Cf. § 181.

III. Atridarum domus.

a) Tantalidarum ἄτη.

§ 118. Funestum quoddam fatum sive genium infestum domui Tantalidarum insidere et unamquamque eius gentis aetatem ad alia atque alia facinora compellere, semel atque iterum Aeschylus commemorat. Culpa tamquam hereditate quadam liberis traditur sive propagatur Ag. 1185 sq., 1469 sq., Ch. 1063 sq., cf. Ag. 1559 sq., 1564. Variis utitur vocibus ad hanc domus furiam, ut ita dicam, significandam. *Πρώταρχον ἄτην* dicit Ag. 1191, Ch. 1073 *ποῖ καταλήξει μένος ἄτης* (sc. Atridarum, cf. 1063 sq.), *ἀτηρὰν ἀκόρεστον τύχην* Ag. 1484, *τὸν τριπάχυντον*[1] *δαίμονα γέννης* Ag. 1477, *μέγαν δαίμονα καὶ βαρύμηνιν* 1482 sq., *δαίμονα τὸν Πλεισθενιδᾶν* Ag. 1568, *δαίμονος* unguis icit (sc. Atridarum gentem) Ag. 1660.[2] — Furiarum chorus hanc domum nunquam relinquit Ag. 1185 sq.[3] *Μισόθεον συνίστορα πολλὰ αὐτοφόνα κακά κτλ.* Atridarum domum Cassandra dicit Ag. 1075; cf. 1196 (*παλαιὰς τῶνδ' ἁμαρτίας δόμων*).

Adnot. 1) *τριπάχυντον* (supra modum pastum sanguine daemonem gentis) probabiliter Bambergerus (opp. p. 155) pro tradito *τριπάχυιον* reposuit.

2) Cf. etiam '*ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ Ἀτρέως*' Ag. 1502.

3) Cf. etiam Ag. 1105 '*στάσις δ' ἀκόρεστος γένει κατολολυξάτω κτλ.*', quod de Furiis dictum esse veri mihi simillimum videtur, quamquam etiam fieri posse concedo, ut '*στάσις*' pro '*στάσεως δαίμων*' dixisse Aeschylum explicetur. — Quae inter *ἄτην* et Furias sit necessitudo, vide §§ 64 et 70.

b) Tantalus.

§ 119. *Ταντалίδαι* Atridae dicuntur Ag. 1470. Ipsum introduxit Tantalum Aeschylus in 'Niobe', fabula deperdita, dicentem, agros per duodecim dierum iter patentes se arare in finibus Berecyntiis frg. 155 (a); nec tamen nimis confidendum esse rebus humanis; nam fortunam suam in caelo versantem humum concidere frg. 155 (c). Praeterea a Niobe memorantur *οἱ περὶ Τάνταλον — οἱ θεῶν ἀγχίσποροι | οἱ Ζηνὸς ἐγγύς, ὧν — Διὸς πατρῴου βωμός ἐστι' κτλ.* frg. 155 (b).[1]

Adnot. 1) Cf. § 177.

c) Pelops.

Atreus et Atridae *Πελοπίδαι* sunt Ag. 1600. Sic *Πελοπιδῶν σπέρμα* Electra se et Orestem dicit Ch. 501. — *Πέλοπος τόποι* Eum. 706 Peloponnesus dicitur.[1]

Adnot. 1) Cf. etiam Kramer., de Pelopis fabula, diss. Hal. 1886 pag. 18.

d) Plisthenes.

§ 120. Atreum eiusque genus '*τὸ Πλεισθένους γένος*' Aeschylus appellat Ag. 1602, item Atridas *Πλεισθενίδας* Ag. 1568. Aeschylus autem Plisthenem aut maiorem Atreo aut eundem cum Atreo[1] putabat, quod et Ag. 1602 postulat et Ag. 1583, ubi non ambigue Atreus Agamemnonis pater dicitur.[2]

Adnot. 1) Haec sententia est Keckii (ed. Ag. praef. p. 5 adn. 1), cf. Weckleinium (Philol. XXXIV p. 342), illa Welckeri (Gr. Trag. II, 678 sq.). Tertiam viam ingreditur Voigtius (diss. Hal. vol. VI (1885) p. 459 sq.). Qui fusius de hac quaestione disputans, neque maiorem Atreo neque illius cognomen Plisthenem ab Aeschylo putari potuisse, censet, cum paene omnia quae ad nos pervenerint veterum testimonia Plisthenem Atrei filium nominent (excepto uno schol. Pind. Ol. I, 144). Quamobrem Aeschylum in hac re sibi non constitisse suspicatur, qui tum Homerum secutus Agamemnonem Atrei filium, tum Stesichori (quem ab Hesiodo [vide adn. 2] non abhorruisse pro certo putat Voigtius) carminis recordatus *Πλεισθενίδην* eum dixerit. Satis sagaciter hoc quidem excogitatum est. Sed scientem Aeschylum sibi admisisse tantam discrepantiam, ut duos diversos patres uni homini daret, nobis putandum esset. Insciens enim vix potuit, praesertim cum exiguo tantum spatio interiecto versus isti se excipiant. Multo probabilius mihi quidem videtur, Aeschylum aut aliam fabulae formam secutum esse aut ipsum eam immutasse. Ne de Stesichoro quidem quidquam

constat nisi *Πλεισθενίδαν* ab eo significatum fuisse aut Agamemnonem aut Orestem. Cf. Seeliger., Die Ueberl. der gr. Heldensage bei Stes., Progr. Misn. 1886, p. 19. Atque exstitisse re vera fabulae formam a vulgari alienam, testimonium est scholium illud Pindari supra commemoratum, quod filium Pelopis Atreique fratrem Plisthenem dicit.

2) Errasse igitur sive minus accurate scripsisse arbitror Tzetzen (aut eum, unde Tzetzes hoc sumpsit), apud quem legimus in Exeg. Il. (p. 68, 19 sq. ed. Herm. 1812): *Ἀγαμέμνων ὁμοίως δὲ καὶ Μενέλαος, καθ' Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον Πλεισθένους υἱοῦ Ἀτρέως παῖδες νομίζονται, κατὰ δὲ τὸν ποιητὴν καὶ πάντας ἁπλῶς Ἀτρέως αὐτοῦ.* — (p. 69, 3 sq.) *κατὰ δὲ Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον καὶ ἄλλους τινὰς Ἀτρέως καὶ Ἀερόπης Πλεισθένης· Πλεισθένους δὲ καὶ Κλεόλλας τῆς Δίαντος Ἀγαμέμνων, Μενέλαος καὶ Ἀναξιβία· νέου δὲ τοῦ Πλεισθένου τελευτήσαντος, ὑπὸ τοῦ πάππου αὐτῶν ἀνατραφέντες Ἀτρέως, Ἀτρεῖδαι πολλοῖς ἐνομίζοντο.* — Idem fere, ex eodem fortasse fonte haustum, schol. ad Tzetz. Allegor. (Cram. an. Oxon. III p. 378) exhibet: *Ὅμηρος καὶ οἱ πλείους Ἀτρέως φασὶν τούτους, Ἡσίοδος δὲ Πλεισθένους καὶ Αἰσχύλος λέγων· Ἀρᾶτ' ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος.* Id vero ex hoc versu (Ag. 1602) minime esse colligendum, collato v. Ag. 1583, iam supra demonstravi. — Parum igitur accurate Dindorfium explicare (in lex. Aesch. s. v.) Plisthenem 'Atrei filium', iudicandum mihi est.

e) Atreus et Thyestes, Aerope.[1]

§ 121. Atreus e Plisthene prognatus aut (quod veri similius mihi videtur) idem Atreus et Plisthenes apud Aeschylum est. Vide § 120 c. adn. 1.

'Atreus et Thyestes fratres de regno Argivorum (1583) inter se pugnant Ag. 1585. Atreus Thyesten e finibus expellit Ag. 1586.' Haec omnia verba Aegisthi sunt; Thyestae autem adulterium quin significetur Ag. 1192, quamquam tecte et obiter (*εὐνὰς ἀδελφοῦ τῷ πατοῦντι δυσμενεῖς*), dubitari non potest.[2] 'Thyestes fide impetrata redit 1587 sq. Atreus autem per speciem sacrorum solemnium (1592) fratri apponit ipsius eius liberorum mactatorum[3] epulas Ag. 1593, 1241, 1503 (*Ἀτρεὺς χαλεπὸς θοινατήρ*), Ch. 1066, cf. Ag. 1080 sq., 1217 sq. Quem cibum Thyestes comedit 1596. Cum autem suorum filiorum carnem se edisse senserit, de mensa exsilit multaque ac gravia in Pelopidarum gentem exsecratur 1598 sq.' Tota urbs haec flagitia novit 1092, cf. 1241. — Huius nefarii facinoris poenas se sumpsisse patrisque sui Thyestae[4] diras exsecutum esse interfecto Agamemnone Atrei filio[5], Aegisthus pronuntiat Ag. 1603, 1582, cf. 1504.

Adnot. 1) Fusius de his disputavit Voigt., de Atrei et Thyestae fabula, diss. Hal. vol. VI (1885) p. 434 sq.

2) Nomen Aeropes apud Aeschylum non exstat. — Suspicati sunt nonnulli editores etiam v. 1076, ubi tradita est scriptura 'πολλὰ συνίστορα (sc. Atridarum domum) αὐτοφόνα κακὰ καρτάναι', ad Aeropen spectare mortemque eius, quam ipsa sibi laqueo (i. e. suspendio) paraverit, significari. Multa vero obstant tali coniecturae, primum quod omnino non tradita est in veterum reliquiis talis Aeropes mors, deinde quod versus ille aperte corruptus est neque omnino vox 'laqueus' illic ad sententiarum conexum apta videtur esse. Vide praeter cet. fusius hanc quaestionem tractantem Voigtium (l. l. p. 447 sq.), cui in universum assentior. — Neque vero probare possum, quod idem Voigtius p. 442 exponit: „Adulterium Thyestae Cassandra, fratrum de regno certamen Aegisthus commemorat. Habemus igitur elementa fabulae illius, quae Thyesten agno aureo per Aeropen adulterio corruptam potitum de regno cum Atreo contendisse perhibuit." Quamquam longe absum, ut ex argumento illo, quod 'ex silentio' dicimus, concludam, omnino non cogitasse poetam de illo agno, tamen magis dubitaverim, ex 'illis elementis' cum Voigtio, non solum cogitasse de ea fabula Aeschylum, concludere, sed etiam πρώταρχον illam ἄτην (Ag. 1191) esse votum de agno aureo ab Atreo Dianae non solutum (p. 443).

3) Duo liberi mactati intellegendi videntur. Vide § 128 adn. 2.

4) Vide § 128.

5) Vide § 122.

f) Agamemnon.

§ 122. Agamemnon Atrei filius, Ag. 1583, 775, cf. frg. 92, saepius Ἀτρείδης appellatur (vide lex. Aesch. Dind. s. v.). Argivorum[1] rex est Ag. 774, cf. 1634. Regnat simul cum Menelao fratre Ag. 43 (δίθρονος καὶ δίσκηπτρος τιμὴ Ἀτρειδᾶν), 111 (δίθρονον κράτος), cf. Ag. 624. Sceptra eorum διόςδοτα sunt Eum. 629, Ag. 43. Cum Menelao Troianis bellum infert propter raptam Helenam; exercitus duces Atridae sunt, summum imperium autem apud Agamemnonem. Vide §§ 88 et 89. Qui est ἡγεμὼν (ἄναξ) ὁ πρέσβυς Ag. 194, 215, cf. frg. 92. De rebus Aulidensibus vide § 89, de Agamemnonis et Achillis discidio § 91, de reditu eius et morte §§ 102 sq.

Uxor ei est Clytaemestra Ag. 846 sq., 270 (cf. 26), 328, 605 cet.; filiae sunt Iphigenia (vide § 125, i) et Electra (vide § 125, k), filius Orestes Ag. 868 sq.

Pauca denique de moribus Agamemnonis Aeschylei mihi

colligenda videntur. Virum satis modestum nec tamen carentem ea sui ipsius fiducia, ne dicam superbia, qualis convenit regi tantique belli duci victori, verba eum ostendunt, quae dicit Argos reversus Ag. 801 sq. (de modestia et deorum verecundia cf. praec. 801 sq., 909 sq., 913, 925 sq., 935 sq., de sui fiducia 803 sq., 918). Animi eius firmitatem atque etiam acerbitatem et duritiam cum totum bellum tum monstrat Iphigeniae immolatio. Quamquam summo dolore afflictus, Ag. 214, 216 sq., filiam suam mactare mavult quam a bello incepto desistere Ag. 222 sq., cf. § 89. Diversi sunt 'λήμασι' Agamemnon et Menelaus Ag. 126.[2] Nihilominus mitem se praebere dominum studet Agamemnon Aeschyleus, ut verba eius Ag. 941 sq. docent, quibuscum concinit, quod chorus eum dicit εὐμενέστατον Ag. 1453, cf. 1492 (quamquam fremuisse se antea ob initum ab Atridis bellum confitetur Ag. 455 sq.).

Adnot. 1) Argis ante Atridarum palatium scena est 'Agamemnonis' et 'Choephororum' Ch. 741, Ag. 508, 511, 846, 1392, cf. Ag. 801, Ch. 672. Orestes Argivum se esse dicit Eum. 458, cf. Eum. 657.

2) Cf. Hermanni adn. ad h. l.

g) Clytaemestra.[1]

§ 123. Clytaemestra filia est Tyndarei, Ag. 83, et Ledae Ag. 905, uxor Agamemnonis (vide § 122), mater Iphigeniae (vide § 125, i), Electrae (vide § 125, k), Orestis Ag. 868 cet. — Quae ad adulterium et Aegisthi amorem pertinent, vide § 102 et 106, quae ad caedem mariti § 105; de ipsius Clytaemestrae morte vide §§ 109 sq.

Restant pauca de Clytaemestrae Aeschyleae moribus.[2] Vitia eius paene prorsus obscurant virtutes. Laesa coniugis fide adulterium committit. Quare vix ex animi sententia dicere eam explicandum est, quibus caedem suam excusare conatur, dehonestatae sibi prius ab Agamemnone infideli poenas sumendas fuisse Ag. 1439 sq. (γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος κτλ.), Ch. 917 sq.[3] Promptam ac paratam se praebet Clytaemestra ad simulandum et dissimulandum (καιρίως εἰρημένα Ag. 1371). Vide eius orationes Ag. 592 sq., 846 sq., 922 sq. Abiecta omni humanitate non reformidat, brevi ante caedem perpetrandam, tamquam laudans maritum, acerba cum ironia ac ludibrio tecte illud

significare quod sibi iam in animo est Ag. 949 sq. Animum prorsus immanem ostendunt verba, quae dicit nece peracta ad chorum Ag. 1371 sq., quibus quodammodo gloriatur illo facinore (vide praec. 1386, 1390, 1394), et ludibrii plena verba sunt Ag. 1554. Etiam quae de amore suo materno Iphigeniae lamentatur Ag. 1412 sq., 1526 sq., tantummodo simulata esse intellegendum est[4], si comparamus, quomodo se gerat in liberos viventes Orestem (vide § 107 et 111) et Electram (vide § 125, k); ut defendat amatorem, ipsius suum filium armis petitura est Ch. 888. Neque vero abiudicari potest Clytaemestrae strenuus quidam et fortis animus.[5] Vide quae superbe respondet choro Ag. 1400 sq., 1421 sq., 1432 sq., 1657 sq., 1672. Huc enim quodammodo spectat nominis Clytaemestrae etymologia, neque desunt apud Aeschylum quae ad eam alludere videantur. Vide adn. 1.

Adnot. 1) *Κλυταιμήστρα* (neque vulgarem *Κλυταιμνήστρα*) veram ac genuinam huius nominis esse formam, qua certe Aeschylus eiusque aequales usi sint, tot tamque certis et gravibus probavit argumentis Papageorgius ('*Κλυταιμήστρα οὐχὶ Κλυταιμνήστρα*, Constantinop. 1885' et Berlin. philol. Wochenschrift 1886 p. 291 et 955), ut facere non possim, quin cum Weckleinio (Berlin. philol. Wochenschr. 1884 No. 31 et 32 Beil., Burs. Jbb. 1884, 1, 122) et Vitellio (Berl. philol. Wochenschr. 1886 p. 955) hanc utique formam recipiam. Neque scio, an recte suspicentur hi viri docti (W. et P.), etymologiam nominis respici in his Clytaemestrae epithetis: *μεγαλόμητις* Ag. 1426, *ἀνδρόβουλον* eius *κέαρ* Ag. 11, cf. Ag. 1085 *τί ποτε μήδεται*, Ch. 989 *ἥτις δ' ἐπ' ἀνδρὶ τοῦτ' ἐμήσατο στύγος*. Solet enim Aeschylus ad nominum etymologiam alludere, ut de Prometheo Prom. 85, de Helena Ag. 692 sq., de Polynice saepius, vide § 152. — Idem, quod in Clytaemestram, valet in Hypermestram.

2) Uberius de moribus Clytaemestrae Aeschyleae disseruit Fleischmann., Jbb. f. Phil. 115 p. 513 sq. Praeterea cf. Franz., Aeschyl. Orest. praef. p. XXV sq., Schoemann., ed. Eum. p. 11 sq., G. Günther., Grundzüge der trag. Kunst p. 85 sq.

3) Quibus minime nego re vera invidam eam (sc. Cassandrae) ab Aeschylo fingi. Rectissime clarissimeque hanc eius indolis rationem explicat Fleischmannus (l. l. p. 517).

4) Aliter censent Engerus (Ag. praef. p. 15, cf. 19), Planckius (Progr. Ulm. 1859), cui laudem tribuit Weckleinius (Philol. XXXIV p. 344 sq.). [Ipsam Planckii dissertationem inspicere mihi non licuisse doleo.] Sed recte eorum refutavit sententias Fleischmannus (l. l. p. 519 sq.), Welckerum (tril. append. p. 160) secutus. — Neque Schoemanno assentiri possum putanti (l. l. p. 17, cf. p. 3, 12), quae tam immanem

se gerat in ceteros liberos, ei tamen re vera interficiendi coniugis causam fuisse amorem filiae illius immolatae.

5) 'Kl. tritt mit dem ganzen Stolz eines grossartigen, in das Gebiet des Männlichen hinüberspielenden Charakters auf.' Franz. (l. l. p. XIV). Cf. Fleischmann. (l. l. p. 523).

h) Orestes.

§ 124. Orestes filius Agamemnonis et Clytaemestrae est Ag. 868 cet. Nutrix eius, cui nomen est *Κίλισσα* Ch. 728, in scenam prodit Ch. 730 sq., lamentans de morte alumni sui quae perhibetur. De educato apud Strophium Oreste et de Pyladis amicitia vide § 107, de matricidio eius, Furiarum exagitatione, absolutione §§ 108 sq.

Etiam quales mores Orestis Aeschylus sibi finxerit, satis ex illarum rerum narratione patet. Praeter cetera observatione dignum est, quod Orestes identidem profert, deorum se imperio ad matricidium impelli. Sic etiam cunctatur gladium inferre. conspectis matris uberibus Ch. 898, donec de Apollinis oraculo monetur 899 sq. — Laudat Orestis factum chorus Ch. 1042 (cf, 945 sq. '*Δίκη* eum adiuvit'), quem, quamquam partis eius studiosus est, Aeschyli ipsius iudicium pronuntiare, tota harum fabularum tractatio docet.

i) Iphigenia.

§ 125. Iphigenia filia Agamemnonis et Clytaemestrae est Ag. 1526 sq., 1417. Quae singula narrat Aeschylus de eius immolatione vide § 89. Cf. ibid. adn. 3 de fabulis perditis 'Iphigenia' et 'Sacerdotibus'. De simulato Clytaemestrae matris amore vide § 123. Meminit eius *τυθείσης νηλεῶς ὁμοσπόρου* Electra Ch. 241.

k) Electra.

Electra filia Agamemnonis et Clytaemestrae est (Orestes sororem eam dicit, praeterea cf. multos tales locos, quales sunt Ch. 429, 432, Ch. 130, 133 sq. cet.). Introducit Aeschylus eam in 'Choephoris'. A matre sua et Aegistho foedissime se tractari queritur Ch. 443 sq.[1], 135. Cf. § 106. Quare non mirum est, infensam eam esse in matrem suam Ch. 240, 100, cf. 140, mor-

temque eius et Aegisthi precibus a diis exposcere, Ch. 144, Orestique matricidium perpetraturo omni modo subvenire. Vide de Orestis et Electrae cognitione, ultionis consilio cet. § 110 sq.

Adnot. 1) Cf. § 106 adn. 2.

1) Menelaus.

§ 126. Menelaus, Atrei filius Ag. 60, simul cum Agamemnone fratre (ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν) Argis regnat (διθρονος καὶ δίσκηπτρος τιμή) Ag. 42 sq., 111 (δίθρονον κράτος); τῆςδε γῆς φίλον κράτος Argivi eum dicunt Ag. 624. Sceptra eorum fratrum διόσδοτα sunt Eum. 629, Ag. 43.

Uxorem Menelai Helenam[1] Paris rapit. Vide § 88. Hoc dolenti Menelao ἔρρει πᾶσ' Ἀφροδίτη Ag. 428. Ignominiae talis poenas repetituri bellum comparant Atridae Troianis. Vide § 88 sq. Exercitus summum imperium apud eos est. Vide § 89.

Restant quae de Menelai reditu apud Aeschylum exstant. Troia capta simul cum Agamemnone proficiscitur Ag. 630 sq. Gravi autem tempestate exorta, Ag. 641 sq.,[2] Menelai navis Agamemnonis militibus e conspectu abit Ag. 629. Sperare vero licere, Menelaum primum eorum, qui e cursu depulsi sint, adventurum esse, praeco se et ceteros Argivos consolatur Ag. 679. Tractavit Aeschylus in 'Proteo' fabula satyrica illud notum ex Od. IV, quod Menelao apud Proteum deum marinum accidit. Ad Atridarum fabulam eius argumentum pertinuisse, docet schol. Ar. ran. v. 1155 (vide Dind. ante frg. 208). Singula paucissima servata sunt, sed quae confirment illud fuisse argumentum. Certe de Idothea, Protei filia, agebatur frg. 210. Neque aliena illis, quae dixi, sunt quae exstant de 'navi' frg. 212, de 'fera aliqua columba comesa' frg. 208, de 'pulte piscaria' frg. 209, cet.[3]

De moribus Menelai Aeschylei hoc unum memorabile est, quod λήμασι diversi dicuntur Atridae Ag. 126.[4]

Adnot. 1) Nusquam aperte Aeschylus Helenam Menelai uxorem fuisse dicit. Sed hoc casui tribuendum esse apparet. Cf. etiam Ag. 428 eosque locos qui ad raptum illum pertinent, quos vide § 88.

2) Cf. § 103.

3) Cf. Adolf. Schöll., Beiträge zur Kenntniss d. trag. Poes. d. Griech., p. 12 sq.

4) Cf. Hermanni adn. ad h. l.

m) Helena.

§ 127. Helena Menelai uxor est; vide § 126 adn. 1. — Venustatis Helenae Aeschylus meminit Ag. 739 sq., cf. 423 sq. De Paridis raptu, causa belli Troiani, quam putavit Aeschylus ipsius Helenae culpam, de poetica nominis eius etymologia vide § 88. *Πολυάνωρ γυνή* dicitur Ag. 62.

n) Aegisthus.

§ 128. Aegisthus filius Thyestae est Ag. 1584, 1605. Quocum, cum adhuc infans in incunabulis est, expellitur Ag. 1605.[1] Tres Thyestae filios finxisse Aeschylus videtur Ag. 1605.[2] — Cum autem adoleverit, rediisse se Aegisthus ait, ut iustam vindictam ab Agamemnone, Atrei filio, exigeret Ag. 1607 sq., cf. 1582, 1603, 1222. — De Aegisthi et Clytaemestrae adulterio vide § 102 et 106, quae fuerit pars eius in caede Agamemnonis v. § 105, quomodo Argis regnaverit § 106, de morte eius § 111.

His addenda sunt pauca de Aegisthi moribus. Qui optime cognoscuntur e verbis eius Ag. 1577--fin. Gaudet et gloriatur caeso inimico, cuius ipse uxorem corrupit. Populares Argivos sibi resistentes vi ac severitate se coerciturum esse minatur 1639; sic re vera res se habent in 'Choephoris'. Vide § 106. Hoc autem potius Clytaemestrae quam Aegistho deberi Aeschylus mihi fingere videtur, cum haud ita fortem animum illi esse non solum chorus libere pronuntiet Ag. 1671, 1625 (*γύναι* eum alloquuntur), 1634, 1643 ('ne ipse quidem caedem perpetrare ausus es'), sed etiam Cassandram vatem videntem faciat Aeschylus, quae dicit eum *λέοντ' ἄναλκιν ἐν λέχει στρωφώμενον οἰκουρόν* cet. Ag. 1223.

Adnot. 1) Non recte mihi videntur ex hoc versu (vel ex hoc et antecedentibus) nonnulli (ut Keckius, Schneidewinus, Hensius, Voigtius [diss. Hal. vol. VI p. 443 sq. et 456]) colligere, ab ipso Agamemnone, non Atreo, Aegisthum infantem expulsum esse Aeschylum voluisse. V. 1603 quidem de Agamemnone agitur, sed ita a v. 1583 usque ad v. 1602 de Atreo dictum est, quem expulisse Thyesten v. 1586 legimus, ut simpliciter etiam v. 1606 ad eundem et ad idem exsilium pertinere multo probabilius mihi videatur, quo accedit, quod non tanto minorem natu Aegisthum Agamemnone putandum esse censeo, ratione habita eorum quae hic in fabulis agit, neque unquam apud Aeschylum ipsius Agamemnonis culpae, sed ubique Atrei, poenas se exposcere, Aegisthus

pronuntiat, Ag. 1582 (πατρῴας ἐκτίνοντα μηχανάς), Ag. 1603, 1222 (ἐκ τῶνδε utroque loco ad Thyestae dapem pertinet). — Schützius, sicut mihi videtur rectum esse, ad Thyesten etiam v. 1606 συνεξελαύνει refert.

2) Tradita quidem lectio huius versus est: τρίτον γὰρ ὄντα μ' ἐπὶ δέκ' ἀθλίῳ πατρί κτλ. Sed tredecim liberos fingi ab Aeschylo putari non posse, plerique consentiunt. Vide Hermannum, Weilium, Karstenum, Schneidewinum, Engerum (Gilbertum), Prellerum (Gr. Myth.[2] II, p. 389 adn. 1). Hoc mihi quoque persuasum est. Quare, quamquam emendatio satis certa nondum inventa est, tres quidem liberos (cf. Hygin. fab. 88) intellegendos esse pro certo puto. Non offendunt in 'tredecim Thyestae filiis' Schützius, Franzius, Naegelsbachius, Wilamowitzius. Non improbabilis mihi videtur esse Voigtii (l. l. p. 465 sq.) coniectura (τρίτον γὰρ μ' ἐπιτεχθέντα). Quamquam me non invenisse fateor, qua de causa omnino ad eam confugerit ille, cum se ipsum in tredecim filiis minime offendere affirmet (p. 434 sq.).

IV. Aeacidae.

a) Peleus (et Thetis).

§ 129. Nuptiae Thetidis et Pelei commemorantur frg. 281. Epulatur ibi et canit (ὑμνεῖ) Apollo et vaticinatur deae 'bonam stirpem eius fore longaevam, morbis intactam, omniaque prospera ei futura esse'.

Peleo Thetidem a ceteris deis in matrimonium datam esse, quia vitandum erat Iovi illius coniugium, Aeschylus sine dubio statuit. De hac re vide § 8 c. adn. 27. De Thetide cf. § 39.

b) Achilles.

§ 130. Achilles filius Thetidis est frg. 276, cf. frg. 281, Φθιώτης frg. 131, Myrmidonum dux (tit.). Bidens ei est hasta frg. 151.

Ad amicitiam Achillis et Patrocli pertinent frg. 134, 135, fortasse etiam 130.[1] Ubi amorem Achillis magnificis verbis poeta describit (σέβας μηρῶν ἁγνόν — πυκνὰ φιλήματα — μηρῶν εὐσεβὴς ὁμιλία). Plutarchus, Athenaeus, Lucianus, apud quos inveniuntur haec fragmenta, Aeschylum hunc ut puerorum amorem fingere contendunt.[2]

De Achillis et Agamemnonis discidio vide § 91, de Achivorum rebus afflictis § 92, de Achillis novis armis § 93, de pugna

cum Hectore § 94, de Hectoris corporis redemptione § 95, de pugna cum Memnone § 96, de ipsius Achillis morte § 97.

Adnot. 1) Cf. § 92 c. adn. 9.

2) De ea re disseruerunt Welckerus (tril. p. 419 adn. 697), Hermannus (opp. V p. 146 sq.), Adolf. Schöll., Beiträge zur Kenntnis der trag. Poesie der Griech. p. 396 sq. Ac 'parum casta' haec verba nobis quidem videri debere fateor. Et suo iure Hermannus ex eis colligere potuit: 'videri Aeschylum, quo vehementiorem esse dolorem Achillis ostenderet, fecisse eum incautius proferentem, quae moderatior aliquis et circumspectior tacenda duxisset.' Neque vero negari potest, quod Welckerus et maxime acerrimeque Schoellius monuit, cavendum esse ne nimium fidei habeatur rhetoribus istis, quorum in afferendis scriptorum locis levitas notissima sit. Quare fieri potuisse concedendum est, ut prorsus alius sensus illorum verborum apud Aeschylum ipsum esset. Neque mihi quidem talis puerorum amoris descriptio consentire videtur cum indole Aeschyli et ratione, qualem fuisse ex fabulis servatis colligo. Cet. cf. Jahn., Z. f. d. A. 1841 p. 756 (753 sq.).

c) Aiax.

§ 131. *Αἴαντος νῆσος* Salamis dicitur Pers. 310, 371, 599. Aiacis mortem atque armorum iudicium, quod eius causa erat, Aeschylus fabulis tractavit, quae nobis perditae sunt, *Ὅπλων κρίσει* et *Θρῄσσαις*. De quarum argumentis vide § 98.

d) Teucer.

Cum fabulis Aeschyli *Ὅπλων κρίσει* et *Θρῄσσαις* una trilogia comprehensam fuisse *Σαλαμινίας*, veri simillimum est.[1] Huius argumentum versatum esse in Teucri reditu exsilioque[2] Welckeri (tril. p. 439, kl. Schr. II p. 276) coniectura est haud improbabilis, quamquam non nitatur fundamento nisi, quod *Τεύκρων θυμολεόντων* virtutes se finxisse Aeschylum dicentem facit Aristophanes (ran. 1040)[3] et Salamine fabulae scenam fuisse ex titulo colligi potest.[4] Quae servata sunt fragmenta nihil de argumento produnt.[5]

Adnot. 1) Probaverunt hoc Welckerus (tril. p. 438 sq.) et Hermannus (opp. VII p. 362 sq.). Cf. etiam E. A. J. Ahrens. ed. p. 216.

2) Idem argumentum, quod Sophoclis et Pacuvii 'Teucris', Ennii 'Telamoni' erat. Cf. Hermann., opp. V p. 375 sq., Ribbeck., Die röm. Trag. p. 133 sq., 223 sq., Fritzschium, ad Ar. ran. 1041, qui assentiuntur Welckero.

3) Quod etiam ad Myrmidones pertinere potest. Cf. Fritzschium ad Ar. ran. h. v.

4) De Salaminiarum choro cf. Ribbeck. l. l. p. 224.

5) Fortasse cultus Aiacis in fine trilogiae instituebatur, quod Welckerus censet (Kl. Schr. l. l.). Sed fieri non potuisse, quin talis cultus institutio illic locum haberet, minime Welckero concedendum esse puto, praesertim cum nullum fere eius rei argumentum afferat.

V. Ulixes.[1]

a) Res ante Troiae excidium peractae.

§ 132. *Ὀδυσσεύς* filius *Ἀντικλείας* est frg. 172. Hanc autem eius matrem cum Sisypho concubuisse, Ulixi in altercatione Aiax exprobrat frg. 172. Cf. § 98.

Invitus Ulixes Agamemnonis societatem belli Troiani sequitur Ag. 832. In ipso autem bello Ulixem solum *ἕτοιμον* sibi socium fuisse Agamemnon praedicat Ag. 833. De morte Palamedi ab Ulixe parata vide § 90, de armis Achillis ei datis § 98, de Philocteta ab eo Troiam deducto (simul de Ulixis moribus pauca) § 99.

Adnot. 1) Cf. J. O. Schmidt., Ulixes Posthomericus, diss. Lips. 1885, p. 44 sq.

b) Res in Odyssea descriptae.

Ulixis errorum sine dubio Aeschylus meminit, cum Ag. 834 Agamemnonem dicentem facit, nescire se, utrum de vivente an de mortuo Ulixe dicat.

Κίρκη nomen erat fabulae satyricae Aeschyli, quam versatam fuisse in convertendis Ulixis sociis probabile est, cum id argumentum satyricae fabulae aptissimum sit ac duo, quae nobis servata sunt (frg. 112, 113), vocabula eiusmodi sint, ut hanc coniecturam confirment.[1]

Ex Necyia Homerica repetitum esse argumentum fabulae Aeschyleae cuius titulus erat '*Ψυχαγωγοί*', primus Valckenarius (Diatrib. in Eur. p. d. r. p. 286) coniecit. Cui consentiendum esse existimo respecto et titulo et frg. 270, quod ad Ulixem pertinet.[2] Quod exhibet hoc vaticinium Ulixi datum (manifesto a Tiresia): 'ardea alte volans feriet te stercore, ex quo spina piscis corpus tuum senile tabe inficiet'. Haec igitur de argu-

mento congeri possunt: Ulixes cum comitibus (ψυχαγωγῶν choro)[3] inferorum animas excitat. Cf. frg. 269. Proserpina, frg. 275, et Mercurius, γένους τοῦ περὶ λίμναν πρόγονος[4], frg. 271, commemorantur. Cf. frg. 274 de 'stagnante aqua'. De 'navium reliquiis' praeterea dicebatur, frg. 273, quod ad Ulixis cum heroum animis colloquia videtur spectare. Denique oraculum de morte sua (quod supra attuli) Ulixes accipit frg. 270.

Scripta est etiam fabula ab Aeschylo, cui nomen fuit Πηνελόπη. Qua Ulixis et Penelopes cognitionem tractatam fuisse putandum nobis est. Illuc spectat unus, qui ex ea nobis servatus est, versus: ἐγὼ γένος μέν εἰμι Κρὴς ἀρχέστατον frg. 186. Quae Ulixis ipsius verba esse colloquentis cum uxore atque initio dissimulantis, quis sit, manifestum est.[5]

Denique fabula exstabat Aeschylea ad Ulixem pertinens, cui nomen erat Ὀστολόγοι.[6] Narrabat in ea Ulixes ipse, quemadmodum a procis ebriis insultatus esset, frg. 178, 179: Eurymachum κοττάβῳ ludentem semper caput suum petivisse frg. 178; eundem sive alium eorum in caput suum matulam (οὐράνην) coniecisse, quae ibi fracta sit cet., frg. 179.[7]

Adnot. 1) Cf. etiam E. A. J. Ahrensium (ed. p. 252).

2) Cf. etiam Welckerum (tril. p. 259 sq.), E. A. J. Ahrensium (ed. p. 239), Crusium (Rh. Mus. XXXVII p. 310), J. O. Schmidtium (l. l. p. 44). Nitzschius (Sagenpoes. d. Gr. p. 603) vero admodum incertam esse eam coniecturam censet.

3) Aliter censet Fritzschius. Vide ad Ar. ran. 1266.

4) Neque vero me intellegere fateor, quae partes fuerint illis Arcadibus (vide § 19 adn. 2) in hac fabula. Fortasse recte Fritzschius (l. l.), cui assentitur E. A. J. Ahrensius (l. l.), suspicatur, significari non Arcades sed inferos, qui circa lacum Avernum habitent. Cum vero quaecunque de fabulae argumento coniecerunt vv. dd. nequaquam omni dubitatione careant, adhuc dubitavi Aristophanis scholiastae diffidere.

5) Vidit hoc, comparans Od. XIX, 170 sq., Lobeckius (pathol. Gr. l. el. I p. 337). Cf. Schmidt. l. l. p. 45.

6) Hoc nomen viros doctos vehementer vexavit. Homines illos ossa colligentes esse mendicos, quales in Odyssea procorum conviviis adsunt, Petitus putavit summoque opere hoc defendit Welckerus (tril. p. 453 sq.). Satis sagaciter quidem excogitatum id est neque defuerunt, quibus Welckeri argumentis hoc persuaderetur (ut E. A. J. Ahrensio, ed. p. 241). Neque tamen recte sic nomen illud explicari, Nitzschius (Sagenpoesie d. Gr. p. 596 sq., cf. 601) certissimis, ut mihi videtur, ar-

gumentis demonstravit. Nec posse eam vocem quidquam significare, nisi 'ossa sc. mortuorum colligentes homines', idem recte censuit.

7) Ex his de argumento paene nihil colligi potest. Hoc unum constat, Ulixi in ea fabula partes fuisse. Quae Welckerus coniecit, illa nominis Ὀστολόγοι explicatione nixus (vide adn. 6), cum ipsa illa explicatione collabuntur. Hoc certe Nitzschius recte observat (l. l. p. 596), post procorum caedem ea ab Ulixe dici. Quae vero praeter hoc de fabulae huius argumento conicit hic v. d., versatum fuisse id videri in Ulixis et procorum propinquorum rixa et reconciliatione (Odyss. XXIV), incerta esse, quamquam probabiliora ceteris quae prolata sunt, existimo. Assentitur Nitzschio Bergkius (Gr. Litt. III p. 343 adn. 165).

Restat, ut pauca dicam de Hermanni sententia, satyricam fuisse hanc fabulam (opp. III p. 40). Cui assentiuntur Dindorfius et Nauckius (ad frgg.). Hoc ostendi uno illo vocabulo οὐράνη, frg. 179, putant. Sed rectissime doctissimeque Welckerus (tril. p. 453, praec. append. tril. p. 161 sq. [impr. 167], 332 sq.) demonstravit, vocem illam in hac re nihil valere. Concedunt hoc Welckero et Nitzschius (l. l. p. 599 sq., et Bergkius l. l.) et E. A. J. Ahrensius (l. l.). — In mentem mihi hic venit, quod rectissime Keckius dicit (ed. Agam. Aesch. p. 463), Aeschylum bene scire etiam sordidis rebus ubique dignitatem quandam et granditatem afferre, qua in re Shakespearii similis sit. — Equidem tragoediae Aeschyleae aptissima mihi videri ista Ulixis verba fateor.

c) Ulixis mors.

De oraculo, quo exponitur Ulixi, qualis ei mors futura sit, vide paulo supra (sub b).

---

2. Res Thebanae.

A. Cyclus Thebanus sive Oedipodia.

a) Labdacidarum ἄτη.

§ 133. Similiter atque in trilogia nobis servata 'Orestia' domus alicuius funestum fatum (ἄτη), quo ad alia unaquaeque generis illius aetas dira facinora compellitur[1], in 'Oedipodia'[2] Aeschylus tractavit. Una tantummodo huius trilogiae fabula nobis servata est, 'Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας'. In hac autem nonnullis locis funesta illa vis, quae Laii sive Oedipi domum[3] perdit, commemoratur:

Sept. 728 sq., 797 (*δαίμων*), 817 sq. (*μέλαινα καὶ τελεία γένεος Οἰδίπου ἀρά*), cf. 825 sq., 935 sq. (ubi vis illa simul dicitur '*ἀραί*' et '*ἄτη*' et '*δαίμων*'), 1046 sq. (*μεγάλαυχοι καὶ φθερσιγενεῖς Κῆρες Ἐρινύες, αἵτ' Οἰδιπόδα γένος ὠλέσατε κτλ.*). Cf. 640 sq. (*πανδάκρυτον Οἰδίπου γένος, θεῶν μέγα στύγος*), 678 (*Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος*), 785 sq. (Laii avi culpae poenas persolverunt Eteocles et Polynices).

Adnot. 1) Vide § 118 et § 70.

2) Compositam fuisse hanc trilogiam e fabulis, quarum tituli erant *Λάϊος, Οἰδίπους Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας*, quibuscum coniunctum fuerit satyricum drama *Σφίγξ*, argumento servatae illius fabulae traditur. Quae de trilogiis Aeschyli Thebanis disseruerunt et Welckerus (tril. p. 354 sq., append. p. 144 sq.) et Hermannus (opp. VII p. 190 sq.) et E. A. J. Ahrensius (ed. p. 221 sq.), conscripta sunt ante hanc didascaliam a Franzio e codice Mediceo (anno 1848) editam, qua eorum sententiae magna ex parte refutantur.

3) Nec Labdaci nec Labdacidarum nomen apud Aeschylum invenitur.

b) Laii culpa et Oedipi infantia.

§ 134. Laium Apollo ter oraculis *ἐν μεσομφάλοις Πυθικοῖς χρηστηρίοις* datis iubet sine prole morientem urbem servare Sept. 728 sq. Neque vero ei paret Laius malis (amicorum[1]) consiliis cedens Sept. 735 sq., 827. Sic ipse sibi malum fatum parat gignens Oedipum parricidam 736 sq., et totum eius genus Apollini invisum fit Sept. 678, 785 sq.[2] Filiolum illum invito Apolline natum *ἐν χύτρᾳ* exponi iubet. Hoc commemoratum fuisse in 'Laio' (de cuius argum. vide § 135), fragmento 120 vix dubie efficitur.[3] Ampliora de Oedipi infantia in reliquiis nostris Aeschyleis non exstant.

Adnot. 1) Verba v. 735 *κρατηθεὶς δ' ἐκ φίλων ἀβουλιᾶν* dubitatione non carent. Quae si integra sint, quisquis mente non praeoccupata ea legit, interpretetur necesse esse puto, ut iam scholiastes explicavit (adnotans *οἷς ἐκοινώσατο τὸν χρησμόν*): 'amicorum malis consiliis cedens', neque, ut Hermannus vult: 'per uxoris amorem perverso consilio irretitus'. Sed suo iure offendit Hermannus in amicis hoc loco commemoratis. Quare alii corruptam esse vocem *φίλων* censuerunt. Fortasse cum Oberdickio *δ' αὖ φρενῶν* legendum est.

2) His omnibus locis ita de hac re dicitur, ut Aeschylum hanc Laii inoboedientiam primam eius generis culpam finxisse manifestum sit. Neque rapti Chrysippi neque Labdaci ulla mentio fit; fieri autem

non potuit, quin his locis (certe Sept. 728 sq.) illorum quidquam commemoraretur, si de eis Aeschylus omnino cogitavisset. Ad hanc sententiam adductus sum contemplans Aeschylum. Eandem esse video Ludov. Schmidtii (Z. f. d. A. 1856 p. 389), diversam Susemihlii (Z. f. d. A. 1857 p. 100 sq.), cuius argumenta me non convicerunt.

3) Cf. Herm. l. l. p. 193.

c) Oedipi parricidium.

§ 135. Laium patrem Oedipus occidit Sept. 737 (cf. 768), in trivio prope Potnias curribus obviis factis et concussis frg. 171. Versatum in hoc parricidio fuisse 'Laii' argumentum, quamquam fragmento nullo confirmatur, mihi tamen persuasum est, quia sola Laii culpa (atque Oedipus infans expositus) tragoediae argumento sufficere mihi non videntur.[1]

Adnot. 1) Hunc finem huius fuisse fabulae iam Welckerus (tril. p. 355) coniecit.

d) Sphingis aenigma.

§ 136. Notam Sphingis aenigmatis fabulam tractatam fuisse in Aeschyli dramate satyrico (argum. Sept.), cui nomen erat 'Sphinx', putare titulo illo quodammodo cogimur, praesertim cum ista fabula satyrici dramatis argumento aptissima videatur. Amplius vero de eo ne fragmentis quidem (perpaucis) proditur. Dicebatur in eo Sphinx '*δυσαμεριᾶν πρύτανις κύων*' frg. 234. Respicitur ea fabula identidem etiam in tragoedia Thebana nobis servata. Sphingem Thebanorum aliquem unguibus ferentem in clipeo gerit Parthenopaeus Sept. 525 sq. Thebani eam dicunt *πόλεως ὄνειδος* Sept. 526, *θῆρα ἔχθιστον δάκος* 545, *ὠμόσιτον* 528, *τὰν ἁρπαξάνδραν κῆρα* 761. Oedipus terram ab ea liberavit 760 sq.

e) Oedipi regnum, incestus, poena, filiorum exsecratio.

§ 137. 'Oedipi' Aeschyli argumentum quin idem fere fuerit ac Sophoclis 'Oedipi Regis', dubitari non potest, quamquam uno fragmento servato nihil fere de eo proditur.[1] Eadem enim in trilogia inter 'Laium' et 'Septem' fabulas[2] cum posita fuerit, versatam fuisse eam tragoediam in Oedipi, regis potentis, in-

cestu, poena, filiorum denique exsecratione, quae omnia respiciuntur in fabula 'Septem', manifestum est. 'Quis unquam tantopere honoratus est a deis hominibusve, quantopere Oedipus, postquam a Sphinge Thebanos liberavit?', chorus exclamat Sept. 757 sq. Idem Oedipi incestus mentionem facit 738 sq. (*ματρὸς ἁγνὰν σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη, ῥίζαν αἱματόεσσαν ἔτλα* [sc. Oedipus]· *παράνοια συνᾶγε νυμφίους φρενώλεις*), 910 sq. ubi de Eteoclis et Polynicis matre[3] dicit: *Δυσδαίμων σφιν ἡ τεκοῦσα πρὸ πασᾶν γυναικῶν ὁπόσαι τεκνογόνοι κέκληνται. παῖδα τὸν αυτᾶς πόσιν αὑτᾷ θεμένα τούσδ' ἔτεκεν κτλ.* Etiam Antigones verba 1023 ad incestum eum respicere videntur.

Ubi primum autem cognovit, quale coniugium suum fuerit, Oedipus dolore insaniens (cf. 712 *βλαψίφρων*) ipse oculos suos delet, Sept. 763 sq., filiisque atrocissimas imprecatur diras (770 sq., 70, 642, 682, 696, 710 sq., 818, 826, 870, 881 cet., cf. 751, 964): ut partiantur quondam inter se opes armata (*σιδαρονόμῳ*) manu 773 sq., cf. 875 sq., 927.

Adnot. 1) Ne id quidem satis constat, num hoc frg. 171, quod de Oedipi parricidio est (vide supra), ad ipsum drama 'Oedipum' pertinuerit.

2) Vide § 133 adn. 2.

3) Nomen Iocastes nunquam invenitur apud Aeschylum.

f) Eteoclis et Polynicis discidium.

§ 138. Perficiuntur quae Oedipus exsecratus est. Discidium cooritur inter Eteoclem et Polynicem, Oedipi filios, de heredio Sept. 920, 926, 886 sq., ita ut *ἐχθροί* fiant 662, 921. Quorum uterque suam iustam esse causam putat Sept. 631 sq., 651 sq. Polynices vero ab Eteocle, cuius partibus cives Thebani favent (quod e verbis ipsius Sept. 1 sq., nuntii 39 sq., praeconis 996 sq., denique e tota chori ratione elucet), e patria expellitur Sept. 624 sq., cf. 968, 982.

g) Polynicis belli comparatio.

§ 139. Tum Polynices urbi patriae bellum parat, 567 sq., et cum sociis ducibus bellicosissimis, Sept. 42, exercitum Argivum, Sept. 59, 113, 535, 666 (Achivum Sept. 28, 311 dicitur),

contra Thebas adducit 570, 1010. Nomina sociorum eorum exstant haec: Adrastus 50, 562, Tydeus 364, 558, Capaneus 410, Eteoclus 445, Hippomedon 475, Parthenopaeus 534, Amphiaraus 556.[1] Quorum ἄρχων Polynices dicitur 661, cf. 813. Neque vero deis hoc bellum placere Amphiaraus vates socios suos docet 567 sq., cf. 365 sq., qui ea de causa ipse invitus (βίᾳ φρενῶν), sed fato cedens (Διὸς θέλοντος), ceteros ἀνοσίους, θρασυστόμους secutus est 598 sq.

Adnot. 1) De numero septenario vide § 141 adn. 5, de singulis his viris quae exstant apud Aeschylum §§ 155 sq.

h) Nemeorum institutio.

§ 140. In indice fabularum Aeschylearum nomen servatum est Νεμέα. De qua fabula quamquam nullum fragmentum nominatim servatum est, tamen sine dubio Hermanno consentiendum est[1], huc pertinere quod schol. Pind. praef. Nem. (frg. 149 Dind.) exhibet: ἄλλοι δὲ ὧν ἐστι καὶ Αἰσχύλος, ἐπ' Ἀρχεμόρῳ τῷ Νεμέας παιδί (sc. Nemeorum institutionem referunt). Inde concludendum est, notam ludorum istorum institutionis fabulam[2] dramatis Aeschylei argumentum fuisse; quamquam certi nihil constare concedendum est.[3]

Adnot. 1) Opp. VII p. 205. Consentiunt Dindorfius et Nauckius.

2) Apollod. 3, 6, 4. Cf. Preller., Gr. myth.² II, 375.

3) Neque scire possumus ea de causa, utrum cum aliis fabulis trilogia coniuncta fuerit Nemea necne.

i) Thebarum oppugnatio.

§ 141. Ipsa Thebarum urbis oppugnatio fabula servata 'Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας' ab Aeschylo tractata est. Eteocles, Thebanorum ἄναξ Sept. 39, 359, 2 sq., 661, hostibus appropinquantibus urbem defendendam curat Sept. 1 sq. Qua aliquamdiu frustra obsessa 21 sq., tandem Polynices eiusque socii summum facere impetum constituunt 28, 39 sq. Quod et vatis auspiciis 24 sq. et a speculatore quodam — quales nonnullos emisit 36 — Eteocli nuntiatur 39 sq. Priusquam autem pugnam ineunt, diro sacramento septem[1] Argivorum duces, 42, se obstringunt. Mactato bove eiusque cruore in nigrum clipeum excepto manus tingunt

iurantque per Martem, Bellonam, Terrorem, sese aut urbem Thebanorum plane deleturos esse aut ipsos morituros, Sept. 42 sq. Deinde monumenta parentibus domum reportanda in Adrasti curru ponunt[2] lacrimas fundentes neque vero quidquam querentes 49 sq., qua sunt ferocia et fortitudine 52 sq. Neque enim secunda fuerunt sacra 366, eaque de causa monuit Amphiaraus, ne Ismenum fluvium transirent, 365. Tum sortiuntur, quae cuique obtingat porta oppugnanda 55 sq., 119, 363. Septem portae Thebis sunt 118, 150, 271, 784 sq. Quarum obtingunt *πύλαι Προιτίδες* 364, 382 Tydeo 364, *Ἠλέκτραι* Capaneo 410, *Νήισται*[3] 447 Eteoclo 445, quae vicina sunt *Ὄγκας Ἀθάνας* templo 474, 489 Hippomedonti 475, *Βόρραιαι*[4] 514 Parthenopaeo 534, *Ὁμολωίδες* Amphiarao 556 sq., septima denique porta[4a] ipsi Polynici 618.[5] Eteocles de his certior factus Thebanos hos opponit: Tydeo Melanippum 394, 401, Eteoclo Megareum 461, Hippomedonti Hyperbium 491, Parthenopaeo Actorem 542, Amphiarao Lasthenem 607.[6] Cum Polynice autem fratre ipse congredi vult (*ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις, ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι*) 659 sq., quamquam iam in eo esse, ut perficiatur patris exsecratio, sentit 640 sq.[7] — Impetus quomodo undique (233, 333) in urbem fiat, dilucide pingitur ab Aeschylo chori (timore percussi) canticis 80 sq. (ingens appropinquantium pulvis 81, invadentium clamor 84, armorum strepitus 97, equorum fremitus 231, cf. 190, 80[8], curruum crepitus 135 sq., hastae vibratae 140, lapides in muros coniecti 144). — Vincunt Thebani 777 sq. In sex portis ei qui defendunt impetum Argivorum plane repulsant 784 sq.[9] In septima autem Eteocles defendens et Polynices aggrediens mutua caede moriuntur. De quibus iam uberius dicendum est.

Adnot. 1) Cf. adnot. 5.

2) Aperte hac re indicatur, solum effugere Adrastum etiam Aeschylum finxisse. Amphiaraum hoc ceteris vaticinatum esse putandum est. Hoc recte iam observavit schol. ad h. l.

3) Sic (*νηίστηισι*) Medicei prima manus exhibet, altera *νηίτηισι*. Cf. etiam Dindorfium in lex. Aesch. s. v.

4) Sic correxit Porsonus. Mediceus exhibet *βορρέαισ*.

4 a) Nomen non additur.

5) Animadvertendum est, inter hos septem viros, qui septem portas aggrediuntur et a quibus fabulae nomen inditum est (qui respiciuntur vv. 42, 117), non esse Adrastum, qui septimam portam in-

vadit apud Euripidem, Phoen. 1134 sq. Quamquam hic adest ante Thebas inter Argivos (v. 50) et apud Aeschylum quoque gravissimus Polynicis sociorum habendus est. (Vide § 157.) Causa huius rei aperte fuit, quod Aeschylus (vel potius fabulae forma quam A. secutus est) omnes, qui portas aggrederentur, mori voluit. Deest apud Euripidem l. l. inter eos, qui portas invadunt, Eteoclus. Sed idem Euripides alio loco (Supp. 857 sq.) Adrastum servatum eosdem septem heroes mortuos enumerantem facit, qui apud Aeschylum portas adoriuntur, et eosdem etiam Sophocles exhibet (Oed. Col. 1301 sq.). Quae cum ita sint, vulgarem hanc fuisse formam censeo, quam Aeschylus servaverit, Euripides, quem ad fabularum formas mutandas propensiorem fuisse constat, in 'Phoenissis' leviter immutaverit.

6) Singula quae de his viris exstant apud Aeschylum vide § 154, de illis Argivis § 155 sq.

7) Cf. paulo infra § 142.

8) Cf. vv. 448 sq.

9) Nihil amplius de harum sex portarum pugnae exitu narratur. Pauca tamen de his iam in descriptionibus Argivorum ante pugnam factis aperte significantur. Ut Capaneum Iovis fulmine percuti verbis Sept. 415 sq., 432 sq„ 440 ostenditur (cf. frg. 15, de quo vide § 155) et, qualis futura sit Amphiarai mors, 574 sq. indicatur.

k) Eteoclis et Polynicis mutua caedes.

§ 142. Perficitur quod Oedipus exsecratus est. Ferro partiuntur opes filii, altero alterum occidente Sept. 875 sq., 924 sq., cf. 774 sq. Eteocli hoc iam somniis indicatum est 697 sq. Nihilominus ipse cum fratre congredi vult 659 sq., quamvis chorus eum moneat, ne caedem perpetret quae expiari nequeat 667 sq., cf. 725 sq. Nam ignominiam sibi fore arbitratur hoc certamine vitato 670 sq., cf. 700 sq. Multa de mutua eorum caede (per laeva latera transfixorum 872) narrantur sive deplorantur Sept. 785 sq. (praet. cet. 806, 834 sq., 876, 941 sq.).

l) Argivorum fuga.

§ 143. De Argivorum fuga in 'Septem' fabula pauca tantummodo exstant, quae iam ante pugnam commissam de rebus futuris quodammodo praedicuntur. Adrastus solus ducum Argivorum mortem effugit. Vide § 141 adn. 2. Amphiaraus autem moritur terrae hiatu devoratus Sept. 575[1], cf. 601 sq.

Adnot. 1) Cum de se praedicit Amphiaraus 574 sq.: Ἔγωγε μὲν δὴ τήνδε πιανῶ χθόνα | μάντις κεκευθὼς πολεμίας ὑπὸ χθονός, his significari hanc notam de eius morte fabulam etiam Aeschylo in mente fuisse, mihi quidem persuasum est. Eodem schol. adnot. spectat. In v. 604 ἀλλ' οἶδεν ὥς σφε χρὴ τελευτῆσαι μάχῃ premi non debere censeo vocem μάχῃ, praesertim cum Eteoclis verba sint.

m) Eteoclis et Polynicis sepultura.

§ 144. Eteoclis et Polynicis sepultura extrema fabulae 'Septem' parte, vv. 993 sq., tractatur.[1]

Iam in eo est, ut Antigone et Ismene fratrum corpora sepeliant', Sept. 993 sq., cum praeco advenit nuntians imperata 'δήμου Καδμείας πόλεως[2], ut Eteocles, qui patriam defenderit, rite sepeliatur, Polynices autem, qui patriae bellum intulerit, sepulturae sit expers, 996 sq. Antigone vero praeconi respondet, non obtemperaturam sese esse talibus imperatis 1017 sq. Germanitate obligatam hoc Polynici fratri praestare se debere, ut rite ille sepeliatur 1022 sq. Hortatur praeco, ne populum tali contumacia lacessat, poenasque minatur 1033 sq.[3] Quibus Antigone minime movetur 1033 sq. sequiturque eam dimidia virginum chori pars, ut eam iuvent in sepultura Polynicis, cum altera pars Ismenen ad Eteoclis funus sequatur 1058 sq.[4]

Adnot. 1) Totam extremam fabulae partem (vv. 992 sq.) Aeschylo abrogare nonnulli viri docti nuper conati sunt, ut Bergkius (Gr. Litt. III p. 302 sq.), qui etiam vv. 941 sq. delendos censet, Oberdickius (de exitu fabulae Aeschyleae quae Septem adv. Thebas inscr., Progr. Arnsberg. 1877 p. 16, cf. eiusdem progr. Glatz. 1870 p. 4), qui revocat etiam ad Westphalium magistrum, acerrime denique Röhleckius (Septem adversus Thebas et Prometheum Vinctum esse fabulas post Aeschylum correctas, diss. Berol. 1882, p. 22 sq.). Quorum gravissima argumenta haec sunt: Egredi eam scenam fabulae consilium. Neque enim Aeschylum tales res enarrare voluisse, unde novae rixae novaque bella oritura essent. Indignam igitur Aeschylo eam scenam esse atque interpolatam videri propter Sophoclis 'Antigonen'. At cur is qui eam scripsit, si post et propter Sophoclem eam addidit, in rebus gravissimis ab illo discessit? Vide adn. 2 et 3. Minime enim hoc expediunt ea quae Röhleckius profert (p. 31), rem (sc. praeconem supplicium non minari) ea de causa videri a poeta intermissam esse, quod ipse persensisset, sese poena illa apertis verbis commemorata spectatorum animos ut in extrema trilogiae fabula nimis suspensos facere. Omnino admodum lubricas mihi videri fateor tales quaestiones, quae de eis quae poeta aliquo digna sint vel ad eius consilium pertineant, instituun-

tur. In quibus valde cavendum est, ne id, quod nobis placeat vel displiceat, poetae imputemus. — Quae adduntur ab illis argumenta de tertio actore et Persarum exodio similiter conformato, etiam leviora sunt. Documenta, si re vera spurii hi versus habendi sint, peti oporteat e dicendi poetae ratione et usu. Talia pauca repperisse sibi videtur Röhleckius (p. 31 sq., cf. Bergk. l. l. p. 305). Sed ea omnia eiusmodi mihi quidem videntur esse, qualia etiam in aliis quibuslibet locis Aeschyleis facile comprehendas. In universum haud ita abhorrere ab Aeschyli dicendi ratione hanc scenam, equidem iudico. Hoc etiam aliquatenus concedunt illi vv. dd., cum dicat Bergkius (l. l.): „Der Verfasser gehört unzweifelhaft zur Sippe des Aeschylus; er ist ja im Uebrigen sichtlich bemüht, die Weise des grossen Meisters nachzubilden“ et Röhleckius (p. 31): „Non desunt in extrema scena, quae cum arte sint composita“. — His omnibus reputatis equidem dubitaverim in mythologumenis Aeschyleis congerendis hanc scenam prorsus omittere, in qua ne ei quidem offenderunt, qui omnium fere qui nostra aetate in Aeschyli fabulis versati sunt, peritissimi et intellegentissimi habendi sunt, Welckerus et Hermannus. Quamquam eam omni suspicione vacare non contenderim. — Alia quaestio est, unde sumpserit Aeschylus hanc fabulam. (Cf. Welcker., kleine Schriften vol. IV p. 141, Preller., Gr. myth.[2] II p. 363 sq.) Quam si hoc loco persequi vellem, longius a proposito aberrarem.

2) Creontis hoc loco mentio nulla fit. Thebanorum *δῆμος* 997, 1035 (*πόλις* 1021, 1033, 1037, 1058, *Καδμείων προστάται* 1017) hoc imperat. Apud populum igitur Eteocle mortuo urbis administrationem esse Aeschylus finxit. Cf. § 150.

3) Certa poena non indicatur. Ex hac ipsa re elucere, et tragoediam Sophoclis 'Antigonen' et omnino fabulam celeberrimam de eius morte ibi tractatam Aeschylo eiusque spectatoribus nondum notam fuisse, Hillerus censet. Eique assentiri non dubito. Cf. adn. 1.

4) Concinnitatis causa per se consentaneum est Eteoclis sepulturam obtingere Ismenae, quamquam hoc diserte ab Aeschylo non dicitur. Sic fieri schol. ad 1046 adnotat.

n) Argivorum occisorum sepultura.

§ 145. Argivorum ante Thebas occisorum sepulturam in Aeschyli 'Eleusiniis' tractatam fuisse vel simile huius fabulae argumentum fuisse atque Euripidis, 'Supplicum' uno fragmento 51 (Plutarchi loco) efficitur. Tradit Plutarchus, apud Aeschylum Theseum, qui ipse in scenam prodierit, persuadendo et pactione impetrata (non vi et armis ut apud Euripidem[1]) effecisse, ut Adrasto sociorum corpora sepelienda traderentur. Eleusine scenae locum fuisse nomen fabulae testatur.[2]

Adnot. 1) Neque cum Creonte sed cum Thebanorum populi primoribus eum egisse, putandum nobis est servatae fabulae ('Septem') conclusionis (vide § 144 adn. 2) ratione habita.

2) Cf. Welcker., tril. p. 372 sq., kl. Schriften vol. IV p. 137 sq. Neque vero ullo fundamento nituntur quae de 'Argivis' cum 'Eleusiniis' trilogia coniunctis Welckerus nimis confidenter protulit. Hermannus (opp. VII p. 192 sq.) eum vituperat neque certi quidquam de Argivorum argumento constare fatetur. Quamquam ad res Thebanas eam fabulam pertinuisse fragmento 15, quod ad Capanei mortem spectat, effici videtur (cf. § 155, b). Fortasse satyricum fuit drama. Vide Hermannum l. l. p. 207. Cf. etiam E. A. J. Ahrens., ed. p. 226 sq., Ludov. Schmidt., Z. f. d. A. 1856, p. 402.

o) Epigonorum bellum.

§ 146. Ἐπίγονοι titulus erat fabulae Aeschyleae. In qua quin nobilissimum bellum a filiis septem heroum ante Thebas occisorum susceptum tractatum fuerit, dubium non videtur. Neque vero certius quidquam de eius argumento e fragmentis colligi licet.[1] In trilogia vero Oedipodea Eteoclem et Polynicem ἀτέκνους interire Aeschylus finxit Sept. 813.[2]

Adnot. 1) Cf. Welcker., tril. p. 372, E. A. J. Ahrens., ed. p. 227, Ludov. Schmidt., Z. f. d. A. 1856 p. 403.

2) Hac re non efficitur, Aeschylum Epigonorum fabulam omnino tractare non potuisse (ut Stanleius censuit). Fieri potuisse arbitror, ut poeta in diversis fabulis diversas eiusdem mythi formas sequeretur. Ut plane abhorret Ionis itineris descriptio, quae in Supplicibus exstat, ab ea, quae invenitur in Prometheo Vincto (vide § 165 c. adn. 20). Cf. etiam § 46 c. adn. 2. — Sed iure offendendum nobis sit, si in fabula, cui nomen est 'Septem contra Thebas', in qua ἄτεκνοι duces dicuntur, etiam Epigonorum illorum mentio fiat. Quare verba Sept. 885: μένει κτέανά τ' ἐπιγόνοις sine dubio simpliciter explicanda sunt, ut alter scholiastes vult: ἄλλοις ἔσται τὰ χρήματα δι' ἃ ἀπώλοντο, neque spectant ad filios heroum occisorum.

B. Quae ad singulos homines pertinent.

I. Cadmus et οἱ σπαρτοί.

§ 147. *Κάδμου πόλις* Thebae saepissime apud Aeschylum vocantur Sept. 74, 113, 125 (*ἐπώνυμος Κάδμου πόλις*), 88 *Κάδμου πύργοι*), 997 (*Καδμεία πόλις*); Thebani *Καδμεῖοι*

Sept. 9, 39, 47, 518, 530, 666, 1006, 1016, 1017, 1067, *στρατὸς Καδμογενής* Sept. 290, semel etiam *Κάδμου πολῖται* Sept. 1.[1]

Etiam Spartorum (*τῶν σπαρτῶν ἀνδρῶν*) mentio fit apud Aeschylum notaque eorum fabula perstringitur, cum de Melanippo dicitur: *σπαρτῶν ἀπ᾽ ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο, | ῥίζωμ᾽ ἀνεῖται, κάρτα δ᾽ ἔστ᾽ ἐγχώριος* Sept. 399 sq. Alius vir ferocissimus impavidusque miles *τοῦ σπαρτῶν γένους* est Megareus, Creontis filius Sept. 461.[2]

Ipsorum etiam nomina Spartorum Aeschylus memorasse dicitur: *Χθόνιος, Οὔδαῖος, Πέλωρος, Ὑπερήνωρ, Ἐχίων*[3] frg. 385.

Adnot. 1) Commemorandum mihi hoc loco videtur, etiam urbem Thebanorum *πόλιν* dici *ὠγυγίαν*, Sept. 308, et Minervae cognomen Thebanum *Ὄγκαν*, de quo vide § 11; cf. schol. ad Sept. 474. De Harmonia vide § 27.

2) Cf. § 150.

3) Cf. de his nominibus Preller., Gr. myth.[2] II p. 26.

II. Amphion.

Semel in trilogiae Thebanae reliquiis Amphionis nomen occurrit Sept. 515, ubi *Διογενής* dicitur et sepulcrum eius commemoratur; semel etiam in Niobes Aeschyleae fragmentis. Vide § 177 c. adn. 10.

III. Tiresias.

§ 148. Dubitari nequit, quin ad Tiresiam spectent, quamquam nomen non additum est, Eteoclis haec verba: *νῦν δ᾽ ὡς ὁ μάντις φησίν, οἰωνῶν βοτήρ, | ἐν ὠσὶ νωμῶν καὶ φρεσίν,*[1] *⟨φάους*[2]*⟩ δίχα, | χρηστηρίους ὄρνιθας ἀψευδεῖ τέχνῃ· | οὗτος τοιῶνδε δεσπότης μαντευμάτων* — sc. vaticinatur, tunc maximum Thebis oppugnatis impetum hostium imminere (cf. § 141) Sept. 24 sq.

In fabula Aeschyli deperdita, cui nomen erat *Ψυχαγωγοί*, in ipsam scenam Tiresias videtur processisse (apud inferos Ulixi vaticinans). Vide § 132 s. b.

Adnot. 1) His aperte caecum eum putari significatur, ut iam scholiastes observavit.

2) Hoc (*φάους*) suo iure reposuit pro tradito *πυρός* Ritschelius. Quid enim sibi vult hoc loco *πυρὸς δίχα*, 'sine igne'? Minime probari

potest Hermanni sententia, qui (uno loco Dionysii Halicarn. nixus) interpretatur δίχα 'praeter' (ita, ut 'non solum ex igne sed etiam . . .' vertendum sit). Hoc ab usu Aeschyleo plane alienum est (vide Dindorf. lex. Aesch. s. v.). An explicantes 'n o n ex igne vaticinabatur T.' repugnare Aeschylum his duobus verbis cum illa fabulae forma, quae occurrit apud Sophoclem (Antig. 1005 sq.) et Euripidem (Phoen. 954), putamus? Hoc perineptum videri, iam Hermannus sensit; quo accedit, quod et quae antecedunt et quae insequuntur verba de avibus sint. Immo expectamus sine dubio — etiam hoc Hermannus videtur sensisse — 'sine oculorum lumine'. Quare φάους vel simile aliquid (alii alia coniecerunt) Aeschylum scripsisse, mihi quidem persuasum est, quamquam iam scholiastes videtur vocem legisse corruptam.

IV. Labdacidarum domus.

a) Labdacus.

§ 149. Nec Labdaci nec Labdacidarum nomen unquam apud Aeschylum invenitur. Hoc admodum memorabile esse mihi videtur. Cf. § 134 adn. 2.

b) Laius.

Laius Oedipi pater est Sept. 730 sq., 736, cet. Ampliora de eius culpa et poena vide §§ 133, 134, 135.

c) Iocaste.

Nomen Iocastes in reliquiis Aeschyleis non exstat. Sed incestus Oedipi nobilissimi saepius mentio fit. Vide § 137.

d) Oedipus.

Oedipus, Laii filius, Sept. 736 (cf. § 134 sq.), cum sua ipsius matre incestum committit. Vide § 137. Inde filii ei oriuntur Eteocles et Polynices (vide ibid., cf. Sept. 792, 185, 359, 786, 870), filiae Antigone et Ismene.[1]

Adnot. 1) Quin haec quoque fuerit Aeschyli sententia, non dubito, cum saepius illae Eteoclis et Polynicis ἀδελφαί dicantur. Vide § 153. Sed cf. etiam § 144 adn. 1.

e) Creon, Megareus.

§ 150. Eteocle et Polynice mortuis non (ut apud Sophoclem et Euripidem) summa Thebanorum potestas apud Creon-

tem, Iocastes fratrem, est, sed apud ipsum populum Thebanum. Vide § 144 c. adn. 2 (et cf. § 145). — Sed mentio fit Creontis eiusque filii Megarei Sept. 461.[1] Hic Megareus e Spartorum genere prognatus contra Eteoclum pugnat. Animum eius et fortitudinem summa laude extollit Eteocles. Aut moriturum aut victurum eum esse Sept. 459 sq.

Adnot. 1) Hunc esse notum illum Menoecei filium putandum, Sophocl. Antig. vv. 1301 sq. docent. Sed memorabile est, nullum apud Aeschylum exstare vestigium necessitudinis, quae inter Creontem et Oedipodas intercedat.

f) Eteocles.

§ 151. Eteocles filius Oedipi, Sept. 185, 359, 641, 664, cf. 792, 870, frater Polynicis, Sept. 563 sq., 619 sq., cf. 661, 874, 916, 923, 962, et Antigones et Ismenes est. Vide § 153. Ipse *ἄτεκνος* dicitur Sept. 813.[1] De Oedipi coniugio, quo liberi illi prognati sunt, vide § 137. Patre mortuo discidium de heredio oritur inter Eteoclem et Polynicem. De quo vide § 138. De bello inde exorto, nobilissima Thebarum oppugnatione, fratrum denique mutua interemptione et sepultura vide §§ 139, 141, 142, 144.

His pauca addenda mihi videntur de Eteoclis Aeschylei moribus atque indole. Maxime conspicua in eo est summa sui ipsius fiducia. Qua cum efficiantur nonnulla, qualia spectatorum admirationem excitent ac favorem, ut fortitudo summaque animi firmitas (sciens morti se praebet, vide § 142), vis ac prudentia, qua usus urbem defendendam curat (per totam fere fabulam 'Sept. adv. Th.', praec. vv. 1 sq., 39 sq., 384 sq., 1066 sq.): praeponderant in alteram partem indidem orta, quibus *ὕβριν*, ut ita dicam, admittit, immodica superbia, ferocia, aliorum denique atque etiam deorum despectus. Sciens neglectisque chori adhortationibus fratri occidendo obviam it (vide § 142), cum evitare se non posse patris exsecrationem existimet, Sept. 676 sq., 682 sq., cf. 643 sq. Praeter cetera memorabilia sunt verba eius Sept. 689 sq.: *θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα, | χάρις δ' ἀφ' ἡμῶν ὀλομένων θαυμάζεται· | τί οὖν ἔτ' ἂν σαίνοιμεν ὀλέθριον μόρον;* Virgines Thebanas, quae supplices ante deorum aras preces faciunt, asperrime increpat vetatque amplius id fa-

cere Sept. 165 sq. Prorsus impie et contemptim de deis loquitur v. 202 sq., 209 sq., 234 sq. Quamquam aliis locis vel ipse deos invocat, v. 69 sq., vel invocari iubet, v. 251 sq., ut urbem tueantur, promittitque victoriam nactum urbeque servata tropaea hostiumque spolia se deis consecraturum esse 257 sq. Cf. etiam vv. 428 sq.[2], 437, 549, 612.[3]

Adnot. 1) Cf. § 146 c. adn. 2.

2) Quamquam hoc loco potius exponi videtur, quid Aeschylus poeta, quam quid Eteocles de Capaneo iudicet. Item v. 612 videtur intellegendus esse.

3) De Eteoclis Aeschylei indole cf. C. O. Müller., Gr. Litt.[4] p. 539; Bergk., Gr. Litt. III p. 299; praec. G. Günther., Grundz. d. trag. Kunst p. 85 sq. Minus recte iudicare mihi censendum est Oberdickium dicentem (Beitr. z. Aesch., Progr. Glatz. 1870, p. 3): „Während so Eteocles — edel und ohne Schuld ist, erscheint der Charakter des Polynices hierzu im geraden Gegensatz." Similiter nimis benevole (mea quidem sententia) de Eteoclis Aeschylei moribus iudicat F. A. Voigtius in Rosch. lex. mythol. Gr. et Rom. s. v. p. 1387 sq.).

g) Polynices.

§ 152. Polynices Oedipi filius, Sept. 792 cet., Eteoclis, Antigones, Ismenes frater est. Vide § 151. Ipse dicitur *ἄτεκνος* Sept. 813.[1] A fratre e patria expulsus (vide ampliora § 138), ei bellum parat, de quo vide §§ 139 sq., de morte eius et sepultura §§ 142 sq. — Quamquam Polynices urbem hostiliter aggressus est atque in universum Eteocli favent cives Thebani (vide § 138), paucis tamen locis dicitur de duobus urbis *ἐπιστάταιν*, Sept. 800, sive *βασιλέοιν*, 805, *δυοῖν ἀνάκτοιν*, 905.

Nomen *Πολυνείκης* quid significet, identidem respicit Aeschylus, ut Sept. 814 sq. (*οἳ* [sc. Et. et Pol.] *δῆτ᾿ ὀρθῶς κατ᾿ ἐπωνυμίαν | καὶ πολυνεικεῖς | ὤλοντ᾿ ἀσεβεῖ διανοίᾳ*), Sept. 564 sq. (Amphiaraus illum appellat, nomen in duas partes [sc. *πολύ* et *νεῖκος*] dividens)[2], Sept. 645 (Eteocles fratrem vocat *Πολυνείκη κάρτα ἐπώνυμον*).

Quales mores atque indolem Polynicis Aeschylus sibi finxerit, maxime e nuntii verbis Sept. 618 sq. colligendum est. Qui eum in hunc modum describit. Vehementissime ultionis cupiditate flagrat. Iactat quae optat, ut aut cum fratre congressus occidens occidatur aut superstitem illum in eundem modum exsilio

puniat, 620 sq. Deos patrios invocat, ut vindices sibi exsistant, 626 sq. Scutum gerit, in quo hoc signum expressum est: *Δίκη* dea virum armatum (ex auro factum) ducit, quibus suppositae sunt hae litterae: *κατάξω δ' ἄνδρα τόνδε καὶ πόλιν | ἕξει πατρῴων δωμάτων τ' ἐπιστροφάς,* 629 sq. — Addenda sunt quae Eteocles, Amphiaraus, Antigone de eo iudicant. Fratrem inimicum exclamare, nunquam Iustitiae cum Polynice quidquam negotii fuisse, 649 sq., eumque hominem esse *πάντολμον φρένας,* 658, qui nomine illo profecto dignus sit, 645, consentaneum est. Sed etiam ipsius socius Amphiaraus eum vituperat impiamque esse quaeque diis valde displiceat eius expeditionem profitetur 564 sq. Defendit eum atque excusat Antigone soror: *παθὼν κακῶς κακοῖσιν ἀντημείβετο* Sept. 1040.

Adnot. 1) Cf. § 146 c. adn. 2.

2) Hic aperte sensus est huius loci corrupti, ut mihi quidem persuasum est, necdum satis sanati. Cf. Wecklein. ed. vol. II ad h. v.

h) Antigone et Ismene.

§ 153. Oedipi filiae (vide §§ 149, d et 151), Eteoclis et Polynicis sorores, Sept. 849, 961, 1020 sq., Antigone et Ismene in scenam progrediuntur in 'Septem adv. Theb.' tragoediae fine (847 sq.). Verbis alternis fratres mortuos deplorant, 941 sq., atque ad sepeliendos eos se comparant, 993 sq. De his rebus vide § 144. Praebet se illic Antigone virginem non modo pietate insignem sed etiam fortem propositique tenacem, quae minis non terreatur, cum Ismene ne verbo quidem eam adiuvet, solum Eteoclis corpus, ut videtur, curans. Cf. § 144 c. adn. 4.

V. Ceteri Thebani.

§ 154. Thebani, qui Eteocle duce urbem contra Polynicem eiusque socios defendunt, hi nominantur:

a) **Melanippus,** filius Astaci, e genere Spartorum oriundus (*μάλ' εὐγενὴς* et *κάρτα ἐγχώριος*) Tydeo in pugna opponitur. Cf. § 141. Dicit eum Eteocles *κεδνόν* virum *τὸν Αἰσχύνης θρόνον τιμῶντα,* cui superbiora verba invisa sint, ad turpia quidem segnem neque vero *κακόν* Sept. 394 sq.

b) **Polyphontes**, Capanei adversarius, vir est fortissimus animoque flagrans Sept. 434 sq.

c) De **Megareo** iam dixi § 150.

d) **Hyperbius**, Oenopis filius, Actoris frater (v. 542), cum Hippomedonte congreditur. Est vir *κεδνός*, qui neque habitu aut figura neque animo neque armis reprehendendus est. In clipeo gerit signum expressum: Iovem ipsum qui igneum telum manu vibrat Sept. 491 sq.

e) **Actor**, alter Oenopis filius (Hyperbii frater), Parthenopaeo opponitur, vir *ἄκομπος*, qui non verba sed facta praestare solet, Sept. 540 sq.

f) **Lasthenes** Amphiarao occurrit, *γέρων τὸν νοῦν*, sed iuvenili fruens corpore, cui prompti sunt et oculi et manus, Sept. 607 sq.[1]

Adnot. 1) Tenendum est, omnes has Thebanorum laudationes ab Eteocle dici.

VI. Polynicis socii.

a) Tydeus.

§ 155. De Tydeo haec apud Aeschylum exstant (verba sunt nuntii Thebani). Ceteris Argivis avidior pugnae (*μαργῶν*) fremit iactationibusque se effert Sept. 364 sq. Summa rixa ei est cum Amphiarao (cf. § 157). Qui eum graviter vituperat compellatque *τὸν ἀνδροφόντην*[1], *τὸν πόλεως ταράκτορα, | μέγιστον Ἄργει τῶν κακῶν διδάσκαλον, | Ἐρινύος κλητῆρα πρόσπολον φόνου | κακῶν δ' Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον* Sept. 558 sq. Contra Tydeus vehementer vatem illum increpat, quod Ismenum traici vetat, eumque arguit *σαίνειν μόρον τε καὶ μάχην ἀψυχίᾳ* Sept. 365 sq. Tres vibrat in galea cristas clipeique tintinnabulis terrorem excitare cogitat v. 371 sq.[2] Signum ei in illo est: caelum stellis plenaque luna ornatum. Obtingit ei porta Proeti et adversarius Melanippus Thebanus. Cf. §§ 141 et 154.

Adnot. 1) Spectat hoc sine dubio ad patruum et patrueles a Tydeo occisos (ut iam schol. adnotavit); eodem quod sequitur '*πόλεως ταράκτωρ*' videtur pertinere.

2) De v. Sept. 411 cf. paulo infra s. b. Errare scholiastam, qui eo loco ex voce *ἄλλος* concludit, etiam Tydeum gigantem ab Aeschylo significari, recte Hermannus (quem vide ad eum l.) observat.

b) Capaneus.

Capaneum in hunc modum nuntius Eteoclis describit. Giganti similis est[1], corporis magnitudine Tydeum superans. Superbia, minis, iactationibus praeter ceteros excellit. Volente sive nolente deo se urbem eversurum esse neque Iovis fulmen sibi impedimento fore. Fulguris ictus meridianis solis radiis comparat. In clipeo insigne gerit virum nudum igniferum, cui aureae suppositae sunt litterae 'πρήσω πόλιν'; Sept. 410 sq. Obtingit ei Electrae porta, Polyphontes adversarius. Cf. §§ 141 et 154.

Praeterea unum fragmentum Aeschyleum ad Capaneum pertinet, quod ad 'Argivos' refertur, frg. 15. De morte eius fulmine Iovis percussi manifesto dicitur. Nec vero amplius quidquam certi ex eo colligi potest.[2]

Adnot. 1) Cf. a, adn. 2.

2) Verba (Etym. Magni) corruptissima sunt necdum contigit cuiquam editorum, ut satis probabiliter ea restitueret. Cf. Hermanni conatus opp. VII p. 209.

c) Eteoclus.

§ 156. Pauciora de Eteoclo ille nuntiat. Equos fervidos, qui in portas irruere student, refrenat atque exercet Sept. 448 sq. Clipei ei insigne est 'vir armatus scala hostium turrim ascendens' litteraeque additae sunt significantes: ne Martem quidem de pinnis eum deiecturum esse; Sept. 445 sq. Obtingit ei porta Neista, Thebanus opponitur Megareus. Cf. §§ 141 et 154.

d) Hippomedon.

Hippomedontis σχῆμα et μέγαν τύπον nuntius laudat. Debacchatur ille tamquam baccha, Ἄρει ἔνθεος. Ingentem gerit clipeum. In quo expressus est Typhon atrum fumum e faucibus ignivomis emittens; Sept. 473 sq. Obtingit ei porta Oncae Minervae, hostis Hyperbius. Vide §§ 141 et 154.

e) Parthenopaeus.

De Parthenopaeo nuntius haec profert. Arcas est Sept. 534, μητρὸς ἐξ ὀρεσκόου[1] natus 519, sed Argis (ubi μέτοικος est) τροφάς[2] debet 535. Est καλλίπρῳρος, ἀνδρόπαις ἀνήρ, cui

modo lanugo in genis emergit 520 sq. Neque vero virgineus (nomini conveniens) animus ei est, saevus potius neque liber a iactationibus 523 sq. Per hastam, quam magis deis se venerari gloriatur, iurat, se etiam invito Iove urbem Thebanorum vastaturum esse, 516 sq. Signum ei est clipei Sphinx, quae Thebanorum aliquem unguibus fert, 526 sq. Porta ei obtingit Borrhaea, adversarius Actor. Vide §§ 141 et 154.

Adnot. 1) Cf. § 175.

2) Schol. adnotat: *ἀκούσιον φόνον δράσας ὁ Παρθενοπαῖος εἰς Ἄργος ἔφυγεν.* Hoc de Parthenopaeo alias nusquam inveni. Nescio, an pro scholiastae invento id habendum sit.

f) Amphiaraus.

§ 157. Amphiaraus, Oiclis filius Sept. 596, 369, Argivorum vates est Sept. 556, 575, 577, 596 sq. (*μέγας προφήτης*). Invitus, sed fato cedens, septem illis interest. Neque enim ignorat, diis invisam esse maleque eventuram eorum expeditionem. Vide § 139. Se quoque ipsum in ea moriturum esse praescit 574, 604. Laudant eum etiam hostes Eteocles eiusque nuntius. A quibus dicitur *σώφρων δίκαιος ἀγαθὸς εὐσεβὴς ἀνήρ* 597, qui *οὐ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ᾽ εἶναι θέλει* 579; cf. v. 609 *φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια.* De prudentia eius cf. etiam vv. 555, 580 sq., de fortitudine 556, 603, iustitia et pietate 585 sq., 583, 567 sq. Polynicem et Tydeum graviter vituperat. Vide §§ 152 et 155. Tydeus vero Amphiaraum increpat, quod propter sacra iniqua socios monuit, ne Ismenum transirent, 365 sq. Opponitur Amphiarao hostis Lasthenes, porta obtingit Homolois. Cf. §§ 154 et 141. De morte vatis vide § 143. — Denique ille etiam *Ἄμφις* ab Aeschylo dictus esse traditur frg. 361.

g) Adrastus.

Pauciora apud Aeschylum exstant de Adrasto. Neque enim inter eos septem viros est, qui septem portas aggrediuntur.[1] Sed ducem Argivorum etiam apud Aeschylum eum haberi, e v. Sept. 562 (*κακῶν Ἀδράστῳ τῶνδε βουλευτήριον* sc. Tydeum esse) colligendum esset, nisi diserte Polynices eorum *ἄρχων* diceretur Sept. 661, cf. 813. Quare quod in versu illo Adrastus

potissimum respicitur, hoc tantummodo ab Aeschylo significari existimo, gravissimum esse hunc omnium Polynicis sociorum. — Adrastus solus illorum in patriam redit. Vide § 141 c. adn. 2 et § 145.

Adnot. 1) Cf. § 141 adn. 5.

3. Theseus.

§ 158. Patris Thesei nomen occurrit Eum. 686, ubi Athenienses dicuntur *Αἰγέως στρατός*.

Plura de ipso Theseo exstant. Vocantur Athenienses *Θησέως τόκοι* Eum. 405, Attica terra *χθὼν Θησῄς* Eum. 1027. De bello ab Amazonibus contra Theseum suscepto dicitur Eum. 688 sq.[1] Veniunt illae *Θησέως κατὰ φθόνον* bellum inferentes atque Athenas urbem '*νεόπτολιν*'[2] altis turribus munitam oppugnant. Tentoria autem in colle illo ponunt, qui postea ex hac ipsa re Areopagus nominatus est. Nam Marti ibi sacra faciunt, *ἔνθεν ἔστ' ἐπώνυμος | πέτρα πάγος τ' Ἄρειος* 693.

In ipsam scenam prodiisse Theseum certe traditur in 'Eleusiniis', frg. 51. Vide ampliora § 145. — Praeterea partes ei fuisse in dramate satyrico, cui inscriptio erat *Κερκύων*, putandum nobis est. In eo de luctando actum fuisse, frg. 101 testatur. Versatum igitur esse eius argumentum in celeberrima Thesei et Cercyonis luctatione, verisimillimum est. Etiam singula verba ab Hesychio servata frgg. 102, 103, 104 ad certamen mihi videntur spectare.[3]

De praesidio ab Atheniensibus[4] Heraclidis praebito vide § 159, b.

Adnot. 1) Cf. § 17 adn. 5 et 6.

2) Hac voce aperte nobilis illa civium Atticorum congregatio a Theseo effecta respicitur.

3) Cf., quod simile videtur fuisse, Euripidis drama satyricum, cui nomen erat *Σκείρων*.

4) Sive a Theseo, sive a Demophonte Thesei filio.

8) Quod apud Apollodorum (II, 5, 11) exstat: ὡς δὲ ἧκεν εἰς Ὑπερβορέους πρὸς Ἄτλαντα εἰπόντος Προμηθέως τῷ Ἡρακλεῖ αὐτὸν ἐπὶ τὰ μῆλα μὴ πορεύεσθαι κ. τ. λ., propter illud εἰπόντος Προμηθέως ad Aeschyli tragoediam referendum esse, Weckleinius putat (ed. Prom. p. 11). Primo aspectu mihi quoque sic visum est. Cum vero semel atque iterum hanc quaestionem mecum perpendissem, fatendum esse intellexi, non tam certum id esse quam Weckleinius censet. Nam quae apud Apollodorum sequuntur (fabula paene iocosa) de Herculis dolo, ex Aeschylo non sumpta esse apparet. Quo accedit, quod nobis duo versus Promethei Soluti servati sunt (frg. 195), quibus aperte Prometheus Herculem admonet, ut caveat, quantum possit, draconem aliquem sive simile quoddam monstrum (ἐξευλαβοῦ δὲ μή σε προσβάλῃ στόμα | πέμφιξ· πικροὶ γὰρ κοὐ διὰ ζόης ἀτμοί). Fieri potuisse concedo, ut etiam de alio dracone in itinere Herculi obvio Prometheus exponeret. Facillimum autem est cogitare de illo dracone, qui Hesperidum hortum custodiebat. A quo si cavendum erat Herculi, ipsum pomis istis potiri apud Aeschylum patet.

9) Fortasse etiam μονόμματοι; cf. § 185, f adn. 7.

10) Denique, quoniam quodammodo etiam cum Herculis rebus cohaeret, quod de Aiacis cute impenetrabili perhibebatur, hoc quoque loco commonefaciendum mihi videtur esse huius fabulae in 'Thressis' ab Aeschylo peculiariter tractatae, de qua vide § 98.

b) Heraclidae.

'Ἡρακλεῖδαι' titulus erat fabulae Aeschyleae. Ex qua unus versus et duo singula vocabula servata sunt. Certi de argumento ex his nihil patet. Sed propter titulum haud ita improbabilis videtur coniectura Welckeri et aliorum[1], versatum id fuisse in iisdem rebus, quae Euripidis fabulae cognomini argumento sunt (praesidio ab Atheniensibus Heraclidis Eurystheum fugientibus praebito[2] cet.).

Vox ἀμφιμήτορες, frg. 70, aperte de ipsis Heraclidis dicta est.[3]

Adnot. 1) Welcker, tril. p. 564; Bergk, Gr. Lit. III p. 522.

2) Cf. Pausan. I, 32, 6. Ubi Theseum tueri eos dici memorabile est, cum apud Euripidem Demophonti, Thesei filio, hae partes sint. Nescio an illam formam fabulae Aeschylus secutus sit. — Fortasse frg. 69 οὐ γάρ τι μεῖζον ἄλλο τοῦδε πείσομαι spectat ad similem scenam atque apud Euripidem Heracl. 474 sq. exstat. Cf. ill. v. 525 οὔκουν θανεῖν ἄμεινον ἢ τούτων τυχεῖν | ἀναξίαν (Macariae, ut nominari solet, verba). Quamqnam etiam ad aliam quamlibet scenam talia

in universum dicta pertinere posse concedendum est. Cf. Bergkium (l. l. adn. 171).

3) Hesychius explicat: *οἱ ἐκ πολλῶν μητέρων γεγονότες ἀδελφοί.*

5. Telephus[1] (et Teuthras).

§ 160. *Τεύθραντος ἄστυ Μυσῶν* Ionem errantem permeasse legimus Supp. 558.

Ad Telephum pertinuisse e fabulis Aeschyleis praeter ipsam 'Telephum' videtur ea, cui nomen erat 'Mysi'.[2] De cuius argumento fragmenta haec produnt. Mutus[3] Telephus Tegea in Mysiam venit frg. 144.[4] In Mysia autem (cf. tit.) ad Caici ripas scenae locus est frg. 142, 141.[5] Petit aliquis, qui ex alia (longinqua) terra illuc venit, frg. 141[6], (famulus Telephi sine dubio intellegendus est), a fluvii illius sacerdote[7], ut dominum precibus salutaribus servet, frg. 142.

De alterius fabulae (Telephi) argumento ea fragmenta, quae certa sunt (frgg. 236, 237) plane nihil produnt. Nec tamen dubium videtur, quin nobilissima illa fabula in Cypriis (Kink., fr. ep. Gr. p. 18) narrata tractata fuerit (Telephus contra Graecos ad Asiam appellentes pugnans vulneratur; deinde oraculo obtemperans supplex Argos venit, ut ab Achille sanetur).[8]

Adnot. 1) Cf. Pilling., Quomodo Telephi fabulam et scriptores et artifices veteres tractaverint, diss. Hal. 1886, p. 12 sq.; Welcker., tril. p. 562; E. A. J. Ahrens., ed. Aesch. p. 246 sq.; O. Jahn., Telephus und Troilus p. 36 sq.

2) Admodum enim probabile (etsi non certum) est, quod Welckerus (l. l.) statuit, Pillingius (qui fusius hanc quaestionem tractat) arguta argumentatione confirmavit (cf. etiam Herm., Nauck., Dind. ad frgg.): Aristotelis verba poet. c. 24 *ὥσπερ — ἐν Μυσοῖς ὁ ἄφωνος ἐκ Τεγέας εἰς τὴν Μυσίαν ἥκων* ad Aeschyli Mysos spectare. (Cf. etiam Güntherum, Grundz. d. trag. Kunst p. 292). Quin autem *ἄφωνος* ille Telephus intellegendus sit (quod primus ostendit Tyrwhittius), dubitari nequit.

3) Hoc (sc. quod mutus dicitur) aperte spectat ad Telephum cognatorum interfectorem, qui lustrationem petit (ut iam observaverunt vv. dd. illi). De parricidio illo cf. Pilling. l. l. p. 21 sq., p. 71.

4) Vide adn. 2; cf. frg. 143.

5) Quin etiam hoc fragmentum ad Mysos pertineat, cuius videtur fuisse versus primus, dubium mihi non videtur. Huius rei (a Pauwio

primo animadversae) argumenta satis firma vide apud Dindorfium (ad frgg.) vel Pillingium (l. l.).

6) Hoc fluvii salutandi ratione indicatur (Ἰὼ Κάϊκε Μύσιαί τ' ἐπιρροαί).

7) De sacerdotis tali munere cf. Pilling. l. l. p. 16.

8) Comprobatur hoc vel ipso titulo fabulae, cum vix aliud argumentum e fabula Telephi ad tragoediam (certe quae sic inscribebatur) aptius inveniri possit (excepto fortasse eo, quod iam in alia tragoedia, Mysis, ab Aeschylo tractatum fuisse veri simile est). Hoc (vulnerati Telephi) argumentum etiam ab aliis poetis, certe ab Euripide, tragoediis, quibus idem nomen erat, tractatum est. Vide Pilling. l. l. p. 24, 36 sq. Pillingius (p. 17 sq.) arguta argumentatione ductus plura de eius fabulae argumento enucleare conatur neque improbabilia. Hoc certe ei concedo, e fragmentis duobus incertis, et schol. Ar. Ach. v. 332 (quod ad Euripidem pertinere veri simillimum est, vide Dind. p. scen., Eurip. p. 342, Pill. l. l.) et schol. Ar. ran. 1270 (quo iam apud veteres de loco versus Aeschylei [frg. 92 Dind.] ab Aristophane memorati controversiam fuisse docemur), hoc quidem concludi licere, in Aeschyli Telepho et de Agamemnone et de Oreste a Telepho correpto actum esse. Minus firmo nituntur fundamento quae ampliora de Oreste puero correpto apud Aeschylum exstitisse suspicatur, revocans ad vas quoddam fictile saec. V (cf. Robert., Bild und Lied, p. 146 sq.) et ad notissimam narrationem de Themistocle ad Admetum regem confugiente a Thucydide traditam. Quamquam ne ea quidem improbabilia mihi videntur. Cf. etiam Jahn. (l. l.) et Ribbeck. (d. röm. Trag. p. 345).

---

6. Argonautae quaeque cum rebus eorum quodammodo cohaerent.

a) Athamas, Helle.

§ 161. Ἀθαμαντὶς Helle commemoratur Pers. 71, ubi aperte nota illius fugae et mortis fabula respicitur. Ἕλλης πορθμός praeter hunc locum Hellespontus etiam Pers. 724, 801, similiter 878 dicitur.

'Athamas' fabulae Aeschyleae nomen erat. Sed pauca eius tantummodo servata sunt fragmenta. Quae de argumento nihil produnt praeter unum frg. 1, quod est de tripode 'semper supra ignem posito, qui aliquem exceperit.' De Melicerte a matre in aeneum iniecto[1] hoc dici videtur.[2] Quamobrem de Athamantis furore[3] fabulae Aeschyleae argumentum fuisse coniciendum nobis est.[4] Cf. § 41.

Adnot. 1) Apollodor. 3, 4, 3.

2) Eodem fere etiam frg. 4 b pertinere (propter vocem ἐξαυστήρ, de qua vide Dind. lex. Aesch. s. v.) suspicor, quamquam tradita verba aperte corrupta sunt neque certe dici potest, qualis eorum apud Aeschylum sensus fuerit. — Quod vero Welckerus (tril. p. 338) e frg. 4 a (leaenae mentio fiebat in 'Athamante') concludit, „dass Athamas als Gegner des Gottes [sc. Bacchi] wütete, zeigt die Erscheinung der Löwin", hoc mea quidem sententia nullo modo colligere licet ex uno tali vocabulo, quale ad quemlibet verborum conexum aptari possit. (Alia ex eo conicit E. A. J. Ahrensius, ed. p. 232). Quo accedit, quod ne constat quidem, utrum ad Aeschyli an Sophoclis 'Athamantem' hoc fragmentum pertineat.

3) Preller, Gr. Myth.[2] II p. 313 sq.

4) Cf. Welcker., tril. p. 336 sq., append. p. 124 sq.; E. A. J. Ahrens., ed. p. 231 sq. Welckerus nimis coniciendo indulgens non solum totum fere Athamantis argumentum (cf. adn. 2), sed etiam trilogiam, cuius ea fabula pars fuerit, restituere conatur. Quam constitisse putat e Δικτυουργοῖς, Athamante, Isthmiastis. De hac fabula quid censeam dixi § 41, de illa prima vide § 171 adn. 2.

b) Navigationis Argonautarum comparatio.

'Argo', nomen celeberrimae navis, titulum praebuit dramati alicui Aeschyleo. Vel inde apparet, ad Argonautarum fabulam id pertinuisse, neque vero certum est, ad quam eius partem referendum sit. Unum quod ad hoc drama pertinere certum est fragmentum exhibet, ab Aeschylo Argus gubernatorem Iphyn (non Tiphyn) vocatum esse, frg. 18. E quo de argumento certi quidem nihil colligi potest.[1] Atque idem cadit in alterum eiusdem fabulae titulum nobis traditum, quem 'Κωπασταί' (i. e. remiges) legendum esse censeo.[2] Sine dramatis nomine traditur, et Aeschylum dixisse, a Minerva quandam materiam loquentem Argus ligno esse insertam, et exclamasse apud eum aliquem: ποῦ δ' ἐστὶν Ἀργοῦς ἱρὸν, αὔδασον, ξύλον; frg. 19. In 'Cabiris'[3] vero enumerasse Aeschylum omnia Argonautarum nomina frg. 94, nomen Iasonis frg. 95 exhibet.[4]

Adnot. 1) Welckerus quidem (tril. p. 311 sq., append. tril. p. 100 sq.) ampliora suspicatur, trilogiam fuisse Argo, Hypsipylen, Cabiros (vide paulo infra sub c) argumentumque 'Argus' in navis aedificatione primisque Argonautarum rebus gestis versatum fuisse, nullo nimirum certo argumento adiutus. Cui non sine causa E. A. J. Ahrensius (ed. p. 205) obicit, non intellegi, quomodo factum sit, ut eiusmodi

argumentum poeta in scena explicaret, in quo fere nihil inveniatur, quod tragicam dignitatem habeat. — Dindorfius (ante frg. 17) satyricam eam fabulam fuisse suspicatur, neque vero nititur nisi incertissima quadam argumentatione.

2) Tradita lectio est κωπαστής. Sed desiderari pluralem (chorum significantem) chorumque remigum aptissimum videri ad drama, cuius nomen a nave ductum sit, iam Welckerus (tril. p. 312, praec. append. p. 101) vidit. Conicit κωπευσταί, eumque sequitur Dindorfius. Cum vero Mediceus exhibet κωπαστής, legendum esse κωπασταί assentior Hippenstilio (diss. Marp. 1887, de trag. Gr. princ. fab. nominib., p. 11 adn. 1). Qui hanc formam acute defendit.

3) Vide paulo infra § 162.

4) Cf. etiam § 44 de Argonautis.

c) Quae Lemni fiunt (Cabiri, Hypsipyle).

§ 162. Versatum fuisse in rebus Argonautarum, qui ad Lemnum insulam navem appulerunt, duas Aeschyli fabulas deperditas, et 'Hypsipylen' frg. 242 et 'Cabiros', fragmenta 94, 95 testantur.[1]

Pauca tantummodo accepimus de 'Hypsipyle'. Dixit in ea Aeschylus (teste schol. Apoll. Rhod.), Argonautis procellis iactatis occurrisse Lemnias armatas[2], dum iureiurando illi promitterent, navibus egressos se cum eis coituros esse, frg. 242.[3] Ad caedis maritorum a Lemniis perpetratae celebrem fabulam[4] haec pertinent. Quae respicitur ab Aeschylo etiam Ch. 629 sq. (praeter cetera mala famosum esse ac detestabile τὸ Λήμνιον, sed comparari posse Λημνίοισι πήμασιν Atridarum generis foeda facinora). Praeterea Hypsipylen ab Aeschylo deminutione dictam esse Ὑψώ, traditur frg. 210.

Paulo plura exstant de Cabiris. Argonautae Lemni commorati a Cabiris conviviis excipiuntur. Vide § 55. Atque ebrii ab Aeschylo in scenam producti esse dicuntur frg. 95.[5]

Adnot. 1) Facile inde conicias, trilogia has fabulas coniunctas fuisse. Et coniecit hoc Welckerus (l. l.; cf. paulo supra sub b). Sed eodem iure Hermannus (vide ad frg. 155) suspicari potuit, cum Nemea (cf. § 140) Hypsipylen trilogia cohaesisse. Neque hoc neque illud propter fragmentorum paucitatem aliquatenus certe probari potest. Nemeam autem cum Cabiris coniungere veriti sunt viri docti (propter diversitatem videlicet argumentorum earum quae videtur fuisse), excepto Nauckio, qui ante frg. 90 dicit: „Ex his probabile est, quod

Welckerus coniecit, Cabiros eiusdem trilogiae fuisse atque 'Ὑψιπύλην et Argo' et ante frg. 243: „Drama (sc. 'Ὑψιπύλη) eiusdem trilogiae fuisse videtur ac Νεμέα". Viri ill. quae sit sententia, non video. Num satyricam fabulam putat 'Nemeam'? An ordinem alium ac Welckerus esse censet? Cf. etiam adn. 5.

2) Ad easdem spectare videtur vox ἀποκορσωσαμέναι, 'quae capillum sibi totonderunt', frg. 241.

3) Sunt qui titulum in indice fabularum Aeschylearum Λήμνιοι errore pro Λήμνιαι scriptum esse atque huc referendum esse putent. Vide Dindorfium (ad frg. 242) et Hippenstielium (diss. Marp. 1887, de trag. Gr. princ. fab. nominibus, p. 9). Sed eodem iure vel potius maiore mea quidem sententia Welckerus 'Philoctetae' alterum nomen 'Lemnios' esse suspicari potuit. Vide § 99 adn. 10. Neque enim plane assentior Hippenstielio de catalogi Aeschylei indole et ratione. Vide § 50 adn. 11. Hippenstielius quidem eo quod de catalogo sibi fecit iudicio censere cogitur, neque Philoctetae neque Hypsipyles alterum nomen esse Λημνίους (vel Λημνίας). Quare arbitratur, ad Argonautas quidem Lemni commorantes hanc fabulam spectasse, neque vero idem argumentum eius fuisse atque Hypsipyles. Addidisset vellem, quod potius fuisse argumentum suspicetur.

4) Preller, Gr. Myth.^{2} II p. 325. Cf. Welcker., tril. p. 585 sq.

5) Ad talem fere scenam referendum videtur frg. 93. Cf. Ahrens. l. l. Nec sine causa satyricam fuisse hanc fabulam Prellerus (l. l. p. 326 adn. 2) mihi videtur suspicari.

d) Phineus (Harpyiae).

'Φινεύς' nomen erat fabulae Aeschyleae deperditae.[1] Ad notam Phinei fabulam pertinet unum quod nobis servatum est fragmentum: *καὶ ψευδόδειπνα πολλὰ μαργώσης γνάθου | ἐρρυσίαζον στόματος ἐν πρώτῃ χαρᾷ* frg. 251. De Harpyiis, quae Phineo cibos eripiunt, hoc aperte dictum est. Quae commemorantur etiam Eum. 50 sq. Ubi Furias describens Pythia dicit: *εἶδόν ποτ' ἤδη Φινέως γεγραμμένας | δεῖπνον φερούσας· ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν | αὗται* (sc. Furiae) *κ. τ. λ.* Volatiles igitur, ceterum Furiis similes Harpyiae[2] ab Aeschylo finguntur. De ipso vero fabulae illius Aeschyleae argumento ampliora nescimus.[3]

Adnot. 1) Tetralogiam fuisse Phineum, Persas, Glaucum, Prometheum (satyricum), hypoth. Pers. exhibet. Cf. adnot. 3. In indice fabularum 'Phineus' non exstat.

2) Quin hae intellegendae sint, nemo dubitet, quamquam earum nomen neque hoc loco neque in fragmento illo exstat.

3) Quamquam nonnulli viri docti, pro rebus probatis recipientes Welckeri (tril. p. 470 sq.) incertas coniecturas, talia scire sibi videntur [ut C. O. Müller, Gr. Litt.[4] I p. 536; G. Günther, Grundz. d. trag. Kunst p. 32; cet.]. Ista argute a Welckero (p. 477 sq.) excogitata [de prima Graecorum (sc. Argonautarum) victoria de barbaris reportata, de oraculis a Phineo illis dictis, quae ad futura bella Persarum spectaverint, cet.] non modo omni certo carent fundamento, sed etiam aliis reputationibus (quales exposui § 44) reprobantur. Etiam multo minus probabilia videntur, quae E. A. J. Ahrensius (ed. p. 194) de Phineo Dario (in expeditione Scythica) vaticinante suspicatur.

Nonne ipsa Phinei sors argumentum praebuit satis aptum ad tragoediam? An putari nequit, etiam Aeschylum aeque atque ceteros poetas tragicos una docuisse fabulas, quae non argumenti quadam continuitate inter se coniunctae erant? In eis quas accepimus eiusmodi trilogiis vel potius tetralogiis, Orestia, Oedipodia, Lycurgia, etiam satyricum drama ad eandem fabularum complexionem pertinet. Quis autem hoc de Persis et Prometheo dicat?

e) Medea.

Quales partes Medeae in fabula Iasonea apud Aeschylum fuerint, ignoramus. Hoc unum in eius reliquiis de illa exstat, quod eam Bacchi nutricibus earumque maritis coctis iuventutem restituisse[1] exhibet frg. 46.

Adnot. 1) Sic etiam apud Aeschylum venefica artisque magicae gnara Medea est.

---

7. Io et Danaides.

I. Io.

a) Ius incunabula et Iovis amor.

§ 163. Io Inachi (fluvii Argivi[1]) filia est, Prom. 615, 618, 683, 690, 731, et Argis Iunonis sacerdotis (κλῃδούχου) munere fungitur Supp. 297 sq.[2] Huius amore capitur Iupiter Prom. 615, 677 sq., cf. Supp. 300 sq. De quo ipsa Io haec narrat Prom. 667 sq. Semper sibi apparuisse noctura somnia, quae blandis verbis hoc se monuerint: ‘O perbeata puella, cur diutius virginitatem servas, cum particeps fieri summi coniugii possis? Iupiter enim ipse desiderio tui perit cupitque tecum coire: ne spre-

veris Iovis lectum, sed ad Lernae pratum gregesque patris exi, ut Iovis desiderium sedetur' 672 sq. Talibus somniis omnes per noctes exagitatam tandem se patri ea narrare ausam esse. Quem oracula consuluisse Pythicum et Dodoneum. Illa autem, cum antea obscura ambiguaque ediderint, postremo satis perspicue respondisse: Domo patriaque se expellendam esse, ut ad fines terrae extremos vagaretur. Quod si recusaret Inachus, Iovis fulmen totam eius gentem deleturum esse 682 sq. Obsecutum talibus Apollinis imperatis patrem invitum se invitam domo expulisse. Coactum vero eum esse Iovis vi 696 sq.

Adnot. 1) De quo ampliora vide § 56. Adde Prom. v. 680.
2) De Ius sacerdotio cf. adnotationes editorum (Hermanni, Oberdickii, praecipue uberiorem Stanlei).

b) Ius transformatio, errores, liberatio.

§ 164. Non latent illi amplexus[1] Iunonem Supp. 301.[2] Quae invida facta infelicem virginem crudelissime vexat suppliciisque persequitur Prom. 617, 730, 930, Supp. 303 sq.[3] Primum eam in vaccam convertit, Supp. 302 sq., cf. Supp. 17, 44, 281, vel potius in monstrum, partim bovis, partim mulieris speciem referens, Supp. 574 sq. (*βοτὸν μιξόμβροτον*), cf. Prom. 613 (*βούκερως παρθένος*), 701 (*κεραστίς*). Deinde, ne accedat ad illam Iupiter ipse in taurum transformatus, Supp. 304 sq., custodem ei mittit Argum, Supp. 307 sq., Terrae filium Supp. 309, Prom. 589, 704, *τὸν μυριωπόν* Prom. 590, *πυκνοῖς ὄσσοις δεδορκότα* Prom. 705, *δόλιον ὄμμα ἔχοντα* Prom. 591, omnia cernentem Supp. 307 sq., *ἄκρατον ὀργήν* Prom. 705, bubulcum (pastorali fistula instructum Prom. 596 sq.). Huic Mercurius (Supp. 309) mortem improvisam parat Prom. 707 sq., 592. Nec vero hac re liberatur Io. Nam asilus (*οἶστρος* vel *μύωψ ὀξύστομος, βοηλάτης, κινητήριος*) a Iunone missus perpetuo vexat eam vesanamque (Supp. 551, 571, 573 [*θυιὰς Ἥρας*], Prom. 604, 700) reddit, Prom. 700 sq. (*μάστιξ θεία* 709, cf. *θεόσυτος νόσος* Prom. 622), Supp. 310 sq., et *γῆν πρὸ γῆς*, Prom. 709, per totum fere orbem terrarum eam agitat Supp. 313, 552 sq., cf. Supp. 16. Sic vexata acerbissimosque dolores patiens[4] Io in ipsam scenam producitur in 'Prometheo Vincto' vv. 581 sq., *νῆ-*

στις, 594, terras pererrans neque sciens ubi sit 581 sq. Etiamtum ab Argi mortui imagine exagitari fistulaqne eum canentem exaudire sibi videtur 589 sq. Furor ei ab asilo iniectus splendide pingitur 903 sq.

§ 165. Errores Ius ipsos Aeschylus describit copiosissime in 'Prometheo Vincto', ubi eorum initium ipsa Io narrat (vv. 667 sq.), cetera Prometheus partim vaticinatur (vv. 726 sq.) partim (quae iam acta sunt) ut vaticinationis testimonium prodit (vv. 850 sq.). Brevius unam eorum partem refert in 'Supplicibus', ubi chorus Danaidum proavae suae res praedicat vv. 547 sq.

Atque hanc quidem fere viam virginis exagitatae poeta delineat.[5] Domo patria expulsa primum (ut oraculo iussa est 679) ad Lernae Ceuchreaeque fontes[6] furibundis saltibus se confert Prom. 702 sq. Qua via inde ad Molossos Dodonamque venerit, omittit poeta, 853 sq. Ibi autem Iovis Thesproti mirandum oraculum (αἱ προσήγοροι δρύες) eam appellat Iovis futuram nobilem coniugem 857 sq. Tum per viam litoralem ad Rheae magnum sinum pervenit 863, cui ex hac ipsa re (μνῆμα τοῖς πᾶσιν βροτοῖς) nomen Ionium mare datum est 865 sq. Inde retro errantibus cursibus agitatur 864. His verbis aliquantum ambiguis Aeschylus spatium, quod est inter Ionium mare et Promethei rupem, explet. Ad hanc perveniens inducitur Io v. 581 sq. Cum compererit, quis sit quaque de causa poenam solvat is quem illic vinctum conspicit, 636 sq., petit, ut sibi vaticinetur Prometheus, quae futura sibi exspectanda sint, sive ampliores dolores sive liberatio, 652, 630 sq. Morem ei gerit Prometheus 729 sq. (postquam ipsa Io laborum suorum initium Oceanidum choro narravit[8]). Ac primum quidem ad orientem versam eam venturam esse ad Scythas[9] nomades. Ne his neve Chalybibus[10] (qui ad sinistram manum habitent) appropinquet, caveat 733 sq. Deinde cum ad Hybristen fluvium (οὐ ψευδώνυμον, οὐκ εὔβατον περᾶν)[11] pervenerit, legendam ei esse eius ripam usque ad ipsos fontes, qui in altissimis Caucasi montibus sint. Ibi illo traiecto montiumque cacuminibus superatis ad meridiem cursum vertat 743 sq. Illic inventuram eam esse Amazonum gentem[12], quae libentissime ei viam monstraturae sint, 749 sq. Inde autem adventuram esse eam ad isthmum Cimmerium. Quo relicto fretum Maeoticum audaci animo ei

traiciendum esse. Semper autem eius rei famam hominibus permansuram esse et Βοσπόρῳ[13] inde freto isti nomen fore 755 sq. Sic ex Europa in Asiam transgressae, 760, 816, prope ad ipsum solis ortum ei accedendum fore 817. Postea[14] (mari nescio quo traiecto 818[15]) venturam eam esse ad Cisthenae campos, ubi Gorgones et Graeae habitent[16], 819 sq. Quas vitet, 827, aeque atque gryphes et Arimaspos (ad Plutonem auriferum fluvium incolentes)[17], quibus deinceps occursura sit, 828 sq. Iam ad remotissimam terram nigramque gentem[18] perventuram eam esse, quae ad solis fontes circa Aethiopem fluvium habitet, 833 sq. Huius ripas legat, dum veniat ad montes Byblinos Nilique[19] *καταβασμόν* et inde in terram triquetram *Νειλῶτιν* 836 sq. Illic autem ut coloniam ipsa liberique condant, fato constitutum esse 840 sq.

Haec de Ius erroribus in 'Prometheo' exstant, quibuscum nunc quae in 'Supplicibus' (vv. 547 sq.) de iisdem inveniuntur, comparanda mihi sunt. Nam tantummodo comparari inter se, non simul uno conspectu tractari haec et illa possunt. Tam diversa sunt. Non congruunt nisi in rebus gravissimis, sc. Argis Ionem esse profectam, 547 sq., et in Aegypto postremo liberatam, 565 sq.[20] Pratis Argivis relictis furibunda Io multas hominum gentes pervagatur 549 sq. Disterminat (*διχῇ ὁρίζει*) terras oppositas (*ἀντίπορον γαῖαν*)[21], secundum fatum fretum maritimum[22] permeans (sive transnatans, *διατέμνουσα*) 553 sq. Transit per Asiam, pererrans Phrygiam, Mysiam, Lydiam, Ciliciam, Pamphyliam, terram denique Veneris[23] frumento abundantem, 556 sq. Sic ad *Δῖον πάμβοτον ἄλσος* Nilique aquam morbis intactam pervenit doloribus vexata 565 sq. Terrae autem illius incolae stupent monstrum illud (*βοτὸν μιξόμβροτον*) conspicientes 574 sq.

Tunc tandem liberatur Io doloribus. Nam cum Memphin et Canopum (ad ipsum Nili ostium sitam) pervenerit, Supp. 315, Prom. 872 sq., ipse Iupiter eam reddit mentis compotem, Prom. 874, manu eam contrectans (*ἐπαφῶν ἀταρβεῖ χειρὶ καὶ θιγὼν μόνον* Prom. 875, *Ζεὺς ἐφάπτωρ χειρί* Supp. 316, *Ἰοῦς ἐφάπτωρ* Supp. 544, *ὅσπερ Ἰὼ πημονᾶς ἐλύσατ' εὖ | χειρὶ παιωνίᾳ κατασχεθών* Supp. 1075 sq., *αὐτόχειρ* Supp. 600) spirituque suo afflans Supp. 17 (*ἐπαφὴ καὶ ἐπίπνοια*), 44, 585. Cf. quae sequuntur § 166.

Adnot. 1) Mediceus exhibet *παλαγμάτων*. Qua in voce aperte corrupta latere eam, ad quam spectet Hesychii glossa *ἐμπαλάγματα· αἱ ἐμπλοκαί*, acute Hermannus animadvertit. Cf. schol. ad nostrum versum: *αἱ περιπλοκαί*.

2) Contrarium quidem tradita Medicei verba exhibent *καὶ κρυπτὰ Ἥρας ταῦτα κτλ.* Sed suo iure etiam in his Hermannus offendit. Nam cum tota Ius (etiam Aeschyleae) fabula, tum versus qui continuo subsequitur, ubi dicitur de Iunonis rixa, ostendit sensum desiderari: non latuit deam coniugis amor. Reponit igitur Hermannus *κἄκρυπτα*. Sensui hoc satisfacit, neque scio, an in eo nobis acquiescendum sit. — Quod si *καὶ κρυπτά κτλ.* verba esse Pelasgi interrogantis putemus, duae lacunae statuendae nobis sint, et ante et post hunc versum. — Plerique editores sequuntur Hermannum. -

3) Etiam vv. Supp. 168 sq. aperte huc spectant. Quorum singula verba corruptissima nobis tradita esse valde dolendum est. Nec satis certa sunt, quae ad hunc locum restituendum viri docti (quamquam ex parte sagacissime) coniecerunt. Quare singula ea hoc loco persequi supersedeo, praesertim cum ad mythologumena novi certe nihil videantur referre. Dici de Iunonis ira, quae etiam prognatas Ius, sc. Danaides, persequatur, e schol. elucet. Cf. editorum adn. et Dind. in lex. Aesch. s. v. *Ἰώ*.

4) Cf. praec. vv. 627 sq. (et 600 sq.), quibus Io invocat Iovem, cur et propter quae peccata se tantis suppliciis vexet. Minime vero haec ita accipienda sunt, ut Aeschylum fingere voluisse, Iovem Iunonis in infelicem virginem consilia laudare vel etiam iuvare, nobis censendum sit. Immo 'compescit Iunonis furores Iupiter' Supp. 595. Tenendum est, ista verba, quibus Iupiter ipse incusatur, Ionis esse, quae eum laborum suorum auctorem habeat necesse est, cum illius amorem primam eorum causam esse sciat. Recte igitur Schoemanno (dicenti in ed. Prom. p. 8: „Weil Io nicht sogleich seinem Willen gehorsam war, so gab Zeus sie dafür den Qualen preis, die der eifersüchtige Zorn der Here über sie verhängte"; cf. opp. III p. 109 sq.) obloquuntur Hermannus (opp. VIII p. 150) et G. Güntherus (Grundz. der trag. Kunst, p. 107 sq.). Similiter ac Schoemannus censet Keckius (d. theol. Char. d. Zeus in Aesch. Prom., p. 8).

5) De hac fusius disseruerunt non pauci viri docti. Ex quibus afferre sufficiat Godofr. Hermannum, de erroribus Ionis Aeschyleae (ed. vol. II, p. 152 sq.), qui alios affert ibi p. 152; Klausenium, Mus. Rhen. III p. 293 sq.; Fossium, de loco in quo Prom. apud Aeschyl. vinctus sit, diss. Bonn. 1862, praec. p. 23 sq., 31 sq.; Schoemannum, ed. Prom. p. 316 sq. Tabulas, in quibus Ius iter pingere conati sunt, addiderunt Klausenius et Fossius. — Longius a proposito aberrarem, si hoc loco omnia singula persequi vellem, quaecunque ad illud iter explicandum aliunde attraxerunt vv. dd. Quae ex parte plane aliena sunt. Ne Hermanni quidem commentatio talibus vacat, quamquam alio

loco (opp. VI p. 184) idem vir doctissimus de rebus similibus iudicat: „Die alten Dichter haben, wie jeder Dichter von gesunder Natur, ausser einigen wenigen im Volksglauben gegründeten unbestimmten Vorstellungen dergleichen Dinge nach jedesmaligem Bedarf und Belieben bald so bald anders ausgemalt, und man muss diese Gemälde nehmen, wie sie die Phantasie des Dichters gegeben hat, ohne daraus ein festes zusammenhängendes Gebäude errichten zu wollen." Hoc Hermannianum etiam ad Ius errores valere suo iure Schoemannus (l. l.) censet. Qui omnino omnium illorum prudentissime mea sententia haec quidem tractat. Cf. adn. 20.

6) *Λέρνης τε κρήνην* aptissima videtur esse emendatio (Canteri) pro tradito *Λέρνης ἄκρην τε* (v. 704).

7) Hanc rupem sitam esse ad terrae terminum in Scythia atque ad Caucasum pertinere Aeschylus finxit. Vide § 82 c. adn. 15. Hanc regionem haud ita longe abesse a Molossis marique Ionio Aeschylus videtur putasse. Ex his et versu 745, ubi *αὐτὸν Καύκασον* vicinum quidem, sed aliquantum a rupe sua remotum Prometheus significat, elucere mihi videtur, Aeschylum, cum in universum non perfectissimas de terris remotioribus habuerit cognitiones, tum putasse Caucasum longius per Oceani litus ab aquilonis partibus terrae paene usque ad ipsum orientem extendi, similiter atque Aethiopes ad Oceanum ab oriente usque ad meridiem pertinere sine dubio finxit. Vide § 96 adn. 3. Neque neglegendum est, totam illam descriptionem esse poeticam, qua delectentur spectatores, non doceantur. Cf. adn. 5 et 20.

8) De his iam paulo supra dixi. Quae vero inter Ionem et Oceaninas in Aeschyli 'Prometheo' intercedant rationes, paene prorsus praetermittendum esse mihi videtur, quia eis non insunt nisi merae rationes dramaticae.

9) De his ampliora vide § 185, i.

10) Sc. a Scythis. Ampliora de Chalybibus vide § 185, c.

11) Cf. § 186, o.

12) De his ampliora vide § 185, a.

13) Cf. adn. 22.

14) Inter vv. 817 et 818 lacunam esse iam dudum viri docti intellexerunt. Complures versus videntur excidisse.

15) Quod mare intellegendum sit, propter lacunam, quae antecedit, satis probabiliter affirmare vix possumus. Cf. interpretum adnotationes, inter has copiosissimam Schoemanni.

16) Quae de his exstant ampliora vide § 40.

17) De gryphibus et Arimaspis vide § 185, b et § 186, n.

18) De Aethiopibus vide § 96 adn. 3.

19) Aethiopem et Nilum eundem fluvium putasse Aeschylus videtur. Vide Schoemannum et Weckleinium ad h. l.

20) Minimam tantum partem ipsius itineris tractare hoc loco Aeschylus potuit, cantici sine dubio ratione ductus. Quod autem in

his tantum abhorret ab altera (Promethei) narratione, equidem non offendor. Namque in talibus descriptionibus poeticae rationes plus valent quam mythologicae. Cf. quae adn. 5 exposui.

21) Recte adn. schol. Ἀσίαν καὶ Εὐρώπην.

22) Hoc loco Bosporum Thracium intellegendum esse, ostendunt terrae quae sequuntur, Phrygia, Mysia, cet. In 'Promethei' vero narratione supra allata aperte Cimmerium Bosporum significari vidimus. Quid de hac discrepantia censeamus? Equidem nimium ponderis ei non tribuam. Videtur mihi Aeschylus utrique Bosporo ex Ius itinere nomen esse credidisse; neque vero poetae fuisset, in una eademque errorum descriptione duos illos transitus inter se simillimos depingere. Praeterea in hanc quoque rem valet Hermannianum illud a Schoemanno laudatum, quod adn. 5 commemoravi.

23) Sc. Phoeniciam, ut recte adn. schol. Et epitheta et quae antecedunt terrae quaeque sequitur (Aegyptus) hoc demonstrant.

II. Epaphus eiusque prognati.

§ 166. Simul Iovis isto contactu (§ 165) Io gravida fit Supp. 316, 1078 (εὐμενεῖ βίᾳ κτίσας, sc. Iupiter), cet. ll. ll., paritque Epaphum, Prom. 877, Supp. 40 sq., 317 sq. (Δῖον πόρτιν[1]), 588 sq. (Δῖον ἕρμα), qui propter illam ἐπαφήν sic vocatur Prom. 877, Supp. 318 (ἀληθῶς ῥυσίων ἐπώνυμος).

Significatur Epaphus κελαινός Prom. 877. Dicitur ἀμεμφής, per longam vitam maxime fortunatus, quo nato tota terra exsultat, Supp. 589 sq. Possidet omnem quam Nilus irridet terram Prom. 877.

Filia[2] Epaphi est Λιβύη, quae maximam terram possidet, Supp. 319[3], eiusque filius est Βῆλος 321. Hic δίπαις dicitur, pater est Danai et Aegypti 321 sq. Huic filii nascuntur quinquaginta, Supp. 323 (cf. § 167), illi quinquaginta filiae (quinta ex Epapho generatio), Prom. 879 sq. cl. c. Supp. 9 sq.[4]

Hae Danaides in Aegypto natae sunt, Supp. 3 sq., 73 sq., 506, et species earum (μελανθὲς ἡλιόκτυπον[5] γένος ib. 160, cf. 73, 285 sq., 506), vestitus (ὅμιλος ἀνελληνόστολος πέπλοισι βαρβάροισι χλίων ib. 240, Σιδονίαις καλύπτραις instructae 128, 139), lingua (ib. 124, 135) ab Aeschylo Aegyptia vel barbarica finguntur. In 'Supplicibus' identidem gloriantur, e Iovis et Ius coniugio se prognatas esse, ut v. 15 sq., 50 sq., 147, 212, 280 sq., 540 sq., 660. Rursus Argos veniunt Danaides fugientes

patruelium coniugia. De his rebus, quaeque cum eis cohaeret, Aegyptiadarum caede vide ampliora §§ 167 sq. Unus ex Aegypti filiis mortem effugit; vide § 171. Hic auctor est stirpis regiae Argivae, Prom. 895, ex qua originem trahit Hercules, ib. 897 sq.; cf. § 159.

Adnot. 1) Admodum memorabile mihi videtur, quod saepius quam semel Aeschylus de Epapho hac utitur eadem denominatione, et quod invocatur ille ut deus (v. 40 sq.) a Danaidibus, quae Aegyptiae finguntur. Idem Aeschylum putasse inde colligendum esse puto, quod Herodotus exhibet II, 153: *ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσάν ἐστι Ἔπαφος*, et III, 27: *ἀπιγμένου δὲ Καμβύσεω ἐς Μέμφιν ἐφάνη Αἰγυπτίοισι ὁ Ἆπις, τὸν Ἕλληνες Ἔπαφον καλέουσι.* Cf. III, 28: *ὁ δὲ Ἆπις οὗτος ὁ Ἔπαφος γίγνεται μόσχος ἐκ βοός κτλ.*, et II, 38: *τοὺς δὲ βοῦς τοὺς ἔρσενας τοῦ Ἐπάφου εἶναι νομίζουσι κτλ.*

2) Non diserte hoc legimus in Aeschyli verbis traditis. Sed excidit apud Aeschylum unus versus inter vv. 318 et 319. Illo autem regem interrogasse, quae sit filia (sive qui sint liberi) Epaphi, manifestum est. Ex toto sententiarum conexu hoc elucet. Neque fuisse puto, cur Aeschylus abhorreret a vulgari fabula, quam tradit Apollodorus (2, 1, 3): *Ἔπαφος — τεκνοῖ θυγατέρα Λιβύην, ἀφ' ἧς ἡ χώρα Λιβύη ἐκλήθη κτλ.*

3) Etiam in hoc versu ipso lacuna est. Exhibet Mediceus *Λιβύη μέγιστον γῆς καρπουμένη*. Sine dubio excidit substantivum, ad quod pertinet *μέγιστον* et quod ipsum pendet de *καρπουμένη*. Iam tale vocabulum aptissimum repertum est *πέδον* (post *γῆς* ponendum). Hoc ipsum pro terra vel solo saepissime et identidem sic coniunctum *γῆς πέδον* vel *χθονὸς πέδον* apud Aeschylum invenitur. Affere sufficiat Supp. 266 (*χώρας Ἀπίας πέδον τόδε*), cet. vide in lex. Aeschyl. Dind. s. v. Quare equidem (cum Burgesio, Krusio, Oberdickio) in hoc acquiescendum esse puto. Desideraverim quidem aliquanto disertius poetam commemorasse, terram illam a Libya nomen accepisse (cf. Apollod. l. l. [adn. 2]), praesertim cum plerumque talia uberius respiciat (ut mare Ionium Prom. 866, Bosporum Prom. 759, Supp. 555, Apiam Supp. 266, Areopagum Eum. 688 sq., Pelasgos Supp. 258). Idem desiderantes, ni fallor, alii reposuerunt *Λιβύη μεγίστης ὄνομα γῆς καρπουμένη*. Sed hoc contrarium potius significaret 'Libyam a terra ista nomen recepisse.' Neque vero tale quidquam Aeschylum dicere voluisse, libenter Oberdickio concedo. Namque in ipsis fabulis (et sic etiam semper apud Aeschylum) terrae de hominibus nominantur, non homines de terris (cf. quae modo attuli). Quare abiciendam esse hanc lectionem (receptam ab Hermanno, Dindorfio, Ahrensio) censeo.

4) Putari non posse, tantum in scenam prodiisse numerum choreutarum in 'Supplicibus', suo iure interpretes notaverunt. Nihilominus cogitatum esse illum numerum Danaidum etiam in 'Supplicibus'

patet. Vel illud, quod patrueles, quorum coniugia fugiant, L esse dicunt, hoc ostendit. Cf. § 74 adn. 4.

5) Hanc rectam sine dubio scripturam pro tradito ἡδιόκτυπον Wellauerus reposuit.

III. Danaidum fabula.[1]

a) Aegyptiorum consilia et Danai ac Danaidum fuga.

§ 167. Danaidum celeberrimam fabulam Aeschylus tota trilogia (vel tetralogia) tractavit similiter atque Atridarum et Labdacidarum. Sed unum tantummodo drama ex ea nobis integrum servatum est, id cui inscribitur Ἱκέτιδες. Quod primum trilogiae drama erat.[2] Versatur summa eius argumenti in praesidio, quod Argivi Danaidibus patrueles fugientibus praebent.

Causa fugae illius est, quod Aegypti filii[3] (Supp. 9, 30, 337, 343, 392, 483, 824, 939, 1064) petunt, ut Danaides virgines agnatae (Supp. 8, 231, 321 sq., 393, 483, 944, Prom. 881 sq.) sibi uxores (vel potius servae 337, 339, cf. 397) sint[4], easque id recusantes atque detestantes (Supp. 39, 79 sq., 147 sq., 230 sq., 334, 337 sq., 793, 812 sq., 1063, 1073, Prom. l. l.) vi cogere conantur, ut sibi morem gerant (Supp. 6 sq., 29 sq., 337 sq., 537 sq.).

Describuntur (a Danaidibus et Danao) Aegypti filii impudentes et violenti, Supp. 337, 820 sq., vel potius prorsus nefarii atque impii, Supp. 30, 83, 231 sq., 537, 749, 758 sq., qui deos nec venerentur nec timeant, 763 sq., ac malis bestiis comparandi sint 520, 770. Cum tali dominorum descriptione concinit praeconis Aegyptii insolentia, Supp. 849 sq., et id quod de eis dicitur Prom. 882 sq., cum ipsae Danaides castae piaeque virgines (per tot. fab. Supp.) depingantur. — Impias vero ab eis dici consentaneum est eas nuptias, Supp. 9, 37, 80 sq., 110 sq., quae petuntur ab eis, quos tam impios ducunt, quasque ut faciant vi cogantur quibusque ipsae maritorum servae fiant.[5] Cf. etiam Prom. 884 (γάμοι οὐ θηράσιμοι).

Dux autem earum omniumque consiliorum auctor est ipse Danaus pater (per tot. fab. Supp.; cf. vv. 11 sq., 182 sq., 980).

Adnot. 1) Cf. Reinkens., de Aeschyli Danaidibus, Progr. Düsseldorf. 1886. — De Danaidum gente exposui § 166.

2) Fabulam nobis servatam, quae inscribitur Ἱκέτιδες, non solam fuisse doctam, sed trilogia cum aliis tragoediis coniunctam fuisse, iam dudum viri docti animadverterunt. Vide de hac quaestione praet. cet. G. Hermann., opp. II p. 310, 314, 319 sq., ed. Aesch. vol. I p. 329 sq.; Welcker., tril. p. 309 sq., kl. Schr. vol. IV p. 100 sq. (Rh. M. IV p. 481), p. 128 sq. (Rh. M. XIII p. 189); Oberdick., ed. Supp. p. 1 sq.; Reinkens., l. l. p. 1 sq., cf. Dindorf. (poet. scen. p. 100 ad Aegyptios); G. Günther., Grundz. d. trag. Kunst p. 32, 114 sq. — Omnem eius rei dubitationem tollit 'Supplicum' exitus, qui contentionem non confectam sed orientem vel certe increscentem exhibeat. Etiam hoc plerique nunc consentiunt, 'Supplices' trilogiae fuisse fabulam primam. Cuius rei argumenta repetere supersedeo. Optime ea exposuit Reinkensius (l. l. p. 1 sq.). C. O. Müllerus, cum 'Supplicibus' antecessisse Aegyptios affirmat (Gr. Litt. vol. I p. 543), ab omni parte priorem Welckeri sententiam (tril. l. l.) suam fecit, quam ipse Welckerus postea (Rh. Mus. [kl. Schr.] l. l.) improbavit atque immutavit. Tertiam trilogiae fabulam fuisse 'Danaides', argumento huius dramatis, quod satis certe e fragmentis erui potest (vide § 172), probatur. Mediae, quae restat, fabulae aptissimus videtur titulus in indice servatus Αἰγύπτιοι (de altero titulo Θαλαμοποιοί vide § 171 adn. 2). Accessisse denique ad hanc trilogiam satyricum drama 'Amymonen' verisimillimum est (vide § 170). Hanc igitur fuisse tetralogiam, Supplices, Aegyptios, Danaides, fabulam satyricam Amymonen, nunc omnes fere vv. dd. consentiunt.

3) Quinquaginta, cf. § 166.

4) De iure, quod sibi in hac re esse putant Aegyptii, cf. praeconis verba Supp. 927 sq. et vv. 392 sq.

5) Cf. Welcker., kl. Schr. IV p. 122, Reinkens., l. l. p. 7 sq. Qui recte demonstrant, quantum ex 'Supplicibus' videre possimus, nihil causam esse, cur Danaides nuptias eas recusent, nisi mores Aegyptiorum barbaros atque incultos, violentiam eorum atque immodestiam (vide praec. v. 337 ὡς μὴ γένωμαι δμωὶς Αἰγύπτου γένει et qu. sq.). — Mirari me fateor, quod nonnulli huius aetatis interpretes (ut nuperrime G. Günther, Grundz. der trag. Kunst p. 32, 114 sq., cf. 67) vitare eas voluisse incestum (sc. consanguineorum coniugii) censent. Quin etiam Güntherus Venerem in trilogiae conclusione inductam esse opinatur, ut tollat in posterum consanguineorum coniugia antea permissa. Talia plane aliena esse a Graecorum, nec non ab Aeschyli, moribus et opinionibus, rectissime certissimisque argumentis demonstravit Reinkensius (l. l. p. 7 sq.), simul 'Supplicum' locos, qui talem sensum olere videantur (quos etiam Graeci scholiastae prorsus aliter interpretantur), minus recte ab istis (Hartungio, Schwerdtio, Günthero) explicatos esse ostendens. — Multo probabilius videatur, quod Welckerus (tril. p. 395) suspicatur prorsus contrarium Günthero, intercedente Venere in 'Danaidum' conclusione sublatam esse eam legem, qua i n c e s t a a n t e a habita sint consanguineorum coniugia. Quamquam ne hoc quidem ullo documento nititur. — Reinkensio cum in his assentiar, non nego mo-

ralem quendam, ut ita dicam, sensum huic trilogiae subfuisse videri (ut Orestiae, Promethiae). Sed alium eum fuisse censeo, fortasse talem, qualem probabiliter coniciunt Welckerus (kl. Schr. IV p. 124), Prellerus (Gr. Myth.[2] II p. 52 adn. 3), Oberdickius (ed. Supp. p. 10 sq.): praedicatum esse ab Aeschylo ac defensum ius et vim amoris, improbata coniugia quae vi efficiantur.

b) Danaides Argis recipiuntur.

§ 168. Navigatione prospera defunctae (Supp. 140 sq.) ad litus Argivum perveniunt. Hic incipit prima trilogiae fabula. Nave modo appulsa precibus longioribus Iovem aliosque deos implorant, ut se defendant a patruelium insolentia, Supp. 1—181. Deinde patre iubente cum ramis, ut supplices decet, in *κοινοβωμίᾳ,* quae in scena est, assidunt deosque venerantur, 182 sq., cum Pelasgus, rex Argivorum[1], cum comitibus advenit percontaturus, quae et unde virgines advenae sint, 240 sq. Respondent illae, ex Ione, quam amaverit Iupiter, sese esse oriundas eaque de origine Argivas, 280 sq. (cf. 15, 333, 547 sq.). Quod regi primum dubitanti probant narratis eis, quae Ioni acciderunt, 297 sq. Deinde ei exponunt, quae causa fugae sibi fuerit, eique supplicant, ut sibi contra Aegyptios persecuturos (cf. Prom. 882 sq.) auxilietur, ad Iovem *ἱκέσιον* deorumque aram, cui assident, revocantes 330 sq. Rex, ne populo suo bellum excitet, metuens, 344, 360 sq., 382, 402 sq., 415, nec non reformidans deorum qui supplices tuentur iram, 348, 358 sq., 383 sq., 418 sq., primum cunctatur atque in dubio haeret 344 sq., praec. 412 sq. Neque se tantam rem nesciente populo decreturum esse affirmat 373, 403 sq. Interea Danaides ei supplicare non desinunt, donec ille animum inducit, ut praesidium eis praebeat, 447 sq., Danaumque iubet urbem Argivorum intrare et ramos ibi in aris deponere, ut cives omnes de supplicum adventu certiores fiant, 489 sq. Abit Danaus, 509, eumque paulo post subsequitur rex 532. Solae relictae virgines denuo Iovem stirpis suae satorem precibus implorant 533 sq.

§ 169. Suadente Pelasgo rege populus Argivorum communi omnium consensu decernit, advenas liberos in terram suam recipere et ab omnibus qui eis instent defendere. Danaus ex urbe reversus hoc filiabus denuntiat 608 sq. Quae gratis ani-

mis deos invocant, ut salutem praestent Pelasgis, 633 sq. Tum subito conspiciunt Aegyptiorum classem appropinquantem 718 sq. Timentes virginum animos hortationibus Danaus confirmat et sperans, haud ita celeriter ad ipsum litus naves appulsuras esse, propere ad urbem contendit, ut Argivorum auxilium acciat, 742—783.

Priusquam autem revertitur, praeco Aegyptiorum ad litus escendit, 849 sq., virginesque secum abducere, cum verbis non potuerit, vi conatur 914 sq. Tunc tandem rex Argivorum advenit. Qui acriter Aegyptium illum increpat vetatque virgines tangere atque ex terra sua abigit 922 sq. Abit praeco minans, bellum ex hac re coorturum esse, 945, 961 sq. Danaides autem cum patre in urbem se conferunt 991 sq.

Adnot. 1) De hoc cf. § 184, b.

c) Amymone.

§ 170. *Ἀμυμώνη* fabula inscripta erat Aeschylea satyrica.[1] Cuius argumentum videtur versatum fuisse in his, quae de virgine illa referunt Apollodorus (2, 1, 4) et Hyginus (fab. 169).[2] A patre Danao missa, ut aquam quaerat, forte satyrum dormientem iaculo ferit. Qui experrectus violare eam vult. Sed imploratus a virgine Neptunus adest fugatque satyrum. Tum autem ab ipso Neptuno Amymone comprimitur. Qui, ut gratiam ei referat, fontes Lernaeos aperit. — Optime concinunt cum tali argumento fragmenta.[3]

Adnot. 1) Et satyricam eam fuisse et eiusdem ac 'Supplices' tetralogiae (vide § 167 adn. 2), omnes (praeter Dindorfium, de quo vide § 171 adn. 2) consentiunt. Cf. Reinkens., l. l. p. 15 sq.; E. A. J. Ahrens., ed. Aesch. p. 252; Oberdick., l. l. p. 5 sq.; Ad. Schoell., Beitr. z. Kenntn. d. trag. Poes. d. Gr. p. 22.

2) Etiam de hac re consentiunt vv. dd. Nam et satyricae fabulae aptissimum esse videtur argumentum illud neque aliud inveniri possit quod dramati ita nominato conveniat.

3) E quibus frg. 11 *σοὶ μὲν γαμεῖσθαι μόρσιμον, γαμεῖν δ' ἐμοί* satyri verba fuisse (ut Oberdickius putat) veri simillimum est, quamquam etiam Neptunum ea dicere potuisse (ut Ahrensius censet) negari non potest. Satyro etiam frg. 12 ('et ego unguenta tua . . .') cum Oberdickio tribuerim; frg. 13 (*θρώσκων κνώδαλα*) autem de satyrorum libidine dictum esse videtur a Neptuno.

d) Danaidum nuptiae.

§ 171. Danaidum nuptiae quin tractatae fuerint ab Aeschylo in ea fabula quae 'Supplices' excipiebat, dubitari vix potest.[1] Praeter hoc unum de ea fabula nihil, ne nomen[2] quidem, certum est.[3] — Perstringit vero has res Aeschylus etiam in 'Prometheo' vv. 882 sq., ubi vaticinatur Prometheus haec: Patrueles qui Danaides persequuntur (cf. §§ 168, 169) Argos venient. Sed corpora (sc. virginum) eis deus invidebit.[4] Pelasgia autem (sc. terra Pelasga[5]) eos excipiet *θηλυκτόνῳ Ἄρει νυκτιφρουρήτῳ θράσει* domitos.[6] Unaquaeque enim mulier maritum vita privabit ancipiti gladio caede tincto. Sed una e puellis amore captus coniugi parcet maletque ignava dici quam cruenta homicida (cf. § 172). Ex hac nascetur Argivorum gens regia v. 895 (cf. § 166).

Adnot. 1) Vide quae § 167 exposui et cf. Welcker., kl. Schr. IV p. 100 sq.; Hermann., ed. I p. 330 sq.; Ahrens., ed. p. 202; Dindorf., ad Aesch. frgmm. p. 100; Oberdick., ed. Supp. p. 2; Birt., Rh. M. XXXII (1877), praec. p. 408 sq.

2) De summa eius fabulae argumenti cum non dissentiant viri docti, controversia est de titulo. 'Aegyptios' (catal.) huc referendos esse Welckerus, Ahrensius, Reinkensius, Dindorfius censent, '*Θαλαμοποιούς*' Hermannus eumque secuti Oberdickius, Prellerus (Gr. Myth.[2] II p. 52 adn. 3), Birtius, cet., posteriore tempore etiam Welckerus. Recte igitur improbavit ipse Hermannus ea, quae olim (opp. II p. 310, 314, 319 sq.) coniecerat de Supplicum et Danaidum dilogia. Quamquam ad ipsa mythologumena minus referant, tamen pauca dicenda mihi videntur de hac titulorum controversia. Certe argute excogitata sunt quae Hermannus de thalamorum exstructione protulit neque prorsus improbabilia. Quin etiam Welckerus, cum antea (tril. p. 309 sq.) prorsus aliena opinatus esset (cf. § 89 adn. 3), postea (Rh. Mus. XIII l. l.) adeo Hermanni sententiam amplexus est, ut eam non pro coniectura, ut Hermannus ipse, sed pro re satis probata ac certa sumeret. — At quis neget, aptissimum videri titulum dramati Danaidum nuptias continenti 'Aegyptios', qui in indice servatus est? De quo suo iure Welckerus (kl. Schr. l. l. p. 101) dicit: „Dass die 'Aegypter' nicht zu den beiden andern Stücken gehört haben könnten, darf niemand aussprechen, ohne einen andern Mythus anzuführen, worin Aegypter auf die Bühne gebracht werden konnten". Quae cum ita sint, Welckerus ad hanc sententiam (p. 131) deductus est, eandem fuisse fabulam *Θαλαμοποιούς* et Aegyptios. Idem ego censeo. Sed hoc unum viro doctissimo concedere nequeo, utrumque nomen chori esse eiusdem. Aegyptios potius nomen esse simile atque *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας* chorumque ex mi-

nistris (thalamum exstruentibus) constitisse suspicor. Cur autem Aegyptiadae non *Αἰγύπτιοι* ab Aeschylo dici potuerint (Herm. l. l. p. 332, Birt. l. l.), non intellego, praesertim cum in 'Supplicibus' illi vel *Αἰγύπτου παῖδες* (saepius) vel *Αἰγύπτιον γένος* (v. 824) vel *ἑσμὸς Αἰγυπτογενής* (v. 30) dicantur, nusquam *Αἰγυπτιάδαι*. — De Birtio vide § 172 adn. 3. — Plane improbabilia esse quae Dindorfius (l. l.) putat, fuisse fabulae satyricae nomen *Θαλαμοποιούς*, vel ex eis efficiuntur quae de Amymone (§ 170) exposui.

3) Viri docti, quos adn. 1 commemoravi, alius alia, probabilia et improbabilia coniecerunt, quae, cum omnia incertissima sint, in ipsa mythologumena recipere mihi non licet. Unum, quod servatum est ex Thalamopoeis, fragmentum 72, de huius fabulae argumento nihil prodit nisi quod iam titulo docti sumus. Ad thalami enim exstructionem aperte pertinet. Neque plus docemur uno Aegyptiorum fragmento (etiam suspecto). Summam fere argumenti fuisse propter trilogiae conexum putare debemus: nuptias Aegypti filiorum et Danaidum quaeque cum eis cohaerent. Loci nonnulli Supplicum (vv. 344 sq., 360 sq. 402 sq., praec. 945, 961 sq.) futurum Aegyptiorum et Danai (vel Pelasgi) bellum indicare videntur. Sed utrum hoc vitatum fuisse dolo Danai Aeschylus finxerit necne, nos scire non possumus. Nec de ratione, quae inter Pelasgum et Danaum in posterioribus fabulis fuerit, nobis offeruntur nisi coniecturae plane incertae.

4) Recte haec 'virginum' corpora interpretantur recentiores editores (vide Hermann., Dindorf., Wecklein. ad h. l.). Minus apte ad ipsorum Aegypti filiorum corpora verba refert scholiastes.

5) Sic recte meo quidem iudicio interpretantur Siebelis (quem affert Herm. ad h. l.) et E. A. J. Ahrensius. Cf. adn. 6.

6) Locus corruptus est. Sed levissima tantummodo mutatione, quam iam Pauwius invenit, *δαμέντας* pro tradito *δαμέντων* opus est mea quidem sententia ad genuinam scripturam restituendam. Cur 'absurdum sit de Aegyptiadarum corporibus sepultis cogitare' (Hermann. ad h. l.), equidem non video. Apud ipsum Aeschylum saepius invenitur talis dicendi ratio, cui ironia quaedam subest, eaque haud raro in rebus funestissimis (ut iam paulo infra: *τοιάδ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι Κύπρις*, 890. Cf. Welcker., tril. p. 353). Mihi potius absurdum videtur esse, ad Danaides hoc *Πελασγία δέξεται* hoc loco referre, cum et eo quod antecedit et hoc ipso et eo quod insequitur enuntiatis de Aegypti filiorum funesta morte agatur. Quid sibi velit hoc loco interpositum Danaides Argos esse receptas?

e) Hypermestrae[1] iudicium.

§ 172. Non dubium est, quin de Hypermestra et Lynceo dicta sint, quae modo ex 'Prometheo' attuli (quamquam nomina non addita sunt). Spectabat ad hoc celeberrimum illius factum

iudiciumque ea de causa de filia a Danao habitum[2] tertia trilogiae (de qua dixi § 167 adn. 2) fabula.[3] De cuius argumento e fragmentis haec colligi possunt. Gravissimum est frg. 41, quo docemur ipsam Venerem in scenam prodiisse vim amoris splendide praedicantem. cuius ipsa effectrix sit. Defendisse igitur eam Hypermestram ream similesque partes in 'Danaidibus' egisse atque in 'Eumenidibus' Apollinem et Minervam, apertum est. Atque a iudicibus liberatam esse ream consentaneum est.[4] Ad Danai de caede Aegyptiadarum narrantis orationem pertinere frg. 40 (dicere videtur[5] aliquis: mane se sponsos sollemniter excitare), suo iure vv. dd. putant. Etiam frg. 42 a (*καθαίρομαι γῆρας*, senectutem exuo) ad Danaum spectare veri simillimum est. — Chori partes Hypermestrae sororibus fuisse, e titulo colligi licet. Cetera incerta sunt.[6] Cf. de Hypermestra et Lynceo § 166.

Adnot. 1) Hanc veram et genuinam huius nominis esse formam satis mihi probavit Papageorgius. Cf. § 123 adn. 1.

2) Cf. Preller., Gr. Myth.² vol. II p. 53.

3) Vide Welcker., Hermann., Ahrens. (ll. ll.), Oberdickium (l. l. p. 4 sq.), Reinkens. (l. l. p. 14 sq.). — Quae conicit Birtius (Rh. Mus. 32) et de nomine (*Αἰγύπτιοι* p. 423) et de argumento ('comitibus Aegyptiadarum qui captivi dominorum exitium conquerantur cet.' p. 424) tertiae fabulae trilogiae, omni certo fundamento carent, ut iam Reinkensius (p. 12) observavit. Si argumentationes illius viri d. artificiosissimas hic persequi vellem, spatium propositi longius excederem. Hoc unum Birtio concedendum esse puto, Ovidio notam fuisse Aeschyli fabulam. Neque vero hac de causa nobis licere, pro Aeschyleis fragmentis uti illius heroid. ep. XIV, censeo.

4) Cf. Prom. vv. 893 sq. (supra § 171 allatos) c. Pausan. II, 19, 6.

5) Quin hi versus Aeschylei corrupti sint, dubitari vix potest. Necdum satis probabiliter emendati sunt. Cf. Hermanni (opp. II l. l.), Oberdickii (l. l. p. 5), Birtii (l. l. p. 421) conatus.

6) Varia vv. dd. suspicati sunt. Praecipue de Danaidum (sc. totius trilogiae) conclusione multa, alii probabilia, alii plane improbabilia, coniecerunt. De quibus vide § 167 adn. 5.

---

8. Perseus.

§ 173. Probabile, quamquam non certum, est, trilogia Aeschylum Persei res tractasse. Certe ad illum heroem per-

tinebat fabula cui nomen erat *Φορκίδες*. Et propter titulos, cum de argumentis certi nihil constet, eodem referendae videntur *Δικτυουλκοί* et *Πολυδέκτης*.[1] De 'Phorcidibus' ampliora produntur fragmentis. Ad celeberrimam a Perseo gestam rem, Gorgonis caput decisum, eius argumentum spectabat, frg. 253, 252, tit. Chorum e Graeis (tit.) earumque ministris constitisse non improbabile est. Vide § 40 adn. 6.[2] Harpen adamantinam Perseo a Vulcano datam esse frg. 253, tamquam aprum eum antrum subiisse frg. 252 testatur.[3] Fortem Persei animum praedicat Aeschylus etiam Ch. 829 sq.[4]

Adnot. 1) Welckerus (tril. p. 378 sq.) trilogiam constitisse putabat e Danae, Phorcidibus, Polydecte. Acuta autem argumentatione Hermannus (Ber. d. sächs. Ges. d. Wissensch. I p. 119; vide ed. vol. I p. 320 sq.), neque '*Δανάη*' titulum re vera traditum esse, demonstravit, et nomen in indice traditum *Δικτυουργοί* corruptum esse ex *Δικτυουλκοί* chorumque piscatorum retia trahentium aptissimum videri fabulae, cuius argumentum in rebus Danaes (sc. arca Seriphum appulsae) versatum sit. Dolendum est, quod fragmenta de hac fabula nihil produnt nisi, quod frg. 45 idem ac iam ipso titulo ostenditur, de retibus in ea actum fuisse. — *Πολυδέκτης* denique nisi in indice nunquam commemoratur. Quae de eius argumento Welckerus exponit, sunt coniecturae eaeque incertissimae. Hermanni sententiam, quam admodum probabilem esse non nego, amplexi sunt Prellerus (Gr. Myth.² II p. 59 sq.), Hippenstielius (de trag. Gr. princ. fab. nominib., diss. Marp. 1887, p. 9). Cf. etiam G. Günther., Grundz. d. trag. Kunst p. 35.

2) Ibidem vide, quales Graeas et Gorgones Aeschylus sibi finxerit.

3) Cf. de 'Phorcidum' argumento Welcker., l. l. p. 381 sq., Prellerum, l. l. p. 67, E. A. J. Ahrens., ed. p. 245.

4) Sic simpliciter h. l. *Περσέως καρδίαν* explicandum esse Blomfieldo assentior.

9. Glaucus Potniensis.

§ 174. Funestam Glauci, Sisyphi filii, mortem quin Aeschylus in tragoedia tractaverit, cui inscribebatur *Γλαῦκος Ποτνιεύς*, dubitari nequit.[1] E fragmentis ea, quae ad mythologumena aliquid referunt, ad ipsam illam mortem pertinent, ut *ἐφ' ἅρματος γὰρ ἅρμα καὶ νεκρῷ νεκρός, | ἵπποι δ' ἐφ' ἵπποις ἦσαν ἐμπεφυρμένοι*'[2], frg. 32, et *εἷλκον δ' ἄνω λυκηδὸν, ὥστε δι-*

πλόοι | λύκοι νεβρὸν φέρουσιν ἀμφὶ μασχάλαις, frg. 33.[3] De ludis equestribusque curribus dici frg. 32[4] apparet, quos Potniis, in Boeotiae oppido, actos esse e titulo supplendum est. In illis non solum Glaucum ab equabus suis devoratum esse, sed etiam alios curribus concussis periisse, ab Aeschylo dici (frg. 32) memorabile est.[5]

Adnot. 1) Cf. Hermannum, opp. II p. 59 sq. (qui etiam congessit quae exstant de hac fabula veterum testimonia, p. 60), Welckerum, tril. p. 561 sq., Leutschium in Ersch. et Grub. encycl. s. v. (vol. 69 p. 196 sq.). — Cum alteram Aeschyli Glaucum (Marinum) satyricam fabulam fuisse putem (vide § 44 adn. 1), hanc (Potniensem) una cum 'Persis' doctam fuisse mihi censendum est. Cf. § 162. d; adn. 1.

2) Hanc vocem in tradita *ἐμ*(vel *ἐκ-*)*πεφυγμένοι* latere quin recte viderit Valckenarius, non dubito.

3) Haec duo fragmenta ex nuntii alicuius narratione sumpta esse patet. Atque ad eandem pertinere frg. incertum 434 *ἀφρὸς βορᾶς βροτείας ἐρρύη κατὰ στόμα* (sc. equarum dominum discerpentium) equidem suspicor.

4) Cf. frg. 39.

5) De fragmento 341, quod huc refert Hermannus, vide § 96 adn. 1.

10. Meleager, Atalante.

§ 175. Meleagri fabulam attingit Aeschylus Ch. 601 sq. Ubi chorus canit *τὰν πυρδαῆ πρόνοιαν*, quam excogitavit infelix Thestias *παιδολυμάς* comburens titionem sanguinarium (*δαφοινόν*) *παιδὸς ἥλικα* e natali die et contemporaneum per vitam usque ad diem fatalem.

Ἀταλάντη nomen fuisse dramati Aeschyleo catalogus testatur. Quamquam praeter hoc nullum eius vestigium (certum quidem[1]) exstat. Atalante denique quin intellegenda sit Sept. 519, mater Parthenopaei *ὀρέσκοος*, nemo dubitet.

Adnot. 1) Neque enim plane improbabile mihi videtur, quod suspicatur E. A. J. Ahrensius (ed. p. 247), huc referendum esse incertum frg. 302 (Dind.) *'σύ τοί μ' ἔφυσας, σύ με καταίθειν μοι δοκεῖς.* Hoc si recte coniecit vir d., Meleagri, qui mortem subito sibi supervenientem sentiat, verba ea esse argumentumque fabulae in nobilissimis Meleagri et Atalantes rebus versatum fuisse putandum nobis est.

16. Actaeon.

§ 176. Quin versata fuerit in Actaeonis funesta morte fabula Aeschylea deperdita, cui nomen erat *Τοξότιδες*, dubitari vix potest.[1] Fragmenta haec produnt. Nullo die Actaeon inanis a venatione rediit. Hunc dominum canes exstinxerunt; frg. 239. Nomina horum canum apud Aeschylum exstitisse accepimus *Κόραξ*, *Ἅρπυια*, *Χάρων*, *Λυκόττας*[2] frg. 239. Ad comitum Dianae nympharum vestitum spectare videtur frg. 240 *πεζοφόροις ζώμασιν'*. Sed quonam pertinent verba frg. 238, quibus ait aliquis, 'facile se scire cognoscere ac discernere in oculis, quae sint virgines quaeque iam virum expertae sint'? Quis haec loquitur? Haud scio an ipsius Actaeonis verba nefaria sint, qui ad tantum nefas processerit, ut ipsius deae virginitatem in suspectum vocare auderet. Quamquam pro certo hoc ex fragmento illo colligi nequit.[3]

Adnot. 1) Suo iure hoc statuit Hermannus. Quod elucet ex duobus fragmentis (239 Dind.), quae et de Actaeone et de domino a canibus discerpto actum in ea esse exhibent. Vix igitur hodie quisquam assentiatur Welckero confidenter dicenti (tril. p. 431): „Für das erste (sc. Stück der Trilogie Aethiopis) können wir ohne Gefahr zu irren die Schützinnen ansehen. Denn wer anders als die Amazonen sollte dieser Chor sein?" — E nymphis Dianae comitibus chorum 'Sagittariarum' constitisse veri simillimum est. Cf. etiam E. A. J. Ahrens., ed. p. 208 sq.

2) Sic edidit Bekkerus. Cf. nomina enumerata apud Ovidium, Met. III, 206 sq., Hygin. fab. 181 (p. 37 Schmidt.) et in versibus ad Apollod. III, 4, 4 adscriptis (Bergk., poet. lyr. III⁴ p. 699 sq.). Charon et Lycettas apud hos non inveniuntur (quamquam aliquatenus similia Lycisce et Charops); pro Coracis nomine (quod deest apud Ovidium et in versibus Graecis) apud Hyginum vitiose 'Coran' legitur (tum 'Borax' nomen exstat).

3) Cf. Ahrensium (l. l. p. 209), qui de chori nymphis Actaeonem illud dicere (minus probabiliter mea quidem sententia) suspicatur.

12. Niobe.

§ 177. Niobes fabulam celeberrimam tractavisse videtur Aeschylus trilogia. Sed ex una tantummodo tragoedia, cui ipsum nomen erat *Νιόβη*, certa fragmenta nobis servata sunt.[1] Quae

haec fere produnt.[2] Notissimum est, quam splendide depinxerit Aeschylus Niobes dolorem, quam ab exordio usque ad medium fere drama[3] silentem (*ἐγκεκαλυμμένην*) liberorum sepulcro assidentem induxit frg. 254. Hos liberos septem filios totidemque filias fuisse Aeschylus dixit frg. 163. — Postremo illud eius silentium in breves lamentationes interdum repetitas abiisse, e fragmento 158 conicio, et huc spectare verba *ἐφημένη | τάφον τέκνοις ἔπωζε*[4] *τοῖς τεθνηκόσιν* puto. Atque tum tandem verba eam locutam esse eaque gravissima et magnificentissima putandum est (Ar. ran. 924, cf. frg. 154). Ex Niobes oratione aliqua etiam versus frg. 156 (solum deorum *Θάνατον* donis flecti non posse cet.) mihi quidem videntur sumpti esse.[5]

Etiam Tantalo partes erant in ea fabula. Qui ait, se arva per duodecim dierum iter patentia arare in Berecyntiis finibus, ubi Adrasteas fanum totaque Ida mugitu oviumque (sc. suarum) balatu resonet[6], et paulo post[7], fortunam suam in caelo versantem humum concidere; non confidendum esse nimis rebus humanis; frg. 155.[8]

Ad Tantali et filiae diverbium pertinere videntur verba, quae de sua gente dicit Niobe: *οἱ θεῶν ἀγχίσποροι, | οἱ Ζηνὸς ἐγγύς, ὧν κατ' Ἰδαῖον*[9] *πάγον | Διὸς πατρῴου βωμός ἐστ' ἐν αἰθέρι, | κοὔπω σφιν ἐξίτηλον αἷμα δαιμόνων,* frg. 155, et verba celeberrima (Tantali, ut videtur): *θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς, | ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλει,* frg. 160.

Denique memorabile est, etiam Amphionis vel domus eius in Niobe Aeschylea mentionem factam esse, frg. 157.[10]

Quae restant fragmenta aut incertiora sunt aut ad mythologiam nihil afferunt.

Adnot. 1) Non una tragoedia ab Aeschylo hanc materiam comprehensam fuisse certissime efficitur disertis eis testimoniis, quae sub frgg. 158 et 254 Diudorfius affert, quibus docemur, iam in ipso illius dramatis cognominis initio liberos Niobes esse mortuos. Hoc Welckero concedo, qui de hac trilogia disputavit tril. p. 341 sq. Minime videtur mihi huic rei repugnare locus Aristoteleus (poet. c. 18): *σημεῖον δὲ* (sc. quod non liceat poetae longi carminis epici materiam uno dramate tractare) *ὅσοι πέρσιν Ἴλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος ὥσπερ Εὐριπίδης, ἢ* (hoc vocabulum *ἢ* in Parisino omissum aptissime addidit Vahlenus, cuius ed. p. 168 cf.) *Νιόβην καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται.* Laudari hoc loco Aeschylus ab Ari-

stotele videtur, quod non uno dramate, sed trilogia, Niobes res explicaverit. Cf. Günther., Grundz. d. trag. Kunst p. 291.

Neque vero quidquam certi de ceteris tragoediis, quas cum Niobe coniunctas fuisse nobis putandum est, constat. Incertum (quamquam non improbabile) est, quod de fabula, cui nomen erat *Προπομποί*, Welckerus coniecit. Fragmenta eius paucissima nihil de argumento produnt. Omni vero probabilitate caret, quod de titulo *Τροφοί* ille v. d. suspicatus est. Cf. de hac trilogia etiam G. Günther., l. l. p. 34 et 55, Ahrens., ed. 218 sq., Buchholz., Niobe, Progr. Erfurt. 1868, qui vernacula utens lingua imitari Aeschylum vel potius una tragoedia exprimere conatus est, quaecunque tota trilogia Aeschylum fortasse explicuisse nos hodie conicere possumus.

2) De 'Niobes' fragmentis et argumento cf. praeter Welckerum et Buchholzium (p. 58 sq.) Hermannum, opp. III p. 37 sq., Prellerum, Gr. Myth.[2] II p. 380 sq., Starkium, Niobe und die Niobiden p. 35 sq. Nondum contigisse mihi doleo inspicere Fritzschii progr. acad. Rostoch. 1836.

3) *Μέχρι τρίτου μέρους* exhibet cod. Medic. in vita Aesch. (ed. Wecklein. vol. I p. 467). Cf. Welcker., l. l. p. 342, Bergk., Herm. 18 pag. 485.

4) Imperativus *ἔπωζε* an imperfectum *ἐπῶζε* legendum est? Neque hoc neque, quis haec locutus sit, propter brevitatem fragmenti diiudicare audeo. Certe ineptire Hesychium explicantem: *ἐπώζειν· ἐπικαθῆσθαι τοῖς ᾠοῖς* (quod receperunt Welckerus, Hermannus, Starkius) Nauckio assentior, cum *ἐπώζειν* aptissime explicari possit 'lamentari'. Vide Bergkium (l. l. p. 487), qui hoc verbum satis munivit meo iudicio. Non opus est Nauckii forma *ἐπῷζε* (de verbo *ἐποίζειν* derivata).

5) Quamquam pro certo hoc affirmari non posse consentaneum est. Idem videtur Buchholzio (l. l. p. 45), aliter censet Hermannus (l. l. p. 54).

6) Hunc fere sensum inesse verbis fragmenti non integris patet.

7) Hoc Plutarchus tradit. Nuntium igitur interea ad eum venisse putandum est mali alicuius (nepotum mortis, ut videtur).

8) Iam quaestio gravissima paucis attingenda mihi est, quales fuisse illas Tantali partes et, id quod eodem fere spectat, qua in terra (Thebis an in Lydia) scenae locum fuisse putandum nobis sit. Atque credi quidem potest mea sententia, eundem fuisse locum, ubi Tantalus haec dixerit atque ubi Niobe lamentata sit (sc. ad sepulcrum Niobidarum), si statuimus fictum esse ab Aeschylo Tantalum casu Thebas venientem, ibi primo non sine iactatione narrantem, quis sit, et tum demum cognoscentem, quae sit mulier velata sepulcro assidens quaeque illic acciderint. Namque Hermanni (l. l.) sententiam, qui etiam Niobidarum sepulcrum in Lydiam transfert, omni probabilitate carere acute iam Welckerus (tril. p. 351) demonstrat. Neque hunc refellit mea sen-

tentia Starkius cum dicit (l. l. p. 37): „Die Scene ist nur am Sipylos zu denken, nicht in Theben, wo nur eine ganz locale, von Euripides (sc. in praetereundo, Phoen. 159) benutzte Tradition, deren Richtigkeit von anderen bestritten wurde (hoc ad schol. Eur. l. l. spectat), Niobidengräber kannte.“ Contendit Starkius (l. l. p. 380) Euripidem, cum sepulcrum Niobidarum Thebis fuisse dicat, mutare fabulae formam; neque vero hoc satis probat. Equidem causam desideraverim, cur Euripides fabulae, quam in praetereundo uno fere versu tantummodo tangit, formam mutaverit. Immo Thebis profectam esse eam traditionem et iam ante Euripidem vulgatam apertum est. Iam Aeschylum eam amplexum esse, praet. cet. frg. 157 (ubi commemoratur Amphion) mihi quidem probat. Cf. § 147, II.

Neque eam fabulae formae mutationem, quam ab ipso Aeschylo profectam esse nobis putandum sit (sc. Tantalum Thebas venisse), tam gravem esse concedere possum Hermanno, ut Aeschylo tribui non possit. Sed quid loquor tam multa de rebus, de quibus conici permulta possunt, probari fere nihil? Nam etiam quae Welckerus censet (ea fragmenta, quae ad Tantalum pertineant, e tertia trilogiae fabula sumpta videri, in qua Niobe in Lydiam ad patrem reverterit, nomenque 'Nioben' in illis de tota trilogia intellegendum esse) eiusmodi sunt, ut neque certe refelli neque satis probari possint.

9) Etiam Sipyli montis alicubi in hac fabula mentio fiebat, frg. 155. Sed ad Niobes transformationem (Herm. l. l. p. 55, Welcker. l. l. p. 345) hoc non pertinere verba Strabonis demonstrare videntur.

10) Carpi ab Aristophane hoc loco (av. 1246 sq.) verba Aeschylea scholiastes testatur. Neque vero inde cognoscere possumus, quot ex eis Aeschyli sint et quemadmodum apud ipsum illum ea se habuerint. Cf. Herm. l. l. p. 52 sq.

---

13. Ixion.

§ 178. Exstabat fabula Aeschylea, cui nomen erat 'Ixion'; cuius pauca tantummodo servata nobis sunt fragmenta. Neque tamen dubito, quin summa eius tragoediae argumenti versata sit in illa celeberrima fabula Ixionis, qui socerum dolose interimit, tum vexatur vesania, tandem ab ipso Iove lustratur.[1]

Patrem Ixionis Aeschylus nominavit Antionem frg. 88. Ipsius mala conscientia vesaniaque vexati verba videntur esse frg. 86 *βίου πονηροῦ θάνατος εὐκλεέστερος.* Ad Ixionis lustrationem spectat frg. 87[2], eodemque refero frg. 340: *πρὶν ἂν παλαγμοῖς αἵματος χοιροκτόνου | αὐτός σε χράνῃ*[3] *Ζεὺς καταστάξας χε-*

ροῖν.[4] Cetera huius dramatis fragmenta de mythologumenis certi quidem nihil produnt. Sed addendi sunt duo loci Eumenidum, quibus Ixionis expiatio respicitur, vv. 444 et 720 sq., ubi supplicantem primum necatorem illum (arae assidentem similiter Oresti) ab ipso Iove purgatum esse dicitur.

Praeter ipsam 'Ixionem' ad illius fabulam pertinuisse eam, quae inscripta fuit *Περραιβίδες*, propter hoc nomen nonnulli vv. dd. coniecerunt (vide Herm., Nauck., Dind. ad frgmm.). Quod si recte suspicantur, Perrhaebides eas res quae ante vesaniam et lustrationem Ixionis sunt continuisse, putandum est. Nec vero satis certa est eorum coniectura. Fragmenta tria nobis servata eiusmodi sunt, ut certi de argumento fabulae nihil prodant. Et cum eadem fere probabilitate ea a Welckero (tril. p. 559 sq.)[5] ad celeberrimam Centaurorum et Lapitharum pugnam relata sunt, quo etiam facilius Perrhaeborum nomen spectare credas. Equidem Welckero assentiri hoc uno prohibeor, quod proelium illud minus aptum dramatis argumentum mihi videtur esse. Neque vero certi quidquam affirmare possumus in tanta fragmentorum paucitate.

Adnot. 1) Quod enim aliud argumentum dramati huius nominis aptius inveniri possit? Quae de posteriore Ixionis culpa in ipsum Iovem Iunonemque commissa poenaque eius aeterna perhibebantur, non idonea mihi videntur esse quae dramate tractentur. Cf. de Ixionis argumento Welcker., tril. p. 547 sq.; E. A. J. Ahrens., ed. p. 248; Herm., Nauck., Dind. ad frgg.

2) Difficultatem aliquam praebet hoc frg., glossa Hesychii: *Ἱερεῖτιν, καθαρμοῦ δεομένην, ἱκέτιν. Αἰσχύλος Ἰξίονι.* Ad Ixionis lustrationem haec pertinere apertum est. Sed cur dicitur de supplicante femina? Minus caute inde concludere Ahrensium censeo, ad Ixionem illa referri non posse: quare Diam eius coniugem Iovi pro marito supplicasse conici licere. Multo aptius Hermannus suspicatur: dictum esse fortasse Ixionem tendere *ἱερεῖτιν χέρα.*

3) Hanc formam non sine causa Porsonus pro tradita *χράναι* reposuit.

4) Quamquam sine fabulae nomine servatum est, equidem non dubito (Hermannum et Ahrensium secutus), quin id fragmentum huc referendum sit, quo unice quadrat (praec. verba *Ζεὺς αὐτός*).

5) Quem sequitur E. A. J. Ahrens., ed. p. 249 sq.

14. Sisyphus.

§ 179. Duabus fabulis Aeschylum Sisyphi res tetigisse accepimus. Quarum alterius *Σισύφου πετροκυλιστοῦ* paucissima exstant, quae de argumento nihil indicant, nisi quod ad notum Sisyphi aeternum supplicium aperte titulus spectat. Lubricis igitur tantummodo coniecturis argumentum[1] assequi possumus.

Plura servata pluraque probabiliter reperta sunt de altero dramate, cui nomen erat *Σίσυφος δραπέτης*. Patet ex hoc titulo versatum fuisse eius argumentum in iocosa illa fabula, quam exhibet Pherecydes.[2] 'Sisyphus, cum Mortem sibi a Iove missam esse senserit, comprehendit eam vinculisque compescit, quo fit, ut nemo moriatur. Sic Pluto ipse ad superos ascendere cogitur, ut liberata Morte Sisyphum ad inferos secum abducat. Novum vero dolum ille excogitat, quo ex Orco effugiat. Uxori mandat, ne debitas inferias sibi solvat. Tum autem de ea queritur impetratque a Plutone, ut ad superos reverti sibi liceat, pollicitus se rediturum illamque secum ducturum esse. Neque vero recordatur promissorum. Remanet inter vivos, donec Mercurius missus vi eum abducit, ut aeternam in Orco poenam solvat.' Optime fragmenta concinunt cum tali argumento fabulae, quam satyricam fuisse consentaneum est. — Vix dubitari potest, quin verba ipsius Sisyphi sint, qui modo ad superos pedibus ex itinere pulverulentis redierit, frg. 224 'affertor aqua lavandis pedibus *θεοφόροις!* Ubinam alveus est leoninis pedibus instructus?' '*Σμίνθον ἀρουραῖον ὑπερφυῆ*', frg. 226, Sisyphum significari, qui e terra emergat, certe admodum probabile est. Sisyphi irridentis verba videntur esse frg. 229: *Ζαγρεῖ τε νῦν με καὶ πολυξένῳ* (*πατρὶ*[3]) *χαίρειν*. Ad inferos spectat etiam frg. 230.[4] Quo pertinuerint cetera fragmenta, certe quidem dici nequit.

Hoc unum restat de Sisypho Aeschyleum, quod in 'Armorum iudicio' Aiax per rixam Ulixem filium Sisyphi, qui corruperit Anticliam, dixisse traditur frg. 172.[5]

Adnot. 1) Cf. de eo Welcker., tril. p. 550 sq., E. A. J. Ahrens., ed. p. 237.

2) Pherecyd. frg. 78 (Müller.). Cf. Preller., Gr. Myth.² II p. 76.

3) *Πατρί* in codicibus omissum recte, ut videtur, supplevit Hermannus (ed. vol. I p. 331). Cf. § 59 adn. 5.

4) Quamquam non satis certum est, qualia ipsa Aeschyli verba fuerint. Ne hoc quidem constat, ad utram Sisyphum ea pertinuerint.

5) Cf. § 98.

15. Procne et Philomele.

§ 180. Fabulae celeberrimae Terei et Procnes bis mentio fit in tragoediis Aeschyleis nobis servatis. Comparant Danaides carmen suum flebile 'voci *τῆς Τηρείας*[1] *οἰκτρᾶς ἀλόχου κιρκηλάτας*[2] *ἀηδόνος,* quae locis fluviisque consuetis prohibita novo luctu gemit. Nam praeter hoc deplorat filii mortem, quippe qui manu ipsius (*δυσματόρος κότου τυχών*) perierit'; Supp. 58 sq. Similiter Cassandra lamentans a choro comparatur fuscae lusciniae, quae *ἀκόρετος βοᾶς* clamitans '*Ἴτυν, Ἴτυν*' vitam malis affluentem gemat[3], Ag. 1137 sq. A diis hanc transformatam esse lusciniam, Cassandra ait Ag. 1144 sq.

Etiam fragmenti incerti 305 versus, quibus upupa describitur, ad hanc fabulam fortasse pertinent.

Adnot. 1) Exhibet cod. Medic. *τᾶς Τηρείας μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου*. In his valde offendit *μήτιδος*, cum neque apte *ἄλοχος μήτιδος οἰκτρᾶς* dici licere neque (ut scholiastam secutus Hermannus vult) *Τηρεία μῆτις* (aeque ac *βία*) pro *Τηρεύς* poni posse concedendum sit. Desideratur nihil hoc loco nisi aliud novum epitheton aliquod ad *Τηρείας ἀλόχου* pertinens, qualia proposuerunt alius alia (vide ed. Weckl. vol. II p. 97). Quorum aptissimum mihi quidem videtur esse id, quod protulit Burgesius, *Ἀτθίδος*.

2) Sic recte, ut videtur, Hermannus reposuit pro tradito *κιρκηλάτου τ᾽*.

3) Sic rectissime vertit E. A. J. Ahrensius. Iniuria offendit in vocibus *ποταμῶν* et *ἐργομένα* Hermannus.

16. Europa, Minos, Rhadamanthus.

§ 181. Europae fabulam Aeschylus attigit in eo dramate, quod inscriptum erat *Κᾶρες ἢ Εὐρώπη*. De cuius argumento quid in universum constet, exposui § 117 adn. 1. Hoc loco quae praeterea singula de ipsa illa deque Minoe et Rhadamantho

Aeschylus praebet, addenda sunt. Narrat Europa de se ipsa: Tauri dolo patrem suum a Iove deceptum esse, frg. papyr. v. 1 sq.[1] Coisse se cum deo tresque illi filios peperisse, Minoa, Rhadamanthum, Sarpedonem, v. 4 sq. De Sarpedone ampliora vide § 117. De Rhadamantho dici videtur, esse eum ἄφθιτον quidem, neque tamen ad id tempus a matre conspici posse, v. 12 sq.[2] Etiam de Minoe plura hoc loco exhibuisse Aeschylus videtur, quae excidisse inter vv. 11 et 12 putandum est.[3]

Belli a Minoe Niso, Megarensium regi, illati Scyllaeque proditionis mentionem facit Aeschylus Ch. 611 sq. Vide § 45.

Adnot. 1) Hoc quidem his versibus aperte dicitur, quamquam singulorum verborum scriptura genuina admodum incerta est neque satis certe restitui potest mea sententia, quoniam ignoramus, qui fuerit sententiarum in versibus qui antecedebant conexus. Hac ipsa de causa etiam incertissimum est, quod ex verbis αὐτοῦ μένων (v. 3) Weckleinius (Burs. Jbb. 1879, Berol. 1881, p. 48) colligit 'Aeschylum discessisse a solita fabulae forma; taurum a Iove apud eum missum esse, non ipsum Iovem tauri formam induisse.'

2) Quamquam de singulis verbis idem fere dicendum est ac de vv. 1 sq. adn. 1 dixi.

3) Cf. Bücheler., Rh. Mus. XXXV p. 94; Weil., Revue de philol. (1880) IV, p. 148; Wecklein., l. l. p. 44; Gomperz., Wiener Stud. 1880, pag. 17.

17. Callisto.

§ 182. Καλλιστώ Aeschyli fabula inscripta fuit deperdita, cuius unum tantummodo servatum est fragmentum, quod de argumento nihil prodit. Id tamen in nota fabula Callistus a Iove compressae atque in ursam transformatae versatum fuisse putandum nobis est, quamquam ampliora nescimus.

18. Orpheus.

§ 183. Orphei, qui 'ἦγε πάντ' ἀπὸ φθογγῆς χαρᾷ', mentionem facit Aeschylus Ag. 1629 sq. Dicit ibi Aegisthus, choro, a quo vituperatur, linguam esse contrariam Orpheo. — Praeterea

commemorabatur vel etiam ipse fortasse in scenam producebatur Orpheus in perdita fabula, cui nomen erat *Βασσαρίδες*, frg. 20. Vide de hoc fragmento § 50 c. adn. 7.

---

19. Varia quae ad singula loca pertinent.

§ 184. Graviores fabulae, quae cum certis locis (vel certis personis) quodammodo coniunctae sunt, iam fusius suo quaeque loco tractatae sunt, ut res Troicae, Thebanae, Danaidum cet. Sed ab Aeschylo respiciuntur etiam nonnullae fabulae minores, quae ad singula loca vel nomina pertinent.

a) Varia Attica.

Patriae suae Aeschylum occasione data libentius et studiosius mentionem facere consentaneum est. De Minerva Atheniensium tutrice locos, qui non pauci sunt, vide § 12. De iisdem filiis Vulcani vide § 10 c. adn. 3. Apollinem Delo Delphos proficiscentem venerabundi Athenienses prosequuntur, vide § 13. Ac Iupiter et Mars *φρούριον θεῶν* Athenas habent Eum. 919. — De Areopagi iudicio et Furiarum cultu simul Athenis institutis vide § 113. De Areopago cf. etiam § 158. De Argivorum foedere sempiterno, quod Atheniensibus Orestes promittit, dixi § 113.

Post bellum Troianum[1] Atheniensibus ex opibus captis regionem ad Scamandrum sitam *λάχος μέγα* a ducibus Achivorum tributam esse *εἰς τὸ πᾶν* possidendam, Aeschylus ait Eum. 401 sq.[2]

Erechthei aedes commemoratur Eum. 857. Iuxta eam Eumenidibus templum aedificandum promittit Minerva.

Etiam Cranai Aeschylus mentionem facit. Dicuntur Athenienses *παῖδες Κραναοῦ* Eum. 1012. Cf. frg. 343, verba Aristophanis Ach. 75 *ὦ Κραναὰ πόλις,* ad quae schol. adn., usum esse *τῇ λέξει* Aeschylum.

De Aegeo et Theseo vide § 158, de praesidio ab Atheniensibus Heraclidis praebito § 159, de Orithyia § 33, de Procne et Philomele § 180.

Adnot. 1) Hoc ex loci. sententiarum conexu sumendum est.
2) Cf. schol. ad hunc locum.

b) Apia, Pelasgi.

Ἀπία Peloponnesi nomen antiquum (*πάλαι κέκληται* Supp. 267) identidem apud Aeschylum occurrit Supp. l. l., 123 (134), 785, Ag. 268. Nominata est a filio Apollinis, cui nomen erat *Ἆπις,* Supp. 267 sq. Qui est *ἰατρός*, 267, vel *ἰατρόμαντις*, 269, venit e finibus Naupactiis purgatque terram Argivam (275) monstruosis bestiis, quae homines perdebant (infesto draconum contubernio 273), quas terra antiquis caedibus inquinata edidit. Horum malorum remedia (*τομαῖα καὶ λυτήρια*) comparans pro mercede memoriam precibus cultam accipit; 268 sq.

Eo tempore, quo Danaides illuc appellunt, regnat Argis Pelasgus, filius *Παλαίχθονος γηγενοῦς*, Supp. 256, 350. Ab hoc incolae nominantur Pelasgi[1] Supp. 258. Cf. Prom. 886. Imperium eius extenditur per totam (etiam septentrionalem) Graeciam.[2] Enumerat rex fines regni sui: ad orientem versus[3] Strymonem fluvium; ad septentrionem Perrhaebos, Pindum, Paeones, Dodonaeos montes; ad occidentem denique mare terminare; Supp. 260 sq. Cetera quae de Pelasgo et Pelasgis apud Aeschylum exstant, quae eorum partes sint in 'Supplicibus', vide §§ 168, 169.

Adnot. 1) Hi simul vocantur *Πελασγοί* et *Ἕλληνες* Supp. 923 sq. Praeterea saepius in 'Supplicibus *Ἀργεῖοι* dicuntur.
2) Hoc enim — ut paucis comprehendam — descriptionibus geographicis istis quae sequuntur Aeschylum significare voluisse patet.
3) Ad verbum: se totam terram tenere, per quam St. fluat, quae quidem ad occidentem (sc. Strymonis) sita sit.

c) Delphi.

Delphus antiquus Delphorum rex commemoratur Eum. 16. Consalutat cum populo suo ac veneratur Apollinem, qui oraculum suum occupaturus appropinquat.

d) Dodona.

Dodonae *προσήγοροι δρύες* memorantur Prom. 858 (Dodonaei montes Supp. 264).

e) **Icarus.**

Ἰκάρου ἕδος numeratur inter terras a Dario subiectas Pers. 893; sed dubium est, utrum Icari fabulae illic meminerit Aeschylus an insulae tantummodo nomen (ut Prom. 428 *ἁγνᾶς Ἀσίας ἕδος*) cogitaverit.

f) **Rhegium.**

De Rhegio Aeschylus traditur exhibuisse: Siciliam terrae motu a continente *ἀπορραγῆναι*; inde *Ῥήγιον* urbem esse nominatam frg. 324.

g) **Hiera.**

Siciliae oppidum, cui nomen erat *Ἱερὰ πόλις*, Aeschylus narrasse fertur conditum esse a Saturno nomenque antiquum inde illi fuisse *Κρονίαν* frg. 10.

Cetera, quae cum aliis gravioribus fabulis artius cohaerent (ut Bosporus cum Ius, Aetnae eruptio cum Thyphonis, simil.), suo quodque loco tractata sunt.

---

20. Varia quae sunt de fabulosis nationibus, hominibus, animalibus, regionibus.[1]

§ 185. a) **Amazones** identidem apud Aeschylum commemorantur. Io, terras pererrans, invenit eas ad meridiem Caucasi habitantes Prom. 745 sq.; cf. Prom. 431, ubi *Κολχίδος γᾶς ἔνοικοι* virgines bellicosae dicuntur (quae Amazones sine dubio intellegendae sunt). Sed aliquando alias sedes Themiscyrae circa Thermodontem fluvium, prope scopulos Salmydessios, eis futuras esse Prometheus vaticinatur Prom. 750 sq. — Ioni illae libentissime viam monstrant Prom. 754. Sunt autem *ἄνανδροι, κρεοβόροι*[2], *τοξοτευχεῖς* Supp. 293 sq., *τόξοις ἑκηβόλοις* instructae Eum. 631; *παρθένοι, μάχας ἄτρεστοι* Prom. 432, *στρατὸς στυγάνωρ* Prom. 749. — De bello ab Amazonibus contra Theseum suscepto vide § 158.

b) **Arimaspi** in iisdem Ius erroribus occurrunt. Significantur 'unoculus equester exercitus' et habitant ad extremum

orientem (cf. vv. 817 et 834), gryphibus vicini neque longe ab Aethiopibus circa Plutonem, fluvium *χρυσόρρυτον*.[3] Ut caveat, ne illis appropinquet, Io a Prometheo monetur Prom. 830 sq.

c) **Chalybes** prope Caucasum, Scythis vicini, incolunt. Sunt *σιδηροτέκτονες ἀνήμεροι* atque inhospitales. Quare hortatur Prometheus Ionem, ut eos vitet; Prom. 740 sq. Cf. Sept. 715, ubi poetice ferrum dicitur *Χάλυβος*[4] *Σκυθῶν ἄποικος*.[5]

d) **Ligures** describuntur *ατάρβητος στρατός*, in pugnando non vituperandi, frg. 196. Ampliora de Herculis eorumque pugna vide § 159.

e) **Gabii**[6] quoque inter eas nationes sunt, quibus occurrit Hercules a Caucaso ad Hesperides tendens. Vide § 159. Significantur '*δῆμος ἐνδικώτατος βροτῶν ἁπάντων καὶ φιλοξενώτατος*'. Felicissimi sunt. Neque enim aratro neque rastro eis opus est, cum sua sponte arva hominibus victum abunde praebeant, frg. 198.

f) *Κυνοκέφαλοι, Στερνόφθαλμοι, Μονόμματοι*[7] fabulosae gentes ab Aeschylo descriptae esse dicuntur frg. 202.

g) **Hyperborei** ad montes Rhipaeos Istrique fontes habitant frg. 197.[8] Cf. de eis praeterea Ch. 372, ubi *ὑπορβόρεος τύχη* significat 'ingentem felicitatem'.

h) **Cimmerii.** *Κιμμερικὸς ἰσθμός* commemoratur Prom. 756. Io errans illic transit fretumque transnatat. Cf. § 165.

i) **Scythae** habitant prope ad Caucasum in inculta terra, Prom. 733 sq., circa Maeoticum paludem in extrema telluris regione Prom. 433 sq. (cf. Prom. 1 sq.). In eorum finibus Promethei rupes est Prom. 2.[9] Vicini Chalybibus sunt Prom. 740, cf. Sept. 715. Ipsi sunt nomades, qui casis utuntur in plaustris exstructis, arcubus sagittisque exornati, Prom. 735 sq., caseo equino vescuntur frg. 203. Ibidem dicuntur *εὔνομοι*, cum in Prom. l. l. Prometheus Ionem hortetur, ne iis appropinquet.

k) **Indi** describuntur Supp. 290 sq. nomades, camelis pro equis utentes, Aethiopibus vicini.

l) **Aethiopes** quemadmodum ab Aeschylo fingantur, vide § 96 adn. 3.

§ 186. m) **Homines monstruosi** (praeter totas nationes § 186 sub b et f allatas) singuli commemorantur ab Aeschylo Argus *πανόπτης*, de quo vide § 164, et Geryones *τρισώματος*, de quo vide § 159.[10]

n) De **animalibus fabulosis** haec mihi commemoranda sunt. Gryphes significantur *ὀξύστομοι Ζηνὸς ἀκραγεῖς κύνες* Prom. 829. Versantur ad extremum orientem (cf. vv. 817 et 834), Arimaspis vicini.[11] Ut eos caveat in erroribus ibi transiens, Io a Prometheo monetur l. l.

Monstruosum quoddam animal, quo Oceanus per aerem vehitur, ipsis spectatorum oculis ostendebatur ab Aeschylo in 'Prometheo Vincto'. Describitur id *τετρασκελὴς οἰωνός* v. 411, *πτερυγωκὴς οἰωνός*, quem sine frenis ipsa sua voluntate deus regit, v. 302 sq. Stabulum ei esse in Oceani domo, poetice dicitur v. 412.[12]

Pauca de draconibus monstruosis notabilia sunt. Terra antiquis caedibus inquinata *κνώδαλα βροτόφθορα* (*δρακονθόμιλον δυσμενῆ ξυνοικίαν*) edidit. Argivam terram ab eis liberat Apis Supp. 268 sq. — Draco sive simile quoddam monstrum, quod mortiferos vapores exhalat, describitur frg. 195. Vide § 159 adn. 8.[13]

Etiam Sphinx saepius apud Aeschylum occurrit et describitur. Vide § 136 de ea.

o) **Fabulosae regiones**, quae in reliquiis Aeschyleis exstant, hae afferendae sunt.

Montes Rhipaei, ubi Hyperborei habitant, in 'Prometheo Soluto' memorantur. Cf. § 159. Nascitur illic Ister fluvius frg. 197. Eorundem in 'Heliadibus'[14] mentio videtur facta esse frg. 65 b.

Montes Byblini[15] transeundi sunt Ioni erranti.[16] Nilus ibi aquam suam venerandam deicit Prom. 837 sq.

Eridanus fluvius in 'Heliadibus'[17] exstitisse atque ab Aeschylo Iberiae fluvius, qui idem sit ac Rhodanus, dictus esse traditur frg. 65 b.

Πλούτων fabulosus fluvius *χρυσόρρυτος* ab Aeschylo solo Prom. 832 memoratur. Vide de eo ampliora § 185 sub b, cf. § 59 adn. 3.

Ὑβρίστης fluvius, qui nunquam alias occurrit, num recte explicetur Prom. 743, non satis certum est.[18] Vaticinatur ibi Ioni Prometheus: *ἥξεις Ὑβρίστην ποταμὸν οὐ ψευδώνυμον.* Ne illum transeat (cum non facilis transitu sit), priusquam ad ipsos eius fontes, qui in Caucaso sint, pervenerit.

Αἴθιοψ denique fluvius, qui ad ipsum solis ortum apud populum nigrum (i. e. Aethiopes) nascitur, Prom. 834, idem videtur ab Aeschylo putari atque Nilus. Cf. § 165 c. adn. 19 et § 96 adn. 3.

Adnot. 1) Nuda nomina geographica talia, quibus fabulosi nihil insit, consulto omitto.

2) Non certum quidem est, sed veri simillimum mihi (aeque ac plerisque interpretibus) videtur, hoc epitheton (*κρέας* — *βιβρώσκω*) latere in voce tradita *κρεοβρότους*.

3) Cf. schol. ad h. l. et quae ex Aristeae Proconnesii Arimaspia tradit Herodotus IV, 13 sq., 27; III, 116.

4) De hac nominativi forma cf. Hermann. ad h. l.

5) Similiter ferrum dicitur '*ὁ πόντιος ξεῖνος*' Sept. 924, ubi cf. schol.

6) Qui alias Abii vocantur. Hoc *Γ* Aeschyli proprium esse Steph. Byz. affirmat.

7) Hoc fortasse ad Arimaspos (vide supra sub b) spectat. Cet. cf. § 159.

8) Cf. § 159.

9) Cf. Schoemannum ad h. l.

10) Alio loco tractata sunt monstra, quibus divina potius natura inest, ut Scylla, Harpyiae, cet.

11) Cf. § 185 c. adn. 3.

12) Ex hac tota descriptione elucere mihi videtur, de equo quodam (volucri) cogitandum esse, non, ut schol. et Eustathius (ad Od. *E*, p. 1545, 49) volunt, de gryphe, praesertim cum dei marini (praec. in imaginibus) cum equis vel hippocampis saepius coniungantur. Cf. Wecklein. ad Prom. v. 284.

13) De vulgaribus serpentibus cogitandum videtur esse Supp. 520, Ch. 1048, Prom. 825, Ch. 525, 927 (cf. praec. hos duos locos).

14) Cf. § 30.

15) Hoc montium Aegyptiorum nomen in veterum reliquiis alias non occurrit. Ab ipso Aeschylo videtur fictum esse.

16) Cf. § 165.

17) Cf. § 30.

18) Schol. vocem ὑβριστήν adiectivum esse putat fluviumque intellegendum esse Ἀράξην (οὐ ψευδώνυμον παρὰ τὸ ἀράσσειν). Neque vero Aeschylus, si recte eum cognovi, nomen fluvii omittit eo ipso loco, quo eum dicit οὐ ψευδώνυμον. Aut igitur versum excidisse aut Ὑβριστήν (vel rectius Ὑβρίστην) nomen proprium esse, censendum nobis est. Cum autem amplius nihil desideretur et etiam alia eiusmodi nomina (ut Pluton, Byblini montes paulo supra commemorati) apud solum Aeschylum inveniantur, recte eos facere arbitror, qui hoc loco Ὑβρίστην legunt.

Addenda et corrigenda.

§ 7 (s. 10) adde: *Ζηνὸς ἀκραγεῖς κύνες* gryphes dicuntur Prom. 829.
§ 7 (s. 16) adde: Cf. Supp. 4.
§ 8 (s. 6) lege: Rhadamanthi.
§ 9 (s. 11) adde: Ampliora de his rebus vide § 164.
§ 9 (s. 14) pro 'divae' lege 'dici'.
§ 18 (s. 21) adde: Supp. 564. Cf. § 164 adn. 20.
§ 23. Per errorem hoc loco omisi haec Aeschylea: *Λατογένεια κούρα*, Sept. 133, et *Λητῴα κόρη*, frg. 169, quae ad Dianam spectare manifestum est. Cf. § 16.
§ 33 (adn. 2 s. 6) lege: *αἰθήρ*.
§ 35 (s. 5) adde: Aliis locis, ubi *αἶσα* apud Aeschylum occurrit, non significari deam censeo. Sed cf. Oberdickium ad Supp. 527.
§ 50 (adn. 11) adde: De Xantriis cf. etiam Dilthey, Archäol. Zeitung 31 p. 84.
§ 57 adde: Nymphae iaculatrices, Dianae comites, in fabula, cui nomen erat *Τοξότιδες*, chori partes videntur egisse. Vide § 176.
§ 61 (s. 3) lege: Cocytus.
§ 101 adde: De Lyciis Troianorum sociis vide § 117 et Ch. 345 (*εἰ γὰρ ὑπ' Ἰλίῳ | πρός τινος Λυκίων, πάτερ, | δορίτμητος κατηναρίσθης κτλ.*).
§ 117 adde: Lycii Troianorum socii commemorantur Ch. 345.
§ 157 (s. 1) lege: Oeclei.

Index nominum et rerum.

Numeri paragraphos indicant (a. = adnotatio), signum * ad 'addenda' spectat.

Halis Saxonum, formis descripsit E. Karras.

DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES.

VOL. X.

HALIS SAXONUM.
MAX NIEMEYER.
MDCCCLXXXIX.

INDEX DISSERTATIONUM.

EDUARDO · HILLERO

STUDIORUM · SUORUM · FAUTORI · ET · MODERATORI

D · D . D.

PIETATIS · GRATIA

AUCTOR.

Praemonenda.

„Mihi quidem res epigraphicae gratae semper iucundaeque fuerunt, quod nescio quo pacto propinquiores mihi veteres Graeci videbantur, quotiescumque ad marmora eorum accesseram.“

I. Franz,
Elementa epigraphices Graecae, 1840, p. 2

Ex magno inscriptionum Graecarum numero eas conquirere institui, quae alicuius momenti sunt ad cognoscenda instituta gymnica et agonistica, collectas e ratione et locorum et temporum digerere, dispositas explanare. Et nunc quidem ex ingenti materia epigraphica, quae in adversariis meis suppeditat, titulos Aphrodisienses selegi. Spero autem me postea, quod praeterea in promptu habeo, cum aliis huius disciplinae studiosis communicare quodque incohavi ad finem perducere posse.

Scribebam Halis Saxonum,
exeunte mense Maio a. MDCCCLXXXIX.

Otto Liermann.

Quaecunque in his schedis congesta sunt, aestimanda sunt omnia ea norma atque regula, quam Theodorus Mommsenus, signifer studiorum antiquitatis, adhibendam esse censuit: „Die städtische Münzprägung und die Inschriftsetzung stehen unter so vielfachen Bedingungen, dass das Fehlen oder auch die Fülle der einen wie der andern nicht ohne weiteres zu Rückschlüssen auf die Abwesenheit oder die Intensität einer bestimmten Civilisationsphase berechtigen. Für Kleinasien insbesondere ist zu beachten, dass es das gelobte Land der municipalen Eitelkeit ist, und unsere Denkmäler, auch die Münzen, zum weitaus grössten Teil dadurch hervorgerufen sind, dass die Regierung der römischen Kaiser dieser freien Lauf liess.“ [1])

Nusquam conata studiaque virorum doctissimorum, qui agrum Caricum scrutati sunt monumenta epigraphica investigaturi, uberiores extulerunt fruges, quam in ea regione, ubi sita olim fuit *Ἀφροδισιάς*, nunc Ghera vel Geyra [2]), nisi ii, qui nuper ruinas Stratonicenses et Laginenses exploraverunt, largiorem materiam foras dabunt.

Urbs igitur Veneris ut omnino ferax fuit lapidum inscriptorum, satis magnum eorum quoque numerum titulorum reliquit, qui ad cognoscendas institutiones gymnicas et agonisticas apud nationes Graecas usitatas nonnulla conferunt. At haec testimonia quadraginta, quae e copia ceterorum documentorum lapidariorum deligenda mihi erant, neutiquam titulos continent, quorum argumentum gymnici et agonistici generis sinceri est, immo vero maior eorum pars ad classem laudatoriorum pertinet, quos qui cognitos habet, non ignorat, quanto opere res praeponderentur verbis. Quae cum ita sint, nisi contentus volebam esse nuda enumeratione — quae in Indicibus a me confectis commode praesto est —, sed, quantum in me meaque

materia erat, vividam imaginem describere malebam, consentaneum est mihi posteaquam ante omnia recensui quae ad gymnasia et agones spectant, immorandum fuisse in reliquis quoque verbis lapidis; quo pacto indicatur etiam, quem locum res gymnicae et agonisticae obtinuerint in rebus publicis. Ex eis autem monumentis Aphrodisiensibus, quae non sunt 'τειμητικά' et 'ἀνταποδοτικά', fons cognitionis manat largior.

In diversa temporis spatia reliquiae illae ita distribuuntur, ut exceptis perpaucis ad tempestatem post pugnam Actiacam referendae sint et descendant ad saeculum tertium, quo nomine marmora huius urbis valde discernuntur a titulis aliorum Cariae oppidorum, de quibus postea disserere me posse spero, veluti maior pars tabularum Halicarnassensium ad consilium propositum collectarum annis ante aeram Caesarum attribuenda est.

Vix opus mihi erit exponere, quo iure omiserim in exemplis ad instituta Aphrodisiensium magis illustranda adhibitis ordinem temporum subtiliter conservare, quippe cum periti probe sciant per tempora imperatorum primi et alterius saeculi magnam regnavisse constantiam morum.

Sed iam praefari desinam, addere tantummodo volo, quod Texier in libro, quem in adnot. 2 commemoravi, monuit, p. 643: „Le nom seul de Vénus, de laquelle la maison de César avait la prétention de descendre, valut à la ville d'Aphrodisias la protection et l'amicitié des empereurs, aussi dans une série de plusieurs siècles, nous ne connaissons pas de ville en Asie qui ait joui d'un destin plus prospère. Il n'en est point non plus dans lesquelles les monuments d'épigraphie se soient conservés jusqu'à nos jours aussi nombreux et aussi intacts de sorte que l'on pourrait écrire l'histoire administrative d'Aphrodisias et celle de ses principaux citoyens."

Adnot. 1) Th. Mommsen, Röm. Gesch. V (1885), p. 302 adn. 1.

2) Fellows, An account of discoveries in Lycia, London 1840, p. 32. — Texier, Asie mineure, description géographique, historique et archéologique des provinces et des villes de la chersonnèse d'Asie, Paris 1862, p. 642. — W. Smith, Dictionary of Greek and Roman geography, 1873, s. v. A.

Testimonia de statu, quo civitas usa est per aetatem imperatorum et paulo ante.

Plinius, nat. hist. l. V, 29 (109): Aphrodisienses liberi.

Autonomiam urbis confirmant tituli: C. I. Gr. II nr. 2737[1]) et 2845.[2])

Tacitus, ab exc. d. A. l. III, 60: Tiberius .... imaginem antiquitatis senatui praebebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque inpunitas asyla statuendi .... Igitur placitum ut mitterent civitates iura atque legatos .... 62: Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Caesaris ob vetusta in partis merita et recens divi Augusti decretum adtulere, laudati quod Parthorum inruptionem nihil mutata in populum Romanum constantia pertulissent. Sed Aphrodisiensium civitas Veneris, Stratonicensium Iovis et Triviae religionem tuebantur. — Conservata est auctoritas '*ἐπίκριμα*', Antonii triumviri, C. I. Gr. II nr. 2737.[1])

Veneri Aphrodisiensi eadem iura ac Dianae Ephesiae concessa esse docet titulus C. I. Gr. II nr. 2737[1]); cf. B. Barth, de Graecorum asylis, dissert. Argentorat. 1888, p. 15—19.

Adnot. 1) Titulum post Boeckhium ediderunt Mommsenus in Brunsii font. iuris ant. Rom.[5] (1887), p. 167 sq., et Viereck, Sermo graecus, quo senatus populusque Romanus magistratusque populi Romani usque ad Tiberii Caesaris aetatem in scriptis publicis usi sunt, examinatur. Gottingae 1888, p. 5—7.

2) vs. 5: *Κλαύδιος Αὐρήλιος Ζῆλος .... τῶν συναιτίων τῇ πόλει τῆς αὐτονομίας ἀπόγονος.*

A. Ante principatum Augusti.

Nr. I.

Bulletin de correspondance hellénique IX (1885), p. 75 nr. 5 (P. Paris et M. Holleaux):

τοῖς .... ἐν τοῖς]
ἀναγκαιοτάτοις καιροῖς διατηρήσαντα [*τὰ*] *κοινὰ καὶ .....*
καὶ στεφανηφορήσαντα καὶ γυμνασιαρχή[*σαντα .... καὶ*

ἀγορανομήσαντα ἐν τῇ χαλεπωτάτῃ σε[ιτοδείᾳ . . . . . . καὶ
ἐν τοῖς πολέμοις ἀρχὰς ἀνυπευθύνους τε[λέσαντα . . . .
καὶ πρεσ-
βεύσαντα πρὸς τοὺς ἡγουμένους εἰς Ῥώμ[ην . . . .
λοις καὶ ἐν παντοδαποῖς κινδύνοις καὶ πρά[γμασι? . . .
καὶ καταγω-
νισάμενον τοὺς ἐναντίους καὶ ε . . . .
καὶ πλείστας ἐγγύας ὑπὲρ πολλῶν ἐκτεί[σαντα . . . . . καὶ
ἱερατεύσαντα? . . . . εὐσε-]
βῶς. συνκεχωρῆσθαι δὲ αὐτῷ καὶ ἐνταφ[ῆναι ἐν τῷ γυμνα-
σίῳ, καὶ δίδοσθαι αὐτῷ ἀπὸ τῶν]
δημοσίᾳ θυομένων γέρα. ἐ[ξεῖναι δὲ κ. τ. λ.

Titulus valde mutilus repertus est prope a stadio; commentati sunt de aedificio hoc optime conservato: Fellows, discoveries in Lycia, 1840, p. 33; Texier, Asie mineure, 1862, p. 647; Guhl et Koner, das Leben der Griechen und Römer, 1882⁵, p. 154.

Litterae lapidi inconstanter incisae sunt; in littera *A* linea transversa non adunca est; iota mutum adscriptum non est.[1])

Versus inde a tertio longiores fiunt. Ex versu 5 editores viderunt titulum aetate Caesarum vetustiorem esse, quia bella dominantibus imperatoribus in Asia non iam gerebantur. Alter terminus pendet ex recta interpretatione elocutionis *τοὺς ἡγουμένους*, vs. 6. Haec appellatio summae auctoritatis Romanae quamvis ambigua lectoribus nunc videatur, tamen egregie quadrat in tempus, quo Caesar, Antonius, Lepidus triumviri rei publicae constituendae clavum imperii tenebant. Qui si in litteris ab Antonio ad Aphrodisienses et Plarasenses datis nominati sunt *τρεῖς ἄνδρες τῆς τῶν δημοσίων πραγμάτων διατάξεως*, C. I. Gr. II nr. 2737, cavendum est, ne hunc morem dicendi Aphrodisiensibus vindicemus; sic transtulit scriba Romanus, homo Aphrodisiensis consuevit dominos suos breviter compellare *τοὺς ἡγουμένους*. Quapropter astipulor editoribus, qui de aetate trium virorum cogitarunt. Ergo titulus post annum 43 a. Chr. n. exaratus est, honores vero aliquot annis ante suscepti sunt.

Adnot. 1) De hac re cf. S. Reinach, Traité d'épigraphie grecque, 1885, p. 270—271.

§ 1 (nr. I).

Extremum tempus liberae rei publicae Romanae.

a. De gymnasiarchia.

Aristoteles in Politicis eas civitates, quarum proprium fuit gymnasiis et agonibus prospicere, notavit, cum diceret ζ 8, p. 1322/23: *ἰδίᾳ δὲ ταῖς σχολαστικωτέραις καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας, γυναικονομία νομοφυλακία παιδονομία γυμνασιαρχία, πρὸς δὲ τούτοις περὶ ἀγῶνας ἐπιμέλεια γυμνικοὺς καὶ Διονυσιακούς, κἂν εἴ τινες ἑτέρας συμβαίνει τοιαύτας γίνεσθαι θεωρίας.*

Inter res publicas ita moratas Aphrodisias quoque fuit, urbs Cariae, cuius monumenta epigraphica nunc incipiam percensere intuens instituta gymnica et agonistica, quorum mentio titulis iniecta reperitur. Ac primum quod tractaturus sum documentum exhibetur prima inscriptionum quas singulis enarrationis capitibus praemitto, in qua obiter nuncupatur gymnasiarchia.[1])

Neque ita multum, quod quidem ad consilium propositum valeat, in exiguitate testimonii enucleari potest.

Medio fere primo ante aeram Christianam saeculo Aphrodisiade gymnasiarchia penes eos fuit, qui ex ordine civium nobiliorum et locupletiorum erant; qua de causa cura illius instituti, quod florere civium vehementissime intererat, ad viros tales delata sit, cum per se ipsum intellegitur, tum titulis a me collatis, quibus natura officiorum a gymnasiarchis praestandorum cognoscitur, magis fit perspicuum. Porro si quid ex ea quae in lapide cernitur enumeratione honorum licet concludi, tunc praefectura gymnasii in gradu honorum alterum obtinuit locum; etenim anonymus ille, cui optime merito de patria temporibus difficillimis gratia agitur, hoc munus iniit, posteaquam stephanephorus[2]), antequam agoranomus fuit. Sed nolo reticere, me certam regulam, cui successiones magistratuum munerumve subiectae fuerint apud Aphrodisienses, in monumentis urbis lapideis invenire non potuisse. Immo vero indicia istius generis fluctuant valde. Nec minus ambiguum restat, quo pacto magistratus, munera, sacerdotia cumulata et iterata sint. Neque, ut etiam hoc praemittam, discrimen inter magistratus et liturgias ea quam desideramus evidentia eminet.

De agoranomia infra mihi dicendum erit; nunc videamus, quas ad dignitates ignotus[3]) ille paullatim ascenderit. Ad quem, cum exspectationes optime explevisset, temporibus bellorum ac perturbationum magistratus delati sunt, quorum rationem reddere ei opus non erat; legatus[3]) denique Romam missus est. Atque divitiis suis libenter iis subvenit, qui rerum angustiis afflicti erant; pignora enim pro multis civium suorum persolvit.[4]) Sed utut ceteroquin vir ille magnae auctoritatis rei publicae Aphrodisiensium profuit, nostra refert statuere, quicunque tum gratiosi esse et crescere studuerint in civitate, eos ab administratione gymnasiarchiae nunquam sese subtraxisse.

Nec veri dissimile est viros spectatos, qui gymnasio egregie praefuerant, sepulcrum intra spatium gymnasii adeptos esse, quo honore cives non omnes affecerunt, quibuscunque curam illam iniunxerant (vs. 10).[5])

b. Agoranomus non curator ludorum.

Supra de agoranomo mentio facta est; sciscitetur forsitan quispiam, utrum opinio eorum, qui rationes aliquas agoranomorum cum rebus gymnicis et agonisticis esse sumunt, ad morem usumque Aphrodisiensium quadret an iudicandum sit provinciam eorum iis quae nomine distincte apparent officiis cohibitam fuisse. Periti enim recordabuntur agoranomos inferioris aetatis cum aedilibus Romanorum comparatos esse, non iniuria quod quidem ad certas civitates attinet.[6]) Agoranomi igitur aeque atque aediles praeter alia munera curam ludorum dicuntur gessisse.[7]) Num apud Aphrodisienses etiam adornatio certaminum in manibus agoranomorum posita fuerit? annuit Haederli[8]), abnuendum esse equidem arbitror. Etenim ille coniecturam suam ex nudis epithetis petiit, veluti: *ἐν αἷς ἐτέλεσεν ..... ἀγορανομίαις πολυτελέσιν*[9]), quae non minus apte ad meras largitiones frumentarias referri posse nemo non fatebitur. Ab alio argumento profectus non est nec proficisci potuit; neque enim ulla anquirenti mihi occurrebant testimonia, quibus cogimur agoranomis Aphrodisiensibus maiorem attribuere potestatem, quam eam quae cum rebus forensibus per se coniuncta est. Namque in lapide, ex quo digressi sumus, expresse indicatur, agoranomum rei frumentariae providisse[10]), aliae inscriptiones simplicem praebent

mentionem[11]), in iis denique titulis, quibus regimen et administrationem ludorum comperta habemus, opera agoranomorum omnino non attingitur. Quae cum ita sint, putare nequeo agoranomis huius urbis[12]) alias res curae fuisse quam annonam et res venales similesque.

Adnot. 1) Grasberger, Erziehung und Unterricht im klassischen Altertum III (1881), p. 463 sq. Compares vero adnotationem Bluemneri, Privatàltertümer IV (1882), p. 338, 3: „Uebrigens scheint die ganze Frage auch nach Grasberger noch einer erneuten Behandlung zu bedürfen, da nicht bloss nach den Zeiten, sondern auch nach den Orten Verschiedenheiten obwalten.“ Quam partem equidem suscepi ita, ut, quid e titulis de ea re lucremur, in medium proferam. Krause, Gymnastik und Agonistik II (1841), p. 794/795 pauca, quae huc pertinent, tetigit.

2) *στεφανηφορήσαντα* vs. 2. De *στεφανηφόροις* egit van Dale, dissert. V, Amstelodami 1702, p. 360 sq. Apud Aphrodisienses et viri et mulieres stephanephoriam gesserunt, cf. Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie mineure, nr. 1612 (= Annal. Inst. arch. 1847 p. 111, Transactions of the Royal Society of Literature 1843, p. 241/299), nr. 1630 (= C. I. Gr. nr. 2829), nr. 1634 (= C. I. Gr. nr. 2837 b, Add. p. 1117), nr. 1637 (= C. I. Gr. nr. 2840), nec raro identidem hanc dignitatem habuerunt, cf. nr. 1630: *ἐπὶ στεφανηφόρου τὸ τρισκαιδέκατον Ἀτταλίδος κ. τ. λ.*, nr. 1639 (= Annal. 1847 p. 114, Transactions 1843 p. 240), nr. 1641a (= Transactions 1843 p. 241/300). *ὁ στεφανηφόρος* apud Aphrodisienses anno nomen videtur dedisse, cf. C. I. Gr. nr. 2826, 2827, 2829, 2834, 2835 cet. — Idem de stephanephoris Smyrnaeis tradidit Philostratus, Vit. Sophist. 2, 26, 2 *ἡ στεφανηφόρος ἀρχή . . . ἀφ' ὧν τοῖς ἐνιαυτοῖς τίθενται Σμυρναῖοι τὰ ὀνόματα.* Cf. etiam Lane, Smyrnaeorum res gestae et antiquitates, dissert. Gotting. 1851, p. 55; *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη* II 2/3, p. 37. Praeterea cf. Indices. — E titulis proxime repertis unum affero, qui, quamquam ad res alius oppidi spectat, tamen idoneus mihi videtur esse ad rem ipsam illustrandam. Inscriptio est Nysaea (Bulletin de correspondance héllénique IX [1885], p. 127 — B — ed. Clerc) vs. 44—52: *Τίτος Αἴλιος Ἀλκιβιάδης . . . . . . καὶ τῇ πόλει | τὴν στεφανηφορίαν ἀθάνατον πα|ρασχὼν ὅταν μηδεὶς τῶν πολειτῶν | τῶν ὀφειλόντων τὴν ἀρχὴν ταύτην | ἀναδέχεσθαι δυνατὸς εὑρεθῆι, | ὁμοῦ μὲν ἄπαυστον ἔχωμεν τὴν | λειτουργίαν ἐκ τῶν παρὰ τούτου | [κ]αθιερωμένων εἰς αὐτὴν χρη[μά|των], ὁμοῦ δὲ καὶ τοῖς πολειτ[αις . . . .*

3) Non omitto monere nomen fortasse conservatum esse, cum, si non demonstrari, cogitari saltem possit, legatum ad triumviros missum, qui in litteris Antonii (C. I. Gr. nr. 2737, cf. p. 7 huius libelli adnot. 1) vocatur *Σόλων Δημητρίου,* eundem fuisse. Quae coniectura habitu inscriptionis, potissimum quod attinet ad eximia praemia (vs. 10 et 11), aliqua ex parte commendatur.

4) ἐγγύη (vs. 9), cf. Dittenbergeri S. I. Gr. nr. 344 p. 448 sq.

5) Atque haec quidem docet inscriptio; quamvis multae quaestiones de gymnasiarchia, qualis fuerit illa aetate apud Aphrodisienses, poni possint, quominus ad eas respondeamus, paucitas verborum insculptorum impedit.

6) Haederli: Astynomen und Agoranomen, Annal. Fleckeiseni, Suppl. XV (1887). — Gilbert: Handbuch der griechischen Staatsaltertümer II (1885), Indices s. v. — G. Hirschfeld: Zeitschrift f. oesterr. Gymn. 1882, p. 502; idem in: Sitzungsber. d. pr. Akademie d. Wissenschaften 1888, XXXV, p. 871.

7) Haederli p. 67. — Madvig: Die Verfassung und Verwaltung des römischen Staates I (1881), p. 421—438.

8) Haederli p. 67. — p. 51—58: Nachweis der Agoranomen in den Inschriften; p. 55: Karien.

9) Le Bas-Waddington nr. 1604 (Annal. inst. arch. 1852, p. 118; C. I. Gr. nr. 2767).

10) vs. 4. 11) Le Bas-Waddington nr. 1596 bis: *πολλάκις ἀγορανόμον*; cf. Indices mei opusculi.

12) Ex exemplis alius generis unum laudo potissimum memorabile, quod nuper demum in lucem emissum est. Unde facile animis fingere possumus, quo modo celebritates, quas nos vocamus „Messen", tunc temporis actae sint. Titulus ad Apameam, urbem Asianam, pertinet. Revue archéologique XII (1888), chronique d'Orient, ed. S. Reinach, titulum descripsit Ramsay, p. 221 nr. 7; in dextra parte lapidis: *[ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ οἱ] | [κατοικοῦντες Ῥωμαῖοι ἐτείμησαν] | Τι. Κλαύδιον Κυρείνᾳ Πείσωνα | Μιθριδατιανὸν ἱερέα διὰ βίου | Διὸς Κελαινέως, ἐφηβαρχήσαντα | καὶ γυμνασιαρχήσαντα καὶ ἀγορα|νομήσαντα διὰ ἀγοραίας καὶ ὑπεσ|χημένον ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ Κλαυδίου | Γρανιανοῦ γυμνασιαρχίαν δι' ἀγο|ραίας ἐκ τῶν ἰδίων δίχα πόρου τοῦ | διδομένου ἐκ τοῦ δημοσίου δηνα|ρίων μυρίων πενταχ. χειλίων | τὴν ἀνάστασιν ποιησαμένων | ἐκ τῶν ἰδίων τῶν ἐν τῇ Σκυτικῇ | Πλατείᾳ τεχνειτῶν.* — In altera parte monumenti: *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ | οἱ] κατοικοῦ[ντες Ῥωμαῖ]|οι ἐτείμησα[ν Τ]ιβέριον | Κλαύδιον Τιβερίου Κλαυ|δίου Πείσωνος Μιθρα|δατιανοῦ υἱὸν Κυρείνᾳ | Γρανιανὸν γυμνασιαρ|χοῦντα δι' ἀγοραίας ἐκ | τῶν ἰδίων τῇ γλυκυτά|τῃ πατρίδι δίχα τοῦ πό|ρου τοῦ ἐκ τοῦ δημοσίου | διδομένου, τὴν ἀνάσ|τασιν ποιησαμένων | ἐκ τῶν ἰδίων τῶν ἐν τῇ | Σκυτικῇ Πλατείᾳ τεχνει|τῶν.*

Nr. II.

I. Franzius dedit apographum Loewianum, Annali dell'Instituto archeologico 1847, p. 111. — Le Bas et Waddington: inscriptions d'Asie mineure 1870 p. 391 nr. 1595 et in commentario p. 372 ad nr. 1595.

Ο δῆμος ἐτείμησεν] Μενεκρά-
την . . . . Δι]ονυσίου Μιν-
ωήτην? χ]ρυσῷ στεφάνῳ,
εἰκόνι] γραπτῇ, προεδ[ρί-
ᾳ ἐν τοῖς] ἀγῶσιν, σιτή-
σει δημοσίᾳ, ἀρε]τῆς ἕνεκεν
καὶ εὐνοίας τῆς εἰς ἑ]αυτόν.

Lapis sinistra praecipue parte fractus est. Litteraturam cognoscas ex *ΑΜΝΠΣ*. Quaestio chronologica enodari nequit; suspicor id decretum in exitum alterius aut in primum ante novam aeram saeculum ponendum esse. In versibus 2/3* lectio *Μιν[ωήτην]* incertissima est; ea significaret civem urbis Minoae in Amorgo insula sitae; Waddingtonius dixit: „il y avait peut-être sur la pierre *Μύνδιον*". Sed cum tria elementa *ΜΙΝ* constent (Annal. p. 111), malo ex his reliquiis formari nomen proavi Menecratis, nolo suppleri ethnicum. Scriptura *Μιν[ωήτην]* refutatur usu sermonis, qui scribae Aphrodisiensi neutiquam latere potuit. Etenim consuetudo ac mos erat apud Minoetas et incolas aliorum oppidorum insulae ethnico civitatis praemittere ethnicum insulae, velut *Ἀμόργιον Μεινοητήν* vel *τῆς Ἀμοργίων Μεινοητῶν πόλεως.*[1]) Propono igitur scripturam *Μιν[νίωνος]*.[2]) Neque id obloquitur, quod articulus deest, cum saepissime in titulis Aphrodisiensibus in enumeratione stirpis avus aut proavus cet. sine articulo addatur.

Adnot. 1) Bulletin de corr. hellén. VIII (1884), p. 442 nr. 5 ed. Reinach, vs. 1/2 et 5/6. — C. I. Gr. nr. 2264 et adnot.

2) Idem nomen habemus in marmore Iassio, C. I. Gr. nr. 2672 vs. 1: *Μιννίων Θεοδότ[ου]*: eundem casum in lapide Coo: *Ἀγαθοστράτων Μιννίωνος Τραλλιανός*, cf. Foucart, des associations religieuses chez les Grecs, 1873, p. 232 nr. 54; Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques en France, 1875, p. 322 nr. 12.

§ 2 (nr. II).

Tempus incertum, prius vero aetate imperatorum.

De proedria in agonibus.

E psephismate, quo Menecrates quidam propter virtutem benevolentiamque erga cives suos[1]) honoribus ac praemiis ornatur summis, corona aurea, imagine picta[2]), praesidio in cer-

taminibus, victu quotidiano publico, duae res secundum consilium ac rationem huius commentationis eminent. Et primum quidem tum, cum lapis exaratus est, complures certationes quotannis diverso tempore actae sunt; dein aliquid differt inter sedilia spectatorum; etenim sunt, qui privilegio προεδρίας populi iussu praediti sedem honorariam acceperunt et separatim e loco honorifico spectaverunt.[3])

Adnot. 1) Menecratem Aphrodisiensem habendum esse ostendi adnotatione ad tit. nr. II.

2) *εἰκόνι*] *γραπτῇ* vs. 4, cf. Boeckhium ad C. I. Gr. nr. 3068; hoc ornamentum persaepe in titulis Asianis nominatur. Cf. C. I. Gr. nr. 2775 Add. c et d. — Bull. de corr. héll. XI (1887), p. 116 nr. 9 vs. 13 ed. Contoleon; XI p. 219 nr. 13 vs. 22; X (1886) p. 225 nr. 7 vs. 4 ed. Holleaux et Paris. — Mitteil. des Instit. Athen. IX (1884), p. 31 vs. 16 ed. Lolling. — The Journal of Hellenic Studies IX (1888) p. 248 nr. 94 vs. 4: *εἰκόνα γραπτὴν ὁλοσώματον* (in titulo reperto in templo Veneris Paphiae); cf. etiam Petersen und Luschan, Reisen in Lykien, Milyas und Kibyratis, 1889, p. 240: Indices s. v. *εἰκών* et s. v. *τιμῷ*.

3) De iure praesidendi viris bene meritis concesso cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. *προεδρία*. — Reinach, Traité d'épigraphie grecque, 1885, p. 368 (Bulletin de corr. héll. IX [1886] p. 327). — A. Mueller, Lehrbuch der griechischen Bühnenaltertümer, 1886, p. 293 sq., p. 64. — Praeterea: Papers of the American School of Classical Studies at Athens, vol. III (1884—85): the Wolfe Expedition to Asia Minor by S. Sterrett, 1888, p. 408 nr. 600: tit. repertus est loco „Killidj". *ἀγωνο*|*[θε]τοῦντος* | *[κα]ὶ προκαθε[ζ]ομένου* | *[δι]ὰ βίου καὶ γέ*|*νους* . . . . — Bulletin de corr. hell. V (1881) p. 326 ed. Fontrier: *Ἔτος κα'.* | *Οἱ ἐν Ταμάσει κάτοικοι* | *Μητρόβιον Μηνοφάνου* | *φιλαγαθήσαντα στήλῃ καὶ* | *στεφάνωι ἀνθίνωι καὶ προε*|*δρίαι διὰ γένους*. Cf. etiam titulum Trallianum, Bulletin de corr. hell. III (1879) p. 466 vs. 6 ed. J. Martha: *κα]θέζεσθαι δὲ αὐτὸν καὶ εἰς προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι πᾶσιν.* — In inscriptione Lycia, quae Trysae inventa est, legimus (Petersen et Luschan, Reisen 1889, p. 12 nr. 19 vs. 7 sq.): *τύχῃ ἀγαθῇ δεδό[χθαι τῷ δήμῳ ἐπῃνῆσθαί]* | *τε αὐτὸν ἐπὶ [πᾶ]σι τοῖς προγεγραμμένο[ις κ]α[ὶ τε]τειμῆσθ[αι ταῖς δευτέραις τειμαῖς]* | *χρυσῷ στε[φάνῳ καὶ πρ]οεδρίᾳ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἕδρα.* Commune Lyciae honoravit Opramoan virum quendam patriae amantissimum *προεδρίᾳ διηνεκεῖ*, cf. l. c. p. 108 IX B vs. 4 sq. Antiquissimis iam temporibus Byzantii iis, qui laude bellica seu gloria in ludis gymnicis parta civibus suis praestiterant, sedes in stadio loco honoratissimo reservabant, quod demonstrant verba inscriptionis antiquissimae, quam ediderunt Curtis et Aristarchis *ΚΕΦΣ* XVI (1885) p. 3 nr. 1: *Ἀπομά[χων]* | *αἰχματ[ᾶν]* | *σταδιοδ[ρόμων]* | *ὁ τόπος ἄ[ρχεται]*; cf. ad hunc lapidem Larfeld in: Bursian-Müller, Jahresbericht XV p. 544.

Nr. III.

Ex exemplis Sherardianis ed. A. Boeckhius: C. I. Gr. nr. 2796, vol. II p. 523; versus 15—17 debemus apographo Waddingtonii, apud: Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie min., 1870, p. 393 nr. 1601 B et in commentario p. 373.

Initium deest. *καὶ κοι-*]
νῶς πρὸς πάντας καὶ ἰδίᾳ πρὸς
ἕκαστον φιλανθρώπως, καὶ πλεί-
τας ἐγγύας ὑπὲρ πολλῶν ἐκτ[εί-
σαντα, καὶ ἱερατεύσαντα πρὸ πό-
λεως τῆς Ἑκάτης ὁσίως καὶ
εὐσεβῶς· συνεχωρήθη αὐτῷ
ἐνταφῆναι ἐν τῷ γυμνασίῳ
δίδοσθαι δὲ αὐτῷ καὶ ἀπὸ
τῶν δημοσίᾳ θυομένων γέρα
ἐξεῖναι δὲ αὐτῷ καὶ τοὺς στε-
φάνους φορεῖν οἷς ἐστεφάνω-
ται, ὅταν βούληται.
Καλλικράτης Μολοσσοῦ ἱερεὺς
Μηνὸς Ἀσκαινοῦ καὶ Ἑρμοῦ Ἀγοραίου
τὰς τῶν προπατόρων τιμὰς
ἐπισκευάσας ἀποκαθέστηκεν.

Titulus inventus est ad murum australem. Waddingtonius observavit litteras magnas, sed male insculptas esse exceptis quattuor versibus postremis.

Variae lectiones: vs. 2 Boeckhius: „*κοι*]*ν*[*ῶ*]*ς*, malim *κοιν*[*ῇ*]." W. descripsit *κοι*]*νῶς* et rectius intellexit quam B. Namque adverbium significat 'communiter erga omnes' et de eo, qui ornatus est comitate et facilitate, dicitur. vs. 3 B. *φιλάνθρωπ*[*ο*]*ν*, W. melius *φιλανθρώπως*, ibid. [*σ*] — *σ*. vs. 4 *ἐκτ*[*ι*] — *ἐκτ*[*ει*]. vs. 7/8 B. [*κ*]*αὶ ἐνταφῆν*[*αι*], W. *ἐνταφῆναι*. vs. 11 *ἐξε*[*ῖ*]*ναι* — *ἐξεῖναι*.

Inscriptio e duabus partibus composita est, diversis temporibus ortis. Si Callicrates (vss. 14—17) honores proavorum redintegrat, certe prima pars tituli regreditur minimum in ultimum aut alterum ante Christum saeculum, etiamsi ille — id quod vix credi potest — principio demum aetatis Caesareae

titulum renovandum curasset. Sed utcunque se habebat, definitionem annorum in dubio relinqui oportet — vss. 9. 10, cf. nr. I vss. 10 et 11 — vs. 14 in Waddingtonii publicatione lapsus typothetae remotus non est, pro *Μολόσσου* scribendum *Μολοσσοῦ*. — vs. 17 perf. transit.; cf. Polyb. 21, 9 et titulum Cnidium (Newton, Halicarnassus Cnidus and Branchidae II [1863] p. 766 nr. 52 vs. 11): *ἑστάκει δὲ | [αὐ]τοῦ καὶ εἰκόνα χρυσέαν κ. τ. λ.*

§ 3 (nr. III).
De gymnasio.

Aetate imperium Caesarum antecedente — accuratius tempus definiri non iam potest — Aphrodisiade unum fuit gymnasium, (vs. 8) exornatum monumentis civium clarorum, quorum merita cum hoc loco cohaerebant aliquatenus.

In gymnasio sepeliri maximus semper honor iudicatus est, qui nonnullis etiamtum vivis promissus est. Et exquisitum illud privilegium tunc anonymus quidam accepit, qui amplissimis beneficiis cives sibi obligaverat. Quamquam, quia pars lapidis manca est, pleraque eius merita cognitioni detrahuntur, tamen ex natura loci, ubi ossa eius in sepulcro condita sunt, concludendum est eum iis quoque rebus utilem se praestitisse, quae ad gymnasium spectant; qua autem alia ratione saluti publicae inserviverit, compertum habemus. Etenim pro multis debitoribus fideiusserat atque pecunias, mutuas pignore datas, persolverat, sacris Hecates deae, quae ante urbem delubrum habebat[1]), sancte et pie praefuerat, vir denique fuerat communis humanusque erga cunctos et unumquemque.

Meritis respondebant praemia; namque honorarium ei destinatum erat, dum vixit, solvendum e reditibus sacrificiorum publicorum, atque coronas decretas gestare ei licitum erat quotienscumque volebat. Mortuum autem gymnasium recepit.[2]) Nec sine magno momento hic mos poterat esse ad educationem subolis. Nam posteri, quia nemo non a pueris in gymnasio versabatur atque monumenta maioribus erecta semper conspicabatur, existimatione gloriaque priorum optime excitati sunt, ut similibus honoribus dignos sese praestarent.

Adnot. 1) vs. 5/6 *πρὸ πόλεως τῆς Ἑκάτης*. Boeckhius ab explicatione sua priore „urbis tutor" ipse recessit. — Similia sunt:

Ephesi, C. I. Gr. nr. 2963 c vs. 10; Smyrnae, C. I. Gr. nr. 3194; Therae, C. I. Gr. nr. 2462, C. I. Gr. nr. 3211 et 3493; Thyatiris Lydiae, Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 464 nr. 29 ed. Radet, vs. 5: *ἀγωνοθετ[ή]σαντα τοῦ πρὸ πόλεως Ἀπόλλωνος Τυρίμνου κ. τ. λ.*; X (1886) p. 234 nr. 14 vs. 1 ed. Holleaux et Paris: Oenoandis: *ἱερεὺς πρὸ πόλεως Λητοῦς*; cet.

2) Nonnullis annis post necessarium factum est, ut statua viri restitueretur, id quod progenies eius suscepit, Callicrates filius Molossi, sacerdos Luni Ascaeni et Mercurii Forensis. — De Luno cf. Waddington, Revue numismatique 1853 p. 34 sq., p. 45 sq.; Waddingt. ad Le Bas nr. 668 p. 215. — Loca omnia, ubi testantibus lapidibus seu nummis Lunus cultus est, diligentissime composuit Drexler, Wochenschrift für klassische Philologie 1889 p. 172—173.

Nr. IV.

Ex schedis Sherardianis et ex Spanhemianis ed. A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 511 nr. 2766.

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος [ἐ-]
τείμησαν ταῖς καλλίσταις
καὶ μεγίσταις τειμαῖς
Τε[ι]μοκλέα Ἀπολλωνίου
τοῦ Ὑψικλέους, ἄνδρα σοφόν,
καλὸν καὶ ἀγαθόν, γένους
πρώτου καὶ ἐνδοξοτάτου,
γυμνασιαρχ[ή]σαντα καὶ
στεφανηφορήσαντα με-
γαλο[ψύ]χως καὶ φιλοδόξω[ς],
καὶ ἀρχιερατεύσαντα τοῦ
Αὐτοκράτορος, καὶ ἀγωνο-
θετήσαντα καὶ δὶς ἑστιάσ-
αντα τὸν δῆμον, καὶ πάν-
τα ποιήσαντα μεγαλομε-
ρῶς, λαμπρότατα καὶ πολυ-
τελέστατα ἐκ τῶν ἰδίων ἀξίως
καὶ ἀναλογοῦ[ν]τως τῆι πατρί-
δι καὶ τῶι γένει.

Repertus est titulus in australi moenium parte. Litteratura: *ΑΜΠΣΣ*, iota mutum adscriptum est. Ansa temporis adumbrandi praebetur vs. 12, voce *Αὐτοκράτορος*. Quam appella-

tionem refero ad Octavianum et arbitror, cum cognomen Augusti desit, adsit praenomen imperatoris tantummodo, inscriptionem circumcludi annis a. Chr. n. 40 usque ad 27. Licet fortasse cogitare de biennio 29—27. Namque constat[1]) Octavianum anno a. Chr. n. 29 permisisse, ut Graeci Asiani templum sibi Pergami exstruerent. Pleraeque autem civitates Asiae, ut erant devotissimae, properabant obsequium et observantiam erga imperatorem testificari idem facientes. Mylaseni quidem vivo etiamtum imperatore templum aedificaverunt, cf. C. I. Gr. nr. 2696. Nonne Aphrodisienses exemplo Pergameno incitatos statim sacerdotium imperatoris instituisse iure ac merito licet conicere?

Adnot. 1) Mommsen: Res gestae divi Augusti p. X. — Tacit. ab exc. d. A. IV, 37. — Dio Cass. 51, 20, 7.

§ 4 (nr. IV).

Octaviani imperatoris aetate, inter annos 40—27 a. Chr. n.

De gymnasiarchia et agonothesia.

Quod supra vidimus, id rursus comprobatur; gymnasii enim cura cadente libera re publica penes familias primas[1]) et clarissimas fuit. Timocles quoque, filius Apollonii, nepos Hypsiclis, quia exemplaribus maiorum incitatus studuit virtute et magnanimitate genere dignus fieri, rem publicam ingressus est, cum munus gymnasiarchi administraret. Doctus[2]) autem fuit praeter ceteros (vs. 5), quocirca licet opinari disciplinam atque institutionem musicam sub patrocinio eruditissimi huius viri optime tractatam esse. Semel introducto in cursum honorum alii mandati sunt. Stephanephorus enim factus est, sacerdos summus imperatoris, agonotheta. Et agonothesiam quidem coniunctam fuisse cum dignitate antistitis imperatoris[3]) veri simillimum est; nec parva officia ex hoc duplici munere enascebantur; nam suis impensis quaecunque ad dies festos celebrandos et certamina adornanda pertinebant, curare debebat omnia atque insuper epulum populo bis dederat.[4])

Splendidissime vero ea omnia adparanda ei fuisse, ex ultimis inscriptionis verbis manifestum est: *ἀξίως καὶ ἀναλογούντως τῆι πατρίδι καὶ τῶι γένει.* Tantae operae praemium decretum senatus ac populi fuit, quo honores „pulcherrimi et

maximi"[5]) Timocli tribuuntur. Ad summam igitur, ut ita dicam, classem honorum pervenit. Constat autem in nonnullis civitatibus Asianis diversos gradus honorum distinctos esse[6]), nec non tituli exstant, in quibus honores numeris ordinatos esse videmus. Quamquam inscriptiones Aphrodisienses „primos" tantummodo „honores" offerunt, tamen crediderim apud Aphrodisienses quoque ornamenta praemiaque generatim disposita fuisse et civibus bene meritis honores secundos, tertios, maiores tributos esse.

Ac primos quidem honores habemus in titulo Balburensi (Pisidiae), Le Bas-Waddington nr. 1221: *Λυκίων [τ]ὸ κοι[νὸν ἐτεί-μη]σεν [τ]αῖς πρώταις τιμαῖς, ε[ἰκόνι] ἐπιχρύσῳ καὶ ἀνδριάν-[τ]ο[ς] ἀναστάσει.* Alio tempore Lyciorum commune *'ἐτεί|μησεν [ταῖς πρώταις τε]ιμαῖς, εἰκόνι χαλκῇ καὶ | εἰκόν[ι γραπτῇ ἐπιχρύ]σῳ,* Petersen et Luschan, Reisen (1889) p. 103 II F, vs. 9 sq., necnon cf. p. 104 III G, vs. 3 sq.: *ὡς] δ[ι]ὰ ταῦτα τε|τειμ[ῆ]σθαι μὲν αὐτὸν καὶ [ταῖς πρώ]τ[α]ις ὑπὸ τοῦ | ἔθνους τειμαῖς.* Cf. etiam Benndorf et Niemann, Reisen (1884) nr. 54 et C. I. Gr. nr. 4266 (titulus Sidymis Lyciae repertus est). — Secundi honores occurrunt in titulo Balburensi, Le Bas-Waddington nr. 1222 = Petersen et Luschan, Reisen (1889) p. 184 nr. 237 vs. 2 sq.: *ταῖς δευ[τ]έ[ραις] τειμαῖς ταῖς ἀνα[γεγρα]μ-[μ]έναις γυμνα[σιαρχή]σαντα μεγαλο[πρεπῶς κ. τ. λ.* In lapide Trysae Lyciae reperto legimus: *τε]τειμῆσθ[αι] ταῖς δευτέραις τειμαῖς | χρυσῷ στε[φάνῳ καὶ πρ]οεδρίᾳ ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἕδρα,* Petersen et Luschan (1889) p. 12 nr. 19 vs. 9. Cf. etiam Benndorf et Niemann, Reisen (1884) nr. 54. — Tertios honores inveni in lapide Coo: Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques en France (1875), p. 324 nr. 13: *ὁ δᾶμος . . . . ἐτίμασεν τιμαῖς τρίταις . . . . ἰατρόν, στεφάνῳ χρυσέῳ ἀπὸ χρυσῶν ν' καὶ εἰκόνι χαλκῇ, ἀρετᾶς [ἕ]νεκεν τᾶς κατὰ τὰν τ[έ]χναν καὶ εὐνοίας τᾶς ἐς αὐτόν.* Ad Cadyandam pertinet titulus, quem ediderunt Cousin et Diehl, Bull. de corr. hell. X (1886) p. 54 nr. 10: *Καδυανδέων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτείμησεν κατ' εὐεργεσίαν καὶ ταῖς τρίταις τειμαῖς.* Commune Lyciorum iussit virum liberalissimum *π[άλιν τει]μηθῆναι . . . . καὶ ἐν τῷ ἐν[ε]στῶτι ἔ[τει ταῖς] | τρίταις τειμαῖς,* Petersen et Luschan (1889) p. 104 IV F, vs. 3 sq. — Quarti honores ab eodem communi Lyciae tribuuntur, l. c. p. 105 V C,

vs. 7 sq.: *τὸ δὲ ἔθνος ἐπιβε|βόηται πάλιν τειμηθῆναι αὐτὸν καὶ ἐν | τῷ ἐνεστῶτι ἔτει ταῖς τετάρταις τειμαῖς*; cf. etiam p. 106 VI B, vs. 14 sq.: *τετειμημένον δὲ καὶ πρότερον ὑπὸ [τοῦ] | κοινοῦ καὶ ταῖς τετάρταις τειμαῖς*. — Et quinti atque sexti etiam honores in his inscriptionibus Lyciis commemorantur, Petersen et Luschan (1889) p. 105 V B, vs. 2 sq.: *τετ[ει]|μημένου καὶ ταῖς πέμπται[ς] τειμαῖς κ[αὶ] προεδρίᾳ* et p. 134 nr. 164 vs. 9 sq.: *τετειμημένον . . . . . ὑπὸ δὲ τοῦ Λυκί[ων κοινοῦ | καὶ] ταῖς ἕκταις τειμαῖς καὶ προεδρία διη[νεκεῖ κ. τ. λ.* — Primi simulque secundi honores exhibentur in lapide insequenti, Petersen et Luschan (1889) p. 104 IV E, vs. 13 sq.: *ὡς ἐπὶ πᾶσι τούτοις | καὶ κ[αθ' ἑκ]άστην πό[λ]ιν τετειμῆσθαι καὶ ὑπ[ὸ] | τοῦ [ἔθνου]ς* (Lyciorum) *καὶ [πρότ]ερ[ον ταῖς πρώτ]α[ις καὶ δευ]|τέραις τειμαῖς κ. τ. λ.* Ibidem p. 107 VIII E, vs. 7 sq.: *τει[μηθεὶ]ς τ[αῖ]ς α' κα[ὶ] | [β'] τειμαῖς ὑπὸ τοῦ ἔθνους*. — Omnes tres gradus honorum coniunctos videmus Sidymae Lyciae: Benndorf et Niemann, Reisen (1884) p. 66 nr. 39, vs. 4/5: *Σ[ι]δυ[μ]έων ο δῆμος ἐτείμησεν ταῖς πρώταις καὶ [δευ]τέ[ρ]αις καὶ τρίταις τειμαῖς*. In lapide Xanthi reperto legimus: l. c. p. 122 nr. 93, vs. 13—15: *τετειμ[η]ένον καὶ ὑπὸ [Λυκίων τ]οῦ κοινοῦ ταῖς πρώταις [καὶ δ]ευτέραις καὶ τρίταις τειμαῖς*. Necnon cf. Petersen et Luschan (1889) p. 104 III F, vs. 4 sq.: *τετειμῆσθαι δὲ | ταῖς πρώταις καὶ δευτέραις καὶ τρίταις τειμαῖς*; ibid. IV F, vs. 10 sq.: *Λυκίων τὸ κοινὸν [ἐ]τε[ίμησεν] | ταῖς α' καὶ β' καὶ γ' τε[ι]μα[ῖς, χρυ]σῷ στεφάνῳ καὶ εἰκόνι χαλκῇ καὶ εἰκ[όνι] γραπτῇ ἐπιχρύσῳ κ. τ. λ.* Cf. etiam p. 105 V C, vs. 4 sq. — Honores a primis usque ad quartos enumerantur in titulo Lycio, l. c. p. 106 VI F, vs. 6 sq.: *τετειμημένον δὲ καὶ πρότε|ρον ὑπὸ τοῦ κοινοῦ ταῖς α' καὶ β' καὶ γ' | καὶ δ' τειμαῖς*, necnon p. 107 VIII E, vs. 7 sq.: *τει[μηθεὶ]ς [ταῖ]ς α' κ[αὶ] | [β'] τειμαῖς ὑπὸ τοῦ ἔ[θν]ους καὶ πάλιν [ταῖς] | [γ'] καὶ δ'*; denique p. 108 IX B, vs. 4 sq.: *τειμηθέντα . . . . ταῖς | [α'] καὶ β' καὶ γ' καὶ δ' [τειμ[αῖς καὶ πά|[λ]ιν προεδρίᾳ διηνεκεῖ κα[ὶ πο]ρφύρᾳ διὰ [βί]ου καὶ ταῖς κατ' ἔτος τειμ[αῖς] κ. τ. λ.*

Aliis temporibus, aliis locis, aliis occasionibus certe alii honores inter primum, alii inter secundum, alii inter tertium genus, alii inter alia genera numerati sunt; consuetudo non ubique eadem videtur fuisse.

Adnot. 1) vs. 7 *γένους πρώτου καὶ ἐνδοξοτάτου*. Nobilitas generis in titulis urbis saepenumero praedicatur; exemplis, quae mea sylloge continentur, adiungo: Le Bas-Waddington nr. 1599 (Annal. Inst. archeol. 1852 p. 126), nr. 1604 (Annal. 1852 p. 118; C. I. Gr. nr. 2767): *[ἀν]ὴρ τῆς πρώτης τάξεως καὶ γένους πολλὰ καὶ μεγάλα ἐν πᾶσι παρεσχημένον τῇ πατ[ρ]ίδι κ. τ. λ.*; nr. 1609a (Transactions of the Royal Society (1843) p. 235/291).. — Aliis quoque in municipiis Asianis ii, qui virtutibus meritisque inter cives suos praelucebant, appellatione primorum civitatis honorabantur. Nequaquam *πρῶτον εἶναι, πρωτεύειν* per se significat 'primum magistratum gerere'; cf. Benndorf et Niemann, Reisen in Lycien und Carien (1884) p. 68 nr. 43, vs. 1: *τὸν ἀξιολογώτατον καὶ πρῶτον τῆς πόλεως γεγονότα*, cf. p. 69 nr. 45 vs. 18; Le Bas-Waddington nr. 1219 (C. I. Gr. Add. p. 4380 $\varkappa^4$): *γυναῖκα εὐγενίδα τάξεως τῶ[ν] πρωτευό[ν]των τῆς πόλε[ως] κ. τ. λ.*

2) De doctis Aphrodisiensibus cf. adnotationem Boeckhii ad titulos Aphrodisienses C. I. Gr. nr. 2846 et 2851.

3) De cultu Caesarum cf.: Preller, Römische Mythologie II³ (Jordan), 1883, p. 425—453. — Marquardt, Römische Staatsverwaltung I² p. 504, III p. 444 sq. — Boissier, la religione Romaine I p. 117—208. — O. Hirschfeld, Zur Geschichte des römischen Kaisercultus, Sitzungsberichte d. k. pr. Acad. d. Wissensch. XXXV (1888) p. 833—862.

4) Similia saepius etiam invenimus in titulis insequentibus. Aetate potissimum Caesarum talis liturgia divitiorum civium frequentior et usitata paene fit. — Cf. C. I. Gr. nr. 1625 vs. 40 sq. (titulus Acraephiae Boeotiae repertus est). Lapidem Coum exscribam: Bulletin de corr. hell. VII (1883) p. 480 nr. 3 ed. M. Dubois: *Αὖλον Σήιον Αὔλου υἱὸν Οὐᾶρον | οἱ θρεπτοὶ καὶ αἱ θρεπταὶ καὶ | οἱ λοιποὶ οἱ πάντες ἀγωνο|θετήσαντα ἐπιφανέστατα Ī | δειπνίσαντα τὴν πόλιν τὸν ἑαυ|τῶν κοινὸν πάντων ἡμῶν θρέψαντα | εὐχαριστίας ἕνεκεν.* E vico Pamphyliae, *Πούγλα*, provenit titulus, quem edidit Ramsay: Mitt. Inst. Ath. X (1885) p. 336: *δειπνήσαντα τούς τε πολείτας πάντας καὶ τοὺς ἐπιδημήσα[ν]τας ξένους κ. τ. λ.* — Cf. etiam Friedlaender, Sittengesch. II⁵ (1881) p. 276.

5) Delego ad Indices, ubi s. v. *τιμή* exempla contuli; praeterea analoga exhibentur: Le Bas-Waddington nr. 1599 (Annal. Inst. arch. 1852 p. 126), nr. 1608 (C. I. Gr. nr. 2769), nr. 1605 a (C. I. Gr. nr. 2816), nr. 1604 (Annal. 1852 p. 118, C. I. Gr. nr. 2767), cet.

6) G. Hirschfeldt, Zeitschrift für österreich. Gymnasien XXXIII (1882) p. 164 adnot. 3.

B. Saeculum primum aetatis Caesarum.

Nr. V.

Fellows, An account of discoveries in Lycia, 1840, Appendix, p. 305 nr. 20 (adnotationes adiecit H. Wiener); dehinc Boeckhius titulum ed.: C. I. Gr. nr. 2759 b, Addenda et Corrigenda p. 1109.

Φαμιλία Ζήνων[ος]
τοῦ Ὑψικλέους
τοῦ Ὑψικλέους
τοῦ φύσει Ζήνω-
νος Ὑψικλέους
ἀρχιερέως, μονο-
μάχων καὶ κατα-
δίκων καὶ ταυροκα[θαπτῶν.

Monumentum iacebat ad septentrionalem partem urbis; litterae vulgares.

Ad definiendum tempus alia inscriptio opitulatur, in qua idem Zenon Aphrodisiensis magistratus eponymus comparet. Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie mineure, comment. nr. 1611 p. 376[1]): Ἐπὶ Ζήνωνος τοῦ Ὑψικλέους, εἰσηγησαμένου Ἑρμᾶ τοῦ Ἀριστοκλέους τοῦ Ἀρτεμιδώρου Μολοσσοῦ [φ]ιλοκαίσαρος, ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. γνώμη στρατηγῶν καὶ Ἀρτεμιδώρου τοῦ Μύωνος Παπίωνος, ἱερέως [θ]εᾶς Σεβαστῆς Ἰουλίας[2]), γραμματέως δήμου, καὶ Περίτου τοῦ Διονυσίου, φύσει δὲ Ἀδράστου τοῦ Ἀπολλωνίου, καὶ Ζήνωνος τοῦ Ἄνδρωνος, φύσει δὲ Ἀττάλου Καλλίππου, τῶν ἐπὶ τῆς χώρας στρατηγῶν κ. τ. λ. Iam Waddingtonius, cum docuisset Augustam, cuius sacerdos Artemidorus scriba publicus fuit, intellegendam esse Iuliam vel Liviam, Augusti coniugem, aetatem Zenonis recte circumscripserat, quapropter Henzeni opinio, qui lapidem posteriorem Nerva esse duxerat, caduca est. Equidem arbitror, me ampliorem definitionem Waddingtonii, qui existimat principatu Tiberii Claudii Neronis titulum determinari, aliqua ex parte coartasse. Cf. Tacit. ab exc. I, 8: „nihil primo senatus die agi passus est, nisi de supremis Augusti; cuius testamentum, inlatum per virgines Vestae, Tiberium et Liviam heredes habuit; Livia in familiam Iuliam nomenque Augustum adsumebatur.“

Ergo mulier adpellari poterat Iulia Augusta ex anno p. Chr. n. quarto decimo. Praeterea cf. Tacit. l. c. V, 1: „Rubellio et Fufio consulibus, quorum utrique Geminus cognomentum erat, Iulia Augusta mortem obiit, aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Iuliorumque clarissimae", id quod ad annum p. Chr. n. undetricesimum referendum est. Porro constat Liviam saepius Augustum in orientis terras comitatam fuisse (Tacit. III, 34) et urbes Asiae anno p. Chr. n. vicesimo tertio templum Tiberio matrique eius ac senatui decrevisse. Quae cum anno supra dicto mortua esset, Tiberius filius vetuit eam consecrari; cf. Tacit. V, 2: „addito ne caelestis religio decerneretur" et Dio. C. LVIII, 2: *„ἀθανατισθῆναι δὲ αὐτὴν ἄντικρυς ἀπηγόρευσεν."* Multo demum post imperatore Claudio nepote adepta est hunc honorem, cf. Sueton. Claud. 11: „Aviae Liviae divinos honores et Circensi pompa currum elephantorum, Augustino similem, decernenda curavit." Nec non comparandus est locus Cassii Dionis, l. LX, 5: *„τήν τε τήθην τὴν Λιουίαν οὐ μόνον ἵππων ἀγῶσιν ἐτίμησεν, ἀλλὰ καὶ ἀπηθανάτισεν ἄγαλμά τέ τι αὐτῆς ἐν τῷ Αὐγουστείῳ ἱδρύσας καὶ τὰς θυσίας ταῖς ἀεὶ παρθένοις ἱεροποιεῖν προστάξας ταῖς τε γυναιξὶν ὅρκον τὸ ὄνομα αὐτῆς ποιεῖσθαι κελεύσας"*, quae consecratio statim in primordiis dominationis eius, anno p. Chr. n. quadragesimo primo, facta est. Ex his autem omnibus evidenter elucet inscriptionem apud Le Basium-Waddingtonium exaratam esse post annum 41; paulo vero post Iuliam consecratam lapidem positum esse vel inde colligimus, quod compluribus causis[3]) prohibemur, ne altius in saeculum primum adscendamus. Velut nomina Romana plane deficiunt; compendium scripturae, *δη* pro *δηνάρια,* loco signi * explicatur eo, quod hoc sigillum brevissimum tunc demum latius pervulgatum est, cum provinciales magis assuevissent, denariis Romanis calculari. At opponat quispiam *θεάν* vocem, quam equidem in tempus postquam Iulia consecrationem acceperat refero, additam esse adulandi causa eamque iam vivam ab Aphrodisiensibus divam appellatam esse. Quod si recte excogitatum esset, monumentum circumscriberetur annis inde ab 23 usque ad 29 p. Chr. n., uti supra indicavi Sed hoc veri dissimile est, cum et praenomen „Divae" intellectum de viva Augusta abhorreat ab usu sermonis in titulis Graecis

plerumque adhibito et vix possit credi Tiberio regnante, a quavis adulatione alienissimo, adulationem erga matrem eius, quacum ille discordia dissidebat, toleratam esse.

Quae cum ita sint, quia Zenon filius Hypsiclis eponymus magistratus praepositus est decreto, insculpto non ante, certe paulo tantum post annum 41 p. Chr. n., et idem Zenon, qui rursus nobis occurrit, summus sacerdos Veneris vocatur in titulo, ex quo egressi sumus, licet iure ac merito conicere has duas inscriptiones haud ita longe tempore distare. Qua ductus ratione titulum pono circa annum p. Chr. n. 41.

Adnot. 1) = Leake, Transact. Royal Soc. 1843 p. 239 et 297; Franz, Annal. Inst. archeol. 1847 p. 111; Henzen, ibidem 1852 p. 120.

2) C. I. A. III, 461.

3) vide Waddingtonii adnotationem.

§ 5 (nr. V).

Circiter annum p. Chr. n. 41.

Gladiatores similisque conditionis homines in communi sepulcreto conditi.

Lapides inscripti, qui ad commune sepulcretum gladiatorum, venatorum, hominum propinquae professionis pertinent, non semel inventi sunt. Seriem exemplorum incipio a titulo Tralliano, Le Bas-Waddington nr. 615: *μονομάχαι Ποπλίου Λουκιλίου Πεισωνίνου*; in oppido Co repertus est titulus C. I. Gr. nr. 2511: *φαμιλία μονομάχων καὶ ὑπόμνημα κυνηγεσίων Νεμερίου Καστρικίου Λευκίου Πακωνιανοῦ Ἀσιάρχου καὶ Αὐρηλίας Σαπφοῦς Πλάτωνος Λικιννιανῆς, ἀρχιερείας, γυναικὸς αὐτοῦ.* Iuxta hunc optime ponimus titulum Cyzicenum, C. I. Gr. nr. 3677: *ἀγαθῇ τύχῃ, φαμιλία μονομάχων φιλοτειμίας Πλω(τίου) Αὐρ(ηλίου) Γράτου, Ἀσιάρχου, καὶ Ἰουλίας Αὐρ(ηλίας) Ἀσκληπιαδώρας, τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ἀρχιερείας.* Prope a Smyrna repertus est lapis C. I. Gr. nr. 3213: *[φ]αμιλία [μονο]μάχων Λ. Τίμωνος, Ἀσιάρχου, νεωτέρου*; prope a thermis Mytilenaeis C. I. Gr. nr. 2194 b, Add. p. 1028: *φαμιλία μονομάχων πατρ. Κλαυ(δίου) Τρυφωνιανοῦ νέου καὶ ἀρχιερείας Ὀρφίας Λαιλίας [Σ]ωτίου, γυναικὸς αὐτοῦ.*

Aliquamdiu sane viri docti de natura horum titulorum ambigebant, etiamtum posteaquam Biagius (Mon. Gr. p. 261) rem

acu tetigerat, qui inscriptiones huiusce generis ad sepulcra polysoma referendas esse demonstrarat volueratque ad subiectum φαμιλία cogitatione addi κεῖται vel simile quiddam, ita ut sensus esset: „hic sita est familia gladiatorum".[1]) At Boeckhius parum contentus sententia Biagii quamquam ei oblocutus non est, tamen adnotandum esse duxit: „Nec novi melius, nisi forte inscriptio domus sit, ubi gladiatores habitarint." Friedlaenderus[2]) vero quo loco uberius de re gladiatoria commentatus est, merito ad Biagium recessit, cuius explicatio lapidibus usque adhuc notis nondum infirmata est.[3])

Iam igitur liquet, qua ratione monumentum, de quo agimus, comprehendendum sit. Videamus nunc, quantum inde cognosci liceat. Ac primum discimus in hoc sepulcretum corpora non μονομάχων et καταδίκων solum, sed ταυροκαθαπτῶν etiam congregata fuisse. De gladiatoribus et condemnatis evolvatur Friedlaenderi historia morum (p. II), de eo genere hominum, quod tertio loco nuncupatur, deque eis ludis, in quibus prodibant, pluribus disputaturus sum.

Adnot. 1) Cf. Inscr. Regni Neapolitani lat. nr. 736, titulum Venusinum — apud Orellium nr. 2569.

2) Sittengeschichte II^5 (1881) p. 557.

3) Titulis honorariis, non sepulcralibus, assignandus est, C. I. Gr. nr. 3942, lapis Laodiceae ad Lycum inventus: *μνῆμα μονομαχίων* (sic in Add. et Corr. restitutum est pro lectione *μονομάχων*) *δοθέντων ὑπὸ ἀρχιερέως καὶ στεφανηφόρου Διοκλέους τοῦ Μητροφίλου.* — Quod in Addendis ad hanc inscriptionem de natura ceterorum titulorum gladiatoriorum dictum est, falsum est.

§ 6 (nr. V).

Excursus de taurocathapsiis et taurocathaptis.[1])

Varia exstant testimonia de quaestione proposita et ab auctoribus antiquis et marmoribus et nummis ad memoriam nostram propagata.

Et ταυροκαθάπται quidem cuius generis homines fuerint, perspicuum erit, si naturam ludorum, in quibus produci solebant, paulo diligentius consideraverimus. Proficiscar a marmore Smyrnaeo[2]), reperto saeculo XVII, in quo anaglyphum conservatum est. Comparent igitur equites quinque, incitato cursu tauros

persequentes; primum et tertium venatorum videmus sine tauris, quippe quos fugientes ii qui instabant consecuti non iam sunt, secundus et ultimus eorum retinent cornibus tauros cursu lassatos et anhelantes, quartus incumbit tauro, intorta cervice humi prostrato, equus iuxta adstat (cf. Marm. Oxon. II, 266, CXXX; Thes. Ant. Graec. VII, 869; Boettiger III tab. I, 2—6). Ac simulacro huic caelato addita sunt verba sic insculpta: *Ταυροκαθαψίων ἡμέρᾳ β′* (C. I. Gr. nr. 3212).

Permulti etiam nummorum Thessalicorum typi exstant, in quibus ratio certaminis cernitur. Introspiciendus est catalogus nummorum Graecorum Musei Britannici, cuius paulo infra mentionem feci. Ferunt quoque in gemma[3]) simile exemplum impressum inveniri. Multo vero clarius naturam atque indolem illius agonis perspiciemus, si Heliodorum Emesanum in manus sumpserimus.[4]) Namque sophista ille, Aureliani Caesaris ferme aequalis, in libro decimo Aethiopicorum oblata occasione, qua inducere voluit personam fabulae primariam specimen mirae audaciae et singularis temeritatis edentem, optime id fore iudicavit, si Theagenem in artibus difficillimis agonis taurocathapsiorum versatum esse ostendisset. Itaque sive rem e variis quibus usus est in compositione fontibus antiquariis sive ex intuitu morum suae aetatis noverat, imaginem tam vividam expressamque depinxit, ut natura taurocathapsiorum obscuritate involuta esse iam nequeat. Fidem autem narrationi Heliodori eo minus denegare possumus, quod verba eius, si conferuntur cum reliquiis Smyrnaeis, comprobantur.

Theagenes igitur — is, qui in fabula primas egit — cum iam in eo erat ut in aris Solis et Lunae sacrificaretur, tunc ipsum miro fortunae casu salutem sibi paravit. Equi enim et tauri, item destinati secespitae victimarii, repente adspectu inadsueto camelopardalis tantopere consternati sunt, ut funibus vinculisque abreptis in praecipitem fugam se conferrent.[5]) Iam Theagenes insiluit in proximum quemque equum, inhaesit tergo tauri circumfurentis, tenens iubam equinam velut habenam manu sinistra, dextra lignum vibrans velut stimulum, prae se agebat bestiam, cuius flexus et versationes sollerter evitabat. Dein, equo iuxta quadrupedante, taurus et equus usque eo appropinquant, ut quasi unum caput, unum iugum formari videatur. Tunc vero momento temporis iuvenis cornua captat, de equo,

cui frenos remittit, desultat, coniectat sese in collum tauri; inter media cornua os ponit, ne dilanietur, manus nectit plectitque in fronte beluae, instar serti, membra reliqua ab humero bovis dependent, quo pondere cervices eius defatigari tandem necessum est. Quousque bestia circumvehetur? ecce vires magis magisque deficiunt. Eo vehementius autem imbecillitas augetur, quo tenacius homo ille audacissimus pedibus suis crura bestiae irretit, cum repente taurus supplantatus genu submitti coepit atque extemplo etiam in caput decidit. Cornubus pronis, in terram infossis, iacet bestia supina, palpitans et pedes agitans in aere, victor autem alia manu firmiter nititur, aliam triumphans tollit ad caelum.

Hoc fuit spectaculum certaminis taurocathapsiorum, cuius scenae, ut ita dicam, singulae, nunc oculis distincte obversantur.

Dixi de natura ludorum; nunc exponam, quibus locis agones huius generis exhibiti sint.

Vetustioribus iam temporibus apud Thessalos, equites illos *κατ᾽ ἐξοχήν,* ludi hi notabiles floruerunt, certe cultui ac religioni Neptuni dedicati. Plinius quidem, nat. hist. VIII, 45, tradidit: „Thessalorum gentis inventum est, equo iuxta quadrupedante, cornu intorta cervice tauros necare.“ Adde testimonium, quod simul certandi rationem illustrat, epigramma Philippi, Antholog. Palat. IX, 543:

Θεσσαλίης εὔιππος ὁ ταυρελάτης χορὸς ἀνδρῶν,
χερσὶν ἀτευχήτοις θηρσὶν ὁπλιζόμενος,
κεντροτυπεῖς πώλους ζεῦξε σκιρτήματι ταύρων,
ἀμφιβαλεῖν σπεύδων πλέγμα μετωπίδιον.
ἀκρότατον δ᾽ ἐς γῆν κλίνας ἅμα κεῦροπον ἅμμα,
θηρὸς τὴν τόσσην ἐξεκύλισε βίην.

Nec minus typis nummorum e multis locis Thessaliae collectorum confirmatur incolas illarum regionum habiles exercuisse artem eam periculi plenam. Et is, qui creberrime redit, typus is est[6]: vir nudus pendente retrorsum pileo taurum ferocem cornibus retinet. Equus liber currit. Huc pertinent nummi reperti: Larissae[7]), Pelinnae[8]), Perrhaebiae[9]), Pharcadone[10]), Pheris[11]), Triccae[12]), Crannone[13]), Scotussae[14]).

Hic mos, ortus apud Thessalos, aliquamdiu huic nationi soli proprius peculiarisque videtur fuisse. Tum demum, cum

civitates maris interni in dicione Romanorum erant, institutum Graecum a Graecis recipiebatur. Quod evenit, postquam certamen favore Iulii Caesaris Romanis innotuit. Plinius nat. hist. VIII, 45 haec narrat: „primus id spectaculum dedit Romae Caesar dictator.“ [15]) Exemplum semel editum posthac Caesares imitabantur, veluti Claudius exhibuit „Thessalos equites, qui feros tauros per spatia Circi agunt insiliuntque defessos ad terram cornibus detrahunt“ (Sueton. Claud. c. 21). Neronis quoque principatu ludi eiusdem generis acti sunt, quorum mentionem debemus Cassio Dioni, l. LXI c. 9: *ἐν δέ τινι θέᾳ ἄνδρες ταύρους ἀπὸ ἵππων συμπαραθέοντές σφισι κατέστρεφον.* Itaque cum taurocathapsia in gratiam imperatorum et favorem urbis urbium venissent, inde etiam per provincias, in civitates Graeciae et Asiae necnon Hispaniae celeriter propagata sunt.

Athenis quidem a rege Rhoemetalce, qui, ut Guilelmus Dittenberger rectissime exposuit, anno p. Chr. n. 37/38 archon fuit, talem agonem instauratum cognovimus e C. I. Att. III, p. I, p. 54 nr. 114 (= Pittakis Eph. 3884): *βασιλεῖ Ῥοιματάλκᾳ ἀγωνιζόμενος Σεραπίων ταυροκαθάπτης.* Eleusine contra neque isti ludi neque omnino dimicationes hominum adversus tauros — id quod e loco Artemidori paulo post afferendo concludi possit — agebantur.[16])

Ex Asia exempla exstant complura. In titulo Ancyrano, C. I. Gr. 4039, ludi quinquennales Augusto instituti recensentur et inter eos invenies vs. 46 sq.: *ὁμοίως δὲ ταυρομαχίαν*[17]) *καὶ [ταυρο]καθά[πτ]ας καὶ μονομάχω[ν] ζεύ[γη] ἔδωκε]ν.* E ruinis amphitheatri Sinopensis erutus est titulus C. I. Gr. nr. 4157: . . . . . . *Πο]ντάρχη[ν ἐπιτε]λέσαντα ταυροκα[θάψια] καὶ κυνηγέσιον.* Apud Smyrnaeos autem pluribus diebus, per biduum, aut diutius fortasse, ab equitibus cum tauris certatum esse supra iam commemoravimus, C. I. Gr. nr. 3212: *ταυροκαθαψίων ἡμέρᾳ β'.*[18]) — Ad *ταυροκαθάψια* fortasse referendum est etiam, quod Aristides, sacr. orat. XXVI, 324, de ludo Pergami acto memoriae prodidit: *θεωρία τις ἦν ἐν τῇ πόλει πάνυ λαμπρά, ἢ ταύρων θήρα μοι δοκεῖν, ἤ τι τοιοῦτον.*

Hic locus est, ut errori Boeckhii veram Waddingtonii sententiam opponamus. Etenim Boeckhius in adnotatione ad Pindari schol. Pyth. 2, 78 (Pindari opera II p. 319) protulerat, e

Thessalis totum hunc morem devenisse ad Smyrnaeos, „Aeolum Thessalis profectorum colonos“. At non heroicis fere temporibus, non ob gentis affinitatem hic usus in Asiam translatus est, sed ea via propagabatur, quam supra iam demonstravi.

Romanis et Caesaribus taurocathapsia admodum placebant; qui fieri poterat, quin provinciales auctoritatem atque exemplum confestim sequerentur? Ubi natura regionum eiusmodi erat, ut tauri[19]) facile suppeditarent qui in arena certarent, nihil obstabat instituendis his ludis ex exemplo Romae prodito. Praefracte igitur cum Waddingtonio negandum est hos agones Smyrnaeos restitutos esse memoria temporis antiquissimi redintegrata.

Restat ut enumerationi urbium, quae certamen istud[20]) habuerunt, adiciam Aphrodisiadem Cariae.

Cognovimus rationem ludorum et loca, in quibus occurrunt. Priusquam autem ad res Aphrodisienses ipsas redire mihi licet, paucis disserere oportet

de taurocathaptis.

Iam e quaestione usque adhuc perducta patet, qua ex professione homines nomen suum adepti sint[21]): „qui tauros . . . . ad terram cornibus detrahunt“, hi sunt *ταυροκαθάπται*. Num duo alia nomina, quae glossa Hesychii ad nos venerunt, ad idem genus agonisticum pertineant? s. v. *Κερατεσσεῖς· οἱ τοὺς ταύρους ἕλκοντες ἀπὸ τῶν κεράτων· καλοῦνται δὲ καὶ κεραελκεῖς.* Ambigo de synonymia, quia in explicatione glossarii non satis subtiliter notio trahendi distinguitur; in incerto igitur restat, utrum „de“trahendi vis an „ad“trahendi animo commentatoris glossematis obversata sit. Verbum enim *ἕλκειν* optime adhibetur, si tauri ad aram deorum adducuntur aut vi ac dolo attrahuntur.[22]) Ergo non minus apte voces dictae esse possunt de ministris sacrorum, quam de agonistis.[23])

Deinceps quaeritur, cuius ordinis fere ii fuerint, qui isto pacto cum tauris luctabantur. Hic stupeat quispiam paulisper, legens narrationem Artemidori in Onirocriticis I, 8 p. 15 *ταύροις δ᾽ ἔτι κατὰ προαίρεσιν ἐν Ἰωνίᾳ παῖδες Ἐφεσίων ἀγωνίζονται καὶ ἐν Ἀττικῇ παρὰ ταῖς θεαῖς ἐν Ἐλευσῖνι κοῦροι Ἀθηναῖοι περιτελλομένων ἐνιαυτῶν καὶ ἐν Λαρίσσῃ πόλει τῆς Θετταλίας οἱ τῶν κατοικούντων εὐγενέστατοι, ἐν δὲ τῇ ἄλλῃ οἰκουμένῃ τὰ αὐτὰ τοῖς ἐπὶ θανάτῳ κατακριθεῖσι*

συμβαίνει. Duas igitur classes secernit: minorem eorum, qui voluntarii ac sua sponte cum tauris certant — mos insolitus tribus exemplis illustratur — maiorem eorum, qui poenae causa id facere coguntur. Hic usus erat apud Ephesios, populares Artemidori, Athenienses, Larissaeos, ille in ceteris civitatibus.

Nec, quod ad Larissaeos quidem attinet, alienum videtur ab cultu antiquissimo Neptuni[24]) ibi vigente rudioribusque gentis animis, incolas nobilissimos aetate Artemidori periculum ac discrimen taurocathapsiorum subiisse. Eundem vero certandi modum ephebis Atticis aut pueris Ephesiis concedere nequeo. Nec via deest, qua difficultatem de medio tollamus. Statuendum enim est, hoc loco verbis *ταύροις ἀγωνίζονται* rem agonisticam universam qualemcumque rationem habet cum tauris, in qua aliquo pacto tauri adhibentur, significari. Et cum *ἀγωνίζεσθαι* non tam sit dimicare, quam certare, simul, quia certatio diverse cogitari potest, alia interpretatio admitti potest. Nempe hic quoque fuit agon, si ephebi Attici[25]) in festis Cereris Eleusiniis boves seu tauros, certe nonnumquam furibundos, feliciter ad sacrificium produxerunt, nec minus arbitror, etiam mentionem de pueris Ephesiorum factam spectare solam et unam ad certationem et aemulationem in religionibus caerimoniisque[26]) ostensam, minime pertinere ad ludos e genere taurocathapsiorum Thessalicorum aut circenses. Ad taurocathapsia homines perditi, capitis condemnati aut fortasse mercede conducti, sumebantur; in titulis taurocathaptae iuxta gladiatores et damnatos vocantur; erant igitur homines infimae ac servilis conditionis.

Tandem hinc ad viam derelictam revertimur, postquam cognovimus iam Graecis et Romanis Hispanisque veteribus simile spectaculum voluptati fuisse, cui hodie Hispani et Lusitani se dare solent, dico Corrida vel fiestas de toros.[27])

Adnot. 1) In censum veniunt: Prideaux, Marmora Oxoniensia, 1676, pars II p. 266—270. — Boettiger, Kleine Schriften archaeologischen und antiquarischen Inhalts, ges. und hrg. von Sillig, III (1838) p. 325—334: Stierkämpfe. Ein Sieg des Altertums über die Modernen. (prius iam in: Gothaischer Hofkalender 1804 p. 40—54). — Waddington ad Le Bas nr. 499 p. 137. — Dilthey, Schleifung der Dirke, in: Archäologische Zeitung XXXVI (1878) p. 43—54, tab. 7. 8. 9; vide imprimis p. 45—46. — Baunack, Ueber das lakonische Wort *κασσηρατόριν* und die *θηρομαχία* bei den Griechen, in: Rhein. Mus. XXXVIII (1883) p.

293—300; Gronovius ad Meursii Graeciam feriatam, Thes. Antiquit. Graec. VII (1699) p. 854, 869 (ubi tabula adiecta est), 870. — Koraïs in commentario ad Heliodori Aethiopica II (1804) p. 357—59. — Boeckhius, Pindari opera II (1819) p. 310, et postea in C. I. Gr. III. — Dübner, Epigrammatum Anthologia Palatina II (1872) p. 226. — Friedlaender, Sittengeschichte II[5] (1881) p. 363.

2) Monumentum illud Oxonium asportatum est.

3) Müller: Handbuch der Archaeologie der Kunst, p. 745. — Bulletino dell'instituto di corrispondenza archeologica 1831 p. 112 nr. 76, impronte gemmarie, centuria seconda.

4) E. Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer, 1876, p. 424 sq. 431. 457. 466.

5) Heliodori Aethiopicorum lib. X c. 28—30 (ed. Coraïs, Paris 1804, p. 428—432): *κη'. . . . . . . ἐνταῦθα ὁ Θεαγένης . . . . ὠρθώθη τε ἀθρόον (εἰς γόνυ πρὸς τοῖς βωμοῖς πρότερον ὀκλάζων, καὶ τὴν ὅσον οὐδέπω σφαγὴν ἀναμένων), καὶ σχίζαν τῶν ἐπικειμένων τοῖς βωμοῖς ἀναρπάζει. καὶ τῶν οὐ διαδράντων ἵππων ἑνὸς λαβόμενος, τοῖς τε νώτοις ἐφίπταται, καὶ τῶν αὐχενίων τριχῶν ἐπιδραξάμενος, καὶ ὡς χαλινῷ τῇ χαίτῃ χρώμενος, μυωπίζει τε τῇ πτέρνῃ τὸν ἵππον, καὶ ἀντὶ μάστιγος τῇ σχίζῃ συνεχῶς ἐπισπέρχων, ἐπὶ τὸν διαδράντα ταῦρον ἤλαυνε . . . . καταλαβὼν γὰρ ὡς ὅτι τάχιστα τὸν ταῦρον, ἐπ' ὀλίγον μὲν κατ' οὐρὰν ἤλαυνεν, ὑπονύττων τε ἅμα καὶ εἰς ὀξύτερον δρόμον τὸν βοῦν ἐρεθίζων, καὶ, ὅποι δὴ καὶ ὁρμήσειε, τρεπομένῳ συνεφείπετο, τὰς ἐπιστοφάς τε καὶ ἐμβολὰς πεπυλαγμένως ἐκκλίνων. — (κθ'.) ὡς δὲ εἰς συνήθειαν τῆς τε ὄψεως τῆς ἑαυτοῦ καὶ πράξεως ἐνεβίβασεν, ἀντίπλευρος ἤδη παρίππευε, χρωτί τε χρωτὸς ἐπιψαύων, καὶ ἱππείῳ ταύρειον ἆσθμα καὶ ἱδρῶτα κεραννύων, καὶ τὸν δρόμον οὕτως ὁμόταχον ῥυθμίζων, ὡς καὶ συμφυεῖς εἶναι τὰς κορυφὰς τῶν ζώων τοὺς ποῤῥωτέρω φαντάζεσθαι, καὶ τὸν Θεαγένην λαμπρῶς ἐκθειάζειν, ξένην τινὰ ταύτην ἱπποταύρου ξυνωρίδα ζευξάμενον . . . . (λ'.) . . . . . ὁ γὰρ δὴ Θεαγένης, εἰς ὅσον εἶχε τάχους ἐφεὶς τῷ ἵππῳ χρήσασθαι, καὶ προφθάσαντα μικροῦ τὰ στέρνα τῇ κεφαλῇ τοῦ ταύρου παρισῶσαι, τὸν μὲν, ἄνετον φέρεσθαι μεθίησι μεθαλάμενος, ἐπιῤῥίπτει δὲ ἑαυτὸν τῷ αὐχένι τοῦ ταύρου. καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον κατὰ τὸ μεταίχμιον ἐνιδρύσας, τοὺς πήχεις δὲ οἱονεὶ στεφάνην περιθεὶς καὶ εἰς ἅμμα κατὰ τοῦ ταυρείου μετώπου τοὺς δακτύλους ἐπιπλέξας, τότε ὑπόλοιπον ἑαυτοῦ σῶμα παρ' ὦμον τοῦ βοὸς τὸν δεξιὸν μετέωρον καθεὶς, ἐκκρεμὴς ἐφέρετο, πρὸς βραχὺ μόνον τοῖς ταυρείοις ἅλμασιν ἀναπαλλόμενος. ὡς δὲ ἀγχόμενον ἤδη πρὸς τοῦ ὄγκου, καὶ χαλῶντας τοῦ ἄγαν τόνου τοὺς τένοντας ᾔσθετο, ... προβάλλει τῶν ἐκείνου σκελῶν τοὺς ἑαυτοῦ πόδας, ταῖς χηλαῖς δὲ συνεχῶς ἐναρράττων, τὴν βάσιν ἐνήδρευεν. ὁ δὲ τὴν ῥύμην τοῦ δρόμου παραποδιζόμενος, καὶ τῷ σθένει τοῦ νεανίου βριθόμενος, τά τε γόνατα ὑποσκελίζεται, καὶ ἄθροον ἐπὶ κεφαλὴν σφενδονηθεὶς, κύμβαχός τε ἐπ' ὤμους καὶ νῶτα ῥιπισθεὶς, ἥπλωτο ὕπτιος ἐπὶ πλεῖστον, τῶν μὲν κεράτων*

τῇ γῇ προσπεπηγότων, καὶ εἰς το ἀκίνητον τῆς κεφαλῆς ῥιζωθέντων, τῶν σκελῶν δὲ ἄπρακτα σκαιρόντων καὶ εἰς κενὸν ἀερονομούντων, καὶ τὴν ἧτταν ἀλυόντων. ἐπέκειτο δὲ ὁ Θεαγένης, ταῖν χεροῖν τὴν λαιὰν μόνην εἰς τὸ ἐπερείδειν ἀπασχολῶν, τὴν δεξιὰν δὲ εἰς οὐρανὸν ἀνέχων καὶ συνεχὲς ἐπισείων.. εἴς τε τὸν Ὑδάσπην καὶ τὸ ἄλλο πλῆθος ἱλαρὸν ἀπέβλεπε, τῷ μειδιάματι πρὸς τὸ συνήδεσθαι δεξιούμενος, καὶ τῷ μυκηθμῷ τοῦ ταύρου, καθάπερ σάλπιγγι, τὸ ἐπινίκιον ἀνακηρυττόμενος.

6) Eckhel, Doctrina nummor. vet. II (1794) p. 133.

7) ibid. p. 140. — A Catalogue of the Greek Coins in the British Museum. Thessaly to Aetolia, 1883, p. 24 et 25 sq. nr. 6, 7, 8, 16 sq. tab. IV nr. 8, 9, 12—14; tab. V nr. 1—4, 13. — Imhoof-Blumer et Keller, Tier- und Pflanzenbilder auf Münzen und Gemmen des klass. Altert. (1889) p. 21 tab. III nr. 36.

8) D. N. V. II, 146. — Bulletin de c. h. V (1881) p. 295 ed. Muret.

9) D. N. V. II, 146. — Catalogue cet. p. 39 nr. 1 tab. VIII, 7.

10) D. N. V. II, 147. — Catal. p. 42 nr. 1 tab. IX, 1. — Bulletin de corr. hell. V p. 296.

11) D. N. V. II, 147. — Catal. p. 46 nr. 1—3, tab. X, 1—3. — Bull. V p. 297.

12) D. N. V. II, 150. — Catal. p. 51 et 52 nr. 1 sq., tab. XI, 5—7, 12. — Head, historia nummorum, a manual of greek numismatics, 1887, p. 246, 254, 258—60, 263. — Bulletin V p. 299.

13) Catalogue p. 16 nr. 1—2, tab. II nr. 11—12. — Imhoof-Blumer, Beiträge zur Münzkunde und Geographie von Altgriechenland und Kleinasien, in: Zeitschrift für Numismatik (Sallet) I (1874) p. 97 et tab. III. — Mionnet I, 507, 511, 513, 520.

14) Bulletin de corr. hell. V (1881) p. 298 ed. Muret.

15) Cf. etiam Vell. l. II, 56; Appian. bell. civ. II, 102.

16) Perverse: Lobeck, Aglaoph. I (1829) p. 206 adn. c, et E. Curtius in: Göttinger gel. Anz. 1860 p. 336. — Rectum vidit L. Grasberger in: Verhandlungen der Philologischen Gesellschaft in Würzburg ed. L. Urlichs, 1862, p. 16 et 17 (cf. Erziehung u. Unterricht III p. 103—105).

17) Cave credas idem esse!

18) Cf. etiam K. B. Stark, Nach dem griechischen Orient, Reisestudien, 1874, p. 198, Smyrna: „Erwähnen wollen wir unter den Reliefs . . . . den ausschreitenden behelmten Gladiator mit dem Namen Istros, dann als Friesstücke jene Tierkämpfe und Jagden, wobei die in Smyrna einheimischen Buckelochsen geritten und gebändigt werden, sichtlich in Bezug auf das dort bezeugte Festspiel der Taurokathapsien.“ Cf. p. 383.

19) Keller, Tiere des klass. Altertums in kulturgeschichtlicher Beziehung, 1887, p. 68.

20) Alios ludos propinqui sane generis, velut ταυρομαχίας, ταυροθηρίας, cet., ne confusio oriatur, hoc loco de industria omitto. Postea si de ludis tauriis in aliis Cariae oppidis actis disputabo, velut de

festis Caryandae* et Mylasis** editis (*Fröhner, les inscriptions grecques du Louvre, 1865, p. 77 sq. nr. 45; *Le Bas et Waddington, inscriptions d'Asie mineure, 1870, p. 158 nr. 499 et in comment. p. 137 nr. 499; **Le Bas et Waddington, 1870, p. 131 nr. 404 et in comment. p. 119 nr. 404), ad quaestionem revertar nec non rationem habebo titulorum, quos publicarunt: Miller, Mémoire sur une inscription agonistique de Larisse, in: Mémoire de l'institut national de France, Académie des inscriptions et belles-lettres, vol. XXVII (1873) part. II p. 43—65. — F. Durrbach in: Bull. de corr. hell. IX (1886) p. 437 sq. — Baunack, Mus. Rhen. XXXVIII (1883) p. 293 sq. (Bulletino dell'instit. 1873 p. 188, ed. G. Hirschfeld). — Gomperz, Archäologisch-epigraphische Mitteilungen aus Oesterreich-Ungarn VIII (1884) p. 9 nr. 23 (cf. Keller, Tiere des klass. Altertums, 1887, p. 54 et 343 adn. 14). — A. Conze, Reise auf der Insel Lesbos, 1865. p. 16.

21) Praeter Suetonii locum (Claud. c. 21) cf. Cassii Dionis verba, quae supra laudavimus. Praeterea cf. Thes. l. Gr. s. v., ubi significatio propinqua affertur.

22) Homer. Il. *Υ*, 403—405.

23) Vix opus est admonere adnotationem ad C. I. Gr. nr. 3212: nomen *ταυροκαθάπται* in solis glossis reperiri, nunc irritam factam esse inscriptionibus: C. I. G. nr. 4039, C. I. A. III[1] nr. 114, collectionis meae nr. III.

24) Hesych. s. v. *Ταυρία· ἑορτή τις ἀγομένη Ποσειδῶνος.*

25) Vide Grasberger, Verhandlungen p. 17.

26) Athenaeus X, 25 p. 425 c: *παρὰ δὲ Ἐφεσίοις οἱ οἰνοχοοῦντες ἤθεοι τῇ τοῦ Ποσειδῶνος ἑορτῇ ταῦροι ἐκαλοῦντο, ὡς Ἀμερίας φησί.* Hesychius s. v. *ταῦροι· οἱ παρὰ Ἐφεσίοις οἰνοχόοι.* Unde nomen tauri? Manavitne inde, quod iis, qui in adportandis victimis excellentes fuerant, praemii gratia concedebatur, ut in rebus divinis Neptuno faciundis vinum in pateram infunderent? Utique translatio mira videtur.

27) H. Baumgarten, Geschichte Spaniens vom Ausbruch der französischen Revolution bis auf unsere Tage, III (1871) p. 233, etiam p. 207 adnot. — W. Joest, Spanische Stiergefechte. Eine kulturgeschichtliche Skizze, 1888: „Im Jahre 1830 wird die Universität Sevilla aufgelöst und in demselben Jahre in derselben Stadt eine 'Hochschule der Tauromachie' gegründet, die zwei Lehrstühle besass, und über deren Eingangsthor die denkwürdige, noch jetzt erhaltene Inschrift angebracht wurde: 'Ferdinand VII, der Fromme, der glückliche Wiederhersteller der Monarchie. Für den conservativen Unterricht in der Stierwissenschaft.'"

§ 7 (nr. V).

Ludi amphitheatrales apud Aphrodisienses.

Quodsi testimonium humationis gladiatorum, condemnatorum, taurocathaptarum inter ruinas urbis repertum est, iam statim ab

initio suspicamur etiam ludos in amphitheatro datos esse. Quamquam me non fugit Friedlaenderi sententia (Sittengesch. II[5] p. 557): „Die Gladiatorenschulen werden sich hauptsächlich in den Städten befunden haben, in denen die Provinzialfeste gefeiert wurden. . . . . . Aber zum Priester wählbar waren auch Bürger der übrigen zu der Festgenossenschaft gehörigen Städte, die ihre Gladiatoren teils an ihren Wohnorten, teils an andern zweckmässig erscheinenden Orten unterhalten und einüben lassen konnten. Wenn daher an einem Orte Monumente gefunden worden sind, die sich auf Gladiatoren beziehen, so folgt daraus höchstens, dass dort eine Schule war, aber nicht, dass Fechterspiele gegeben worden sind.“

Sed demonstrabo hoc in res Aphrodisiensium non quadrare. Etiamsi in hanc civitatem, quantum scimus, commune Asiae nunquam convenit[1]), tamen incolis munera gladiatoria data sunt. Namque si Zenon, quem constat familiam illam possedisse, summus sacerdos communis Asiae fuisset atque homines illos Aphrodisiade exercendos tantummodo et sepeliendos curasset, utique in lapide ad *ἀρχιερέως* vs. 6 appositum videremus *τῆς Ἀσίας*. Nuda vero appellatione *ἀρχιερέως* perspicuum est Zenonem dignitatem urbanam sacerdotis maximi obtinuisse; seu cultui imperatorum seu religioni Veneris sive venerationi aliorum numinum praefuit, gratum et sumptuosum illud spectaculum civibus edidit.

Quae opinio firmatur eo, quod Texier vestigia amphiteatri ibi conspicatus est.[2]) Ceterum ne Friedlaenderus quidem dubitat, quin ludi gladiatorii praeter festos a communi provinciae diversis in urbibus concelebratos etiam aliis locis exhibiti sint.[3])

Adnot. 1) Provincia Asia in urbibus Cariae nullum habuit templum, excepta fortasse civitate Nysaea (Mionnet III p. 366 nr. 371; cf. scrupulum Buechneri, de neocoria, Gissae 1888, p. 46). Communes ludi Asiae nunquam in civitatibus Cariae acti sunt; *κοινὸν* vel *κοινὰ τῆς Ἀσίας* exhibent et lapides et nummi in hisce urbibus: Pergami, Smyrnae, Ephesi, Sardibus, Cyzici, Laodiceae, Philadelphiae, Trallibus (Revue archéologique XII [1888] p. 224 nr. 12), Hierapoli? Synnadae? Cf. Monceaux, de communi Asiae provinciae, 1886. Guiraud, les assemblées provinciales dans l'empire Romain, 1887. Buechner, l. c. p. 64. Mommsen, Röm. Gesch. V (1885) p. 317: Landtage und Landesfeste.

2) Texier, Asie mineure, description géographique, historique

et archéologique des provinces et des villes de la chersonnese d'Asie, 1862, p. 647 cap. XIV: „les édifices publics".

3) Cf. Friedländer l. c. II[5] (1881) p. 556 sq.: Verzeichnis der in Asia u. den übrigen kleinasiatischen Provinzen nachweisbaren Amphitheater. Nonnullos titulos addam, in quibus res gladiatoriae commemorantur:

Lydia. Smyrnae, Mitt. Inst. Athen. VI (1881), ed. Papadopoulos Kerameus, p. 366 nr. 1: *Μελιτινὴ τέκνῳ ἰδίῳ | Μάρκῳ* sequitur anaglyphum, puer sinistram tenens in pectore, dextram in capite canis sedentis: *καὶ Ἡρακλᾶς ὁ πατὴρ | κατεσκεύασαν συ|νκατενενκάσης | φαμιλίας Ἀπελλικό|ντος μονομάχων κ(αὶ) | λονδαρίων τιμῆς ἕνεκ(ε)ν.* — Cyzici: Mitt. Inst. Athen VI (1881), ed. J. H. Mordtmann, p. 124 nr. 7: *Εὐπρεπῆς προ[β]οκάτωρ.*

Phrygia. Laodiceae ad Lycum: C. I. Gr. nr. 3942; cf. Add. et Corr.: legendum est *μονομαχίων.*

Lycia. Telmessi: Benndorf et Niemann, Reisen in Lycien und Carien, 1884, p. 41 et p. 157 „Nachträge", fig. 30, anaglyphum sepulcrale retiarii: *Ἑρμεῖ Παιτραείτης μετὰ τῶν συνκελλαρίων μνήμης χάριν.* „Es stellt den Verstorbenen als Retiarius mit Dolch und Dreizack dar. Um die Hüften trägt er ein subligaculum mit balteus, die Füsse scheinen beide über die Knöchel herauf umschnürt; wie gewöhnlich ist der Kopf ohne Helm und der linke Arm durch Schiene und galerus geschützt, das überhaupt selten dargestellte Netz fehlt auch hier, am Boden liegt eine Palme. Der Name und die Bezeichnung der Collegen als concellarii scheint neu und das Relief das erste Zeugnis für eine Gladiatorenschule in diesen Gegenden zu sein, denn die Angabe über ein Amphitheater in Xanthus beruht auf einem Irrtum." — Oenoandis: Petersen et Luschan, Reisen p. 113, XVII A vs. 11 sqq.:

λυκιαρχήσαντι φιλ[οτεί]μως, δ[ό]ν-
τι κυνηγ[ίας κα]ὶ μονομ[αχ]ίας καὶ
θεωρί[ας, άγω]νοθετή[σαν]τι ὑφ' ἕ-
[να καιρὸν τα]ῖς ἐπισ[ήμοις τοῦ ἔθνους(?)]

B. *πόλεσιν, τῇ Μ[υ]ρέων [καὶ τῇ Παταρέων]*
ἐν αἷς ἄγουσιν παν[ηγύρεσιν ἐπισή-]
μοις θεῶν καὶ τοῦ κυ[ρίου αὐτοκράτο]-
ρος, καὶ δόντι πάλ[ι]ν [κυνηγίας καὶ μο]-
νομαχίας καὶ θεωρί[ας ἐν . . . .]
ἡμέραις, ἐφ' οἷς αἱ πόλ[εις ἐμαρτύρη]-
σαν αὐτῷ ἐπὶ θεοῦ Ἀδρια[νοῦ, κ. τ. λ.

Pamphylia. Attaliae: Bull. de c. h. VII (1883), p. 263 nr. 5 ed. Ramsay: *ἀρχι[ε]|ρασάμενον τετραετίαν καὶ | ἐπιτελέσαντα κυνηγεσία[ς] | καὶ μονομαχίας μεγαλοπρ[ε]|πῶς κ. τ. λ.*

(Ad Friedlaenderi historiam morum II[5] [1881] p. 554 adiciendum est: Mitt. Inst. Athen X [1885] p. 15 nr. 1; ad p. 555: Mitt. Inst. Athen IX [1884] p. 214 nr. 1; ad p. 559 [Mysia] adde: Ilium, Le Bas-Waddington nr. 1743 *i.*)

§ 8 (nr. V).

De editore horum ludorum.

Zenon[1]) ut memoriam sacerdotii sui agonibus popularibus gratam efficeret, gregem gladiatorum, damnatorum, taurocathaptarum coegerat, quos suis impensis alendos, exercendos, in arenam producendos curaverat. Interfecti communiter sepeliebantur. Exemplum simile de Thaso insula traditum est, ubi Hecataea, dives femina, propria pecunia servos essedarios et mirmillones habuit, C. I. Gr. nr. 2164. Sed haec singularia sane sunt; libenter Friedlaendero concedo catervas gladiatorias saepissime in possessione eorum inveniri, qui, velut Asiarchae, ludicra totius provinciae adornare debebant.

Adnot. 1) Hypsicles — Zenon (Hypsicles) — Hypsicles — Zenon (magistratus eponymus, cf. Le Bas-Waddington nr. 1611). Nomen Zenonis apud Aphrodisienses tritissimum est. Notus est Zenon sculptor, cf. C. I. Gr. nr. 6233, 6151, 5374; Brunn, Künstlergeschichte I, 574. De Zenonibus cf. etiam Loewy, Inschriften griech. Bildhauer (1885) p. 258 nr. 364 et 365, p. 259 nr. 366. Bull. de corr. hell. IX (1885) p. 21 nr. 16, ed. Haussoullier. — Praeterea Indices.

Nr. VI.

Henzenus: Annal. Instit. archeol. (1852) p. 135; Le Bas et Waddington: inscript. d'Asie min. (1870) p. 391 nr. 1592 et in comment. p. 371 ad nr. 1592.

Ἱεροκλῆς Ἑρμοφάντου ἀρχιερεὺς καὶ στεφανηφόρος καὶ τρὶς γυμνασίαρχος, υἱὸς πόλεως, καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Ἀριστονείκη Ἀριστοκράτους ἡ ἀρχιέρεια καὶ στεφανηφόρος, ἀρχιερατεύοντες καὶ τὸ βαλανεῖον ἐκ θεμελίων καὶ τὰ ἐν αὐτῷ ἔργα πάντα σὺν παντὶ τῷ κόσμῳ ἐκ τῶν ἰδίων κατασκευάσαντες ἀνέ[θη]καν.

Exemplum sumpsit Falcenerus loco prope ab urbe sito, qui vocatur Garrimay. Litterae nihil inusitati praebent; iota mutum incisum non est. Initium aetatis imperatorum coniectura tantum assequor.

§ 9 (nr. VI).

Tempus ignotum; exordio, opinor, aetatis Caesareae.

a) Gymnasii praefectura.

Quantopere ambitio et aviditas aurae popularis nonnunquam increverit, ostendit exemplum Hieroclis cuiusdam, filii Hermophanti. Is non recusavit, quominus munus gymnasiarchi ter susciperet, quamquam officiis negotiisque sacerdotis summi et stephanephori satis iam distentus fuerat. Num inter singulas gymnasiarchias spatium maius minusve fuerit, non liquet. Saepius in usu venisse apud Aphrodisienses aliquem appetentem gloriae compluries gymnasio praefuisse, ex Indice facile cognosci potest. Aliis locis similia inveniuntur; in titulo Coo scriptum videmus: *γυμνασιαρχήσαντος αὐτοῦ ἑξάκις ἐκ τῶν ἰδίων μετὰ καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ* (Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques en France, 1875, p. 286 nr. 8, ed. Rayet). Ad civitatem Lyciam Corydallensium spectant verba quae sequuntur: *οὐ[κ ἐπε]λ[άθετο?] | δὲ τῆς πρὸς μητ[ρὸς] | πόλεως τῆς Κο[ρυ]|δαλλέων, ἀλ[λὰ] | καὶ ἐν ἐκείνῃ ἐν? ἑ[νὶ ἐ]|νιαυτῷ τριῶν γυ[μνα]|σιαρχῶν ἀρχὰς [ἀπε]|δέξατο, τὰ μὲν ἐ[κ τῶν] | δημοσίων πόρ[ων προ]|κείμενα χαρ[ιζόμε]|νος, ἐγ δὲ τῶ[ν ἰδίων] | πάντα τὰ [ἀναλώμα]|τα ποι[ούμενος]* (Petersen et Luschan, Reisen [1889] p. 112 XIV G, vs. 2 sq.). Cf. etiam l. c. p. 114 XIX A, vs. 5 sq.

Nec profecto officia, quae uti *υἱὸς πόλεως* (vs. 1) observare debebat, praestare melius poterat, quam ita ut videbimus sub b).

Sed antea opus erit interpretari, quid sibi velit elocutio illa „*υἱὸς πόλεως*". Nam haec non verba sunt, immo vero certa vis definitaque significatio subest.

Excursus de filiis civitatis quos vocant.

Urbs, populus, tribus, senatus, gerusia, iuvenes (*νέοι*) habebant suos filios, filias, patres, matres, fortasse etiam proavos; necnon aliquis uno et eodem tempore triplex filius esse poterat, et senatus et populi et gerusiae, aut duplex, urbis simulque gerusiae, aut unus idemque — id quod valde memorabile est — pater fuit ac proavus tribus.[1]) Unde hae appellationes?

Waddington quidem opinatus est municipia seu collegia adoptavisse a patre iusto liberos egentes, eo consilio, ut educationi eorum suis impensis prospicerent; nonnumquam his publicis filiis filiabusque contigisse, ut multum in re publica valerent.[2]) At haec sententia defendi iam nequit, postquam titulis luculenter apparuit — Perrot primus id monuit[3]) — filios filiasque urbis haud ita raro divites et illustres parentes habuisse, veluti filia urbis Aphrodisiadis naturalis filia procuratoris cuiusdam Augusti fuit (cf. tit. meae sylloges nr. XIV vs. 7).

Accuratius feliciusque quaestioni operam dedit Gustavus Hirschfeld[4]), qui — in hoc tantum consentiens cum Waddingtonio — statuit re vera adoptionem factam esse et hanc publicam adoptionem de iure pari momento fuisse atque privatam; iuxta enim civitatem aut collegium, quibus adoptio fit, comparent in titulis tam pater naturalis, quam mater naturalis coniunctus insuper cum patre adoptivo, ita ut aliquis praeter patrem naturalem duos adoptatores habeat, quorum alius homo privatus, alia civitas aut aliquod collegium est.[5]) Constat igitur adoptatio; longe autem alio spectat atque Waddingtonius voluit. Hirschfeld l. c. existimat: „im Privatleben findet Adoption statt, damit der Adoptirte seinerzeit in die Rechte des Vaters eintrete; Städte und Genossenschaften adoptiren, weil der Betreffende schon gleichsam Sohnespflichten gegen sie erfüllt hat"; adoptatio igitur civibus praemium dubium meritorum, non adiumentum in paupertate est, neque egenis commodo, sed locupletibus incommodo est, quippe qui, semel publice adoptati, existimationis causa coacti sint, nova semper onera suscipere pro bona valetudine proletariorum. In primis e titulis Stratonicensibus elucet largitionibus immodicis optime viam ad hanc dignitatem munitam esse. Si quis a senatu aut a gerusiastis aut a iuvenibus adoptatur, cumulavit plerumque praecipua in haec collegia merita. Ergo honoris gratia adoptatio fiebat; sub qua formula, nondum liquet; simplicissimum est, de mero decreto cogitare, quod honorantes cum honorando communicabant. Sicut peregrinis in similibus meritis civitas donabatur aut senatus patebat, ita civibus indigenis excogitabantur vincula, quibus astringerentur ad augendam fortunam patriae. In collatione temporis nostri Gustavus Hirschfeld dixit rem eandem rursus inveniri in iis, quos vocamus

vernacula lingua „Ehrenbürger, Ehrenmitglied". Recte haec, quia apud nos civis civitatem patriae urbis denuo honoris causa accipere potest, apud homines illius temporis non item.

Adnot. 1) Tituli Aphrodisienses huc pertinentes sunt: nr. VI, 1, XIV, 7, XVII, 5, XIX, 2 meae sylloges. — Aezanis Phrygiae inventus est titulus Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie min. p. 243 nr. 881: *υἱὸν τῆς πόλεως*. In lapide Panamaris Cariae reperto legimus: *υἱὸς πόλεως* — *θυγάτηρ πόλεως*, Bull. de c. h. XII (1888) p. 255 ed. Deschamps et Cousin. In loco qui nominatur Karabaulo *υἱὸς πόλεως* occurrit in compluribus titulis, cf. Sterett, the Wolfe Expedition to Asia Minor, in Papers of the American school III (1884—85), 1888, nr. 405, 409, 417, 420 sq. *θυγάτηρ πόλεως* commemoratur in titulo nr. 612. Item aliquot tituli urbis Caricae Laginae praebent appellationem *υἱὸς πόλεως*, cf. Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 27 nr. 39 b, p. 153 nr. 57 vs. 3, p. 155 nr. 61 vs. 1/2. — p. 146 nr. 47 vs. 5 mentio fit *θυγατρὸς πόλεως*. (Hos titulos ediderunt Diehl et Cousin.) Filius populi in titulo Sardiano comparet, quem promulgavit Reinach, Revue archéologique 1885 p. 105 vs. 10: *γνώμη Γαίο[υ Ἰ]ουλίου Παρδαλᾶ καὶ τοῦ δήμου τοῦ Σαρδι[αν]ῶν υἱοῦ*. Pater simulque proavus tribus Ancyranae occurrit in inscriptione Ancyrana: *φ[υλὴ] πρώτη Μ[αρουρ]αγήνη τὸν ἑαυτῆς πατέρα καὶ πρό[γονο]ν* (Mordtmann, Marmora Ancyrana p. 9, Bulletin de corr. hell. VII [1883] p. 19 nr. 6 ed. Ramsay). Filium senatus habemus in titulis Trallianis, cf. Le Bas-Waddington III p. 391 nr. 1652 c vs. 11: *ὑοῦ βο[υ]λῆς*; Papers of the American school I (1882—83), 1885, p. 100 nr. VI vs. 12: *ὑ[ιοῦ] βουλῆς*; Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 298 nr. 7 vs. 14: *ὑοῦ βουλῆς*, tit. edidit Kontoleon. Filium gerusiae nominat inscriptio Erythraea, cf. Le Bas-Waddington III p. 26 nr. 53: *υἱὸν τῆς γερουσίας*. Filius et senatus et populi et gerusiae aliquis appellatur in titulo Attaliae reperto, cf. Bulletin de corr. hell. VII (1883) p. 263 nr. 5 ed. Ramsay: *υἱον βουλῆ[ς], δήμου, γερουσίας*. — In titulo Coo legimus: *υἱοῦ πόλεως καὶ γερουσίας*, cf. Journal of hellenic studies VI (1885) p. 254 nr. 6.

2) Cf. Waddingtonii adnotationem ad Le Bas-Waddington III p. 26 nr. 53.

3) Mémoires d'archéologie p. 175; Revue archéologique XXVIII (1874) p. 13/14; Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques, 1875, p. 272 sq.

4) Zeitschrift für österreichische Gymnasien XXXIII (1882) p. 161—165, ubi sedecim exempla allata sunt.

5) Conferendi sunt tituli, qui inventi sunt: Tei, C. I. Gr. nr. 3083 = Le Bas-Waddington III p. 53 nr. 108: *[Τιβέ]ριον Κλαύδιον Μ[ενε]μάχου καὶ τοῦ δήμου [υἱὸ]ν φύσει δὲ Ἑρμοθέστου, Κυρείνᾳ, Φιλιστέα*. — Stratoniceae Cariae, Le Bas-Waddington p. 144 nr. 525: *Τ]ιβερίον Κλαυδίον, Λέοντος υἱοῦ, Κυρ[εί]νᾳ, Θεοφάνους, καθ' υἱοθεσίαν δὲ Πυ-*

ϑέον Σκόρπωνος, φιλοκαίσαρος καὶ φιλοπάτριδος, υἱοῦ τῆς πόλεω[ς] κ. τ. λ. — Assi, Papers of the American school I (1882—83), 1885, p. 47 nr. XXII (= Le Bas-Waddington nr. 1033a): Κλεόστρατος, υἱὸς [π]όλεως, φύσ[ει] δὲ [Ἀπε]λλικῶ[ν]τος. — Thyatiris, Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 101 nr. 24 vs. 15/16, ed. Foucart: ϑυγατρὸς τῆς πόλεως, φύσει δὲ Μηνογένους.

b) De balneo.

Filius ille urbis non adquiescens in iis, quibus antea civibus utilissimum sese praebuerat, ingentius sui monumentum relinquere voluit. Adhibito enim subsidio coniugis, quae ipsa quoque in pontificatu maximo et stephanephoria erat, balneum publicum a fundamentis exstruxerat necnon quaecunque in interioribus spatiis usui et commoditati, ornamento et luxuriae esse poterant, omnia largitus erat. Quaestio, utrum balneum ab opulento illo fautore civium donatum partem gymnasii formaverit an separatim alio loco urbis aedificatum sit, solvi nequit. Probabilius sane mihi videtur esse, ratione habita morum labentium illius temporis et institutorum Romanorum, quos constat thermis magnificentissimis vehementer delectatos esse, Aphrodisiade illis iam temporibus balneum ortum esse ad exemplum Romanum constructum.[1])

In titulo Aphrodisiensi C. I. Gr. nr. 2804, qui inferioribus temporibus exaratus videtur esse, mentio fit frigidae lavationis aestivae, cui superbum nomen erat 'ϑερινὸν Ὀλύμπιον λουτρόν'; legimus enim in lapide: ἀγαϑῇ τύχῃ, τὸν μεγαλοπρεπέστατον Ῥοδοπαῖον τὸν φιλόπατριν. καὶ ἄω[τ]ον το[ῦ] δήμου τὸν ἀρχηγὸν τῆς φιλοτιμίας τοῦ ϑερινοῦ Ὀλυμπίου λουτροῦ κ. τ. λ.

Hoc loco nonnullas inscriptiones aliorum oppidorum adicio, in quibus de re balnearia agitur:

Caria. Stratoniceae, Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 383 nr. 3, ed. Deschamps et Cousin, vs. 17 sq.: ταῖς γυναιξὶ δὲ πάσαις ἔδοσαν ἔλαιον ἐν τοῖς γυναικείοις βαλανείοις. — Provenit e ruïnis oppidi Carici, cui nomen erat Κῦς sive etiam Κύον[2]), titulus Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 306 nr. 1, ed. Cousin et Deschamps, vs. 7 sq.: ἐὼν δὲ καὶ γυμνασίαρχος καὶ ἐλαιοϑετήσας, λούσας δὲ καὶ τὸ βαλανεῖον. — Trallibus;

Papers of the american school, vol. I (1882—83), 1885, p. 114 nr. XV, ed. Sterrett [cf. Ὅμηρος (1873) p. 537; Th. Mommsen in: Ephem. epigraphica V (1884) p. 61 nr. 162; Bursian, Jahresbericht 1888: Haug, Römische Epigraphik p. 78]:

[Imp(eratori)] Nerva[e Caes(ari)]
[Aug(usto)] P(atri) P(atriae)
[On]esimus, [Aug(usti) libertus proc(urator)]
[lapicaedin]arum, ce[llam]
[cali]dariam g[ymnasii in]
[usum Tra]llianor[um]
[ex]ornatam ad[iectis tem-
plis d]uobus [dedicavit]
[*Αὐτο*]*κράτορι Νέ*[*ρουα Καίσαρι*]
[*Σεβαστῷ π*]*ατρὶ πατρί*[*δος*]
[*Ὀνήσ*]*ιμος ἀπε*[*λεύθερος Σεβαστοῦ,*]
[*ἐπίτροπ*]*ος λατομε*[*ίων,*]
[*τὸ θερμὸν τοῦ γ*]*υμνα*[*σίου*]
[*παρὰ Τραλ*]*λιανοῖς τῇ πο*[*ικ-
ιλίᾳ*] *λίθων κοσμήσ*[*ας*
. . *να*]*οὺς? ἐν αὐτῷ* . . .
. . . *καθιέρωσ*[*εν*]

Ad res balnearias Milesiorum pertinet titulus editus in: Mitt. d. d. arch. Instit. V (1880) p. 336 nr. 5.

Lycia. Sidymae, Benndorf et Niemann, Reisen (1884) p. 64 nr. 33: *Σιδυμέων*] *ὁ δῆμος* . . . . *Μαρίαν Ῥουφεῖναν Λούκιον Μάριον Σ*[*ώ*]*νεικον* [*κατασκευάσαντ*]*ας τὸ βαλανεῖον*. Cf. p. 68 nr. 43. — Cadyandae, l. c. p. 143 nr. 122 (= Bull. de corr. hell. X [1886] p. 46, ed. Cousin et Diehl): *Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Φλάουϊος Οὐασπασιανὸς Σεβαστὸς κατεσκεύασεν τὸ βαλανεῖον ἐκ τῶν ἀνασ*[*ω*]*θέντων χρημάτων ὑπ' αὐτοῦ τῇ πόλει*. — Patarae: Le Bas-Waddington, inscr. d'Asie mineure nr. 1265 (= Annal. Inst. archeol. [1852] p. 157, Henzen): idem Caesar Vespasianus *τὸ βαλανεῖον κατεσκεύασεν* [*ἐκ*] *θεμελ*[*ί*]*ων σὺν τοῖς ἐν αὐτῷ προσκοσμήμασιν καὶ ταῖς* [. . . . . *αι*]*ς* [*δ*]*ιὰ* [*Σέ*]*ξ*[*τ*]*ου Μαρκίου Πρείσκου πρεσβευτοῦ* [*αὐτ*]*οῦ ἀν*[*τ*]*ισ*[*τρ*]*α*[*τήγ*]*ου* [*ἐκ τ*]*ῶν συν*]*ενεχ*]*θέντων χρημάτων* [*ἐ*]*κ* [*κοιν*]*οῦ ἔθνους* [*Λυκίων κ*]*αὶ τῶν ἀπὸ τῆς Παταρέων πόλε*[*ω*]*ς συντελειώσα*[*ν*]*τος καὶ ἀφιερώσαντ*[*ο*]*ς*

τὰ ἔρ[γ]α. — Aperlae, Le Bas-Waddington nr. 1292 (C. I. Gr. nr. 4300[r], Add. p. 1134): Tito et Vespasiano Ἀπερλειτῶν καὶ τῶν συνπολειτευομένων ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τὸ βαλανεῖον καὶ τὸ πρόστοον κατεσκεύασεν ἐκ θεμελίων. — Cyaneae: C. I. Gr. Add. 4303 h′, 6. — Telmessi: Petersen et Luschan, Reisen (1889) p. 114 nr. XIX B, vs. 7 sq.: τῇ δὲ Τελμησ|σέων πόλει εἰς κατασκευὴν βαλανείου καὶ ἐ|ξέδρας * τρὶς μύρια καὶ δηνάρια πεντάκις | χείλια. (Cf. etiam titulos, qui pertinent ad Γαγατῶν civitatem: l. c. p. 110 XII F, vs. 7 sq., et p. 114 XIX D, vs. 2 sq.)

Phrygia. Nacoleae: C. I. Gr. Add. 3847 b, vs. 4 sq. — Lacinae: C. I. Gr. 3956 b, vs. 13, Add. p. 1106 = Le Bas-Waddington nr. 1700.

Cilicia. Iotapae: C. I. Gr. 4411 a, vs. 14/15: ἐ[πι]δοὺς καὶ εἰς [τὸ κοι]νὸν βαλανεῖον | κατασκευα[ζ]όμενο[ν οἴκ]οθεν * α͵κε.

Syria. Zoravae (Adrae): C. I. Gr. 4562 vs. 3.

Rhodus. Lindi: Bull. de corr. hell. IX (1885) p. 108 nr. 11, ed. Holleaux et Diehl, vs. 4—8: παρασχόντα .... καὶ τὰν τῶν λουτρῶν | [ἐπ]αινουμέναν χρῆσιν τοὺς τὰς ἱερωσύ|νας αὐτοῦ μῆνας δεκατρεῖς.

Ionia. Balneum prope a Smyrna situm nominabatur „balneum Apollinis et Serapidis", Le Bas-Waddington nr. 33: Ἀπόλλων[ος] καὶ Σε[ράπιδος] Σεβαστῶν εἰ[ργ]ά[σατο] τὸ [βα]λανεῖον [σὺν] παντὶ [τῷ κ]όσμ[ῳ κ. τ. λ. — Tei: C. I. Gr. nr. 3080 vs. 4 sq.: κατασκευάσαντα δὲ ἐκ τόκων [τήν τ]ε στοὰν τῆς γερουσίας καὶ τὰ προβαλ[αν]εῖα σὺν τῷ λουτρῶνι καὶ τοῖς λο[ι]ποῖς προσκοσμήμασι πᾶσιν ἐκ τῶν ὑπὸ [τ]οῦ πατρὸς [κ]αταλειφθέντων τῇ πόλει χρημάτων.

Lydia. In urbe, quae vocatur Δαρειοκωμητῶν κατοικία, hodie Dérékeui, sita in dextra ripa Hermi fluminis, Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 91 nr. 10 vs. 6 sq., ed. Foucart: το[ν] ἐν δεξιοῖς τοῦ ναο[ῦ] λουτῆρα.

Mysia. Cymes: C. I. Gr. 3524 vs. 40. — Alexandriae Troados: Mitt. Inst. Athen. IX (1884) p. 36—48, R. Koldevey, acced. tabulae II et III. — Assi: Papers of the american school vol. I (1882—1883), 1885, ed. Sterrett, p. 40 nr. XVI vs. 3 sq.: βασιλεύσα[σα] κατὰ τὰ πάτρια, πρώτ[η] γυναικῶν, τὸ βαλα-

νῆον καὶ τὰ ἑπόμενα τῷ βαλανήῳ ἀνέθηκεν Ἀφροδείτῃ Ἰουλίᾳ καὶ τῷ δήμῳ. Cf. etiam p. 41 nr. XVII.

Lesbos. In titulo Mytilenaeo, C. I. Gr. nr. 2184, exstat: *Α βόλλα καὶ ὁ δᾶμος ...... τὸν εἱρέα καὶ ἀρχειρέα καὶ ἀγωνοθέταν καὶ πανηγυριάρχαν τᾶς Θερμιακᾶς πανηγύριος* (cf. Conze, Reise auf der Insel Lesbos [1865] p. 16 sq.). Cf. etiam Sammlung der griech. Dialektinschriften I (1884) p. 95 nr. 241, 242, 243; p. 96 nr. 245, 246, 247, ed. Bechtel.

Bithynia. Prusiade ad Hypium: Sitzungsber. d. k. pr. Akad. XXXV (1888) p. 867, ed. G. Hirschfeld, vs. 9 sq.: *[δό]ντα καὶ ὑπὲρ ἰδίας | ἀγορανομίας ἀργύριον εἰς ἀνά|ληψιν τοῦ Δομιτείου βαλανείου κ. τ. λ.*

Galatia. Ancyrae: C. I. Gr. nr. 4025.

Cyclades. Teni: C. I. Gr. nr. 2336 vs. 4 sq.: *ἀναθέντα τῇ πό[λ]ει βαλαν[ε]ῖον καὶ δηνάρια [π]εντακισχείλι[α, ἵ]να ἐ[κ] τοῦ τόκου αὐτῶν θερμαίνηται τὸ βαλανεῖον.* Cf. etiam C. I. Gr. nr. 2338. — Peparethi: Bull. de corr. hell. III (1879) p. 181, ed. Girard: *γυμνασιαρχήσας ἀνέθηκεν τὸν λουτρῶνα.*

Varias species rei balneariae, qualis inveniatur in lapidibus, nunc cognovistis.

Adnot. 1) Cf. Guhl et Koner, Das Leben der Griechen und Römer 1882[5] p. 510 sq., p. 673 sq.

2) ethnicum *Κυείτης, Κυΐτης.* Cf. de hac urbe: Memoiren der kaiserl. russ. Archäol. Gesellschaft, N. S. vol. III (1888) p. 459—461, S. Sfeliwanow disputavit lingua Russica de oppidis Cariae. — Bull. de corr. hell. IX (1885) p. 444—450, fragm. 12 col. I vs. 11, ed. Cousin et Deschamps. — Mitt. Inst. Athen. II (1877) p. 224 sq., ed. Röhl. — Eckhel, D. N V. II p. 582. — Steph. Byz. (Lips. 1825) vol. I p. 216. — G. Hirschfeld, Geographisches Jahrbuch XII (1888) p. 297. — Wochenschrift für klass. Philologie (1887) p. 1238.

Nr. VII.

Ex apographis Sherardianis et Spanhemianis (vss. 1—18) ed. A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 521 nr. 2789.

. . . .
. . . . *ἱερατε[ύσαντα δ-]*
ιὰ βίου, γυμνασ[ι-]
αρχήσαντα δίς,

στεφανηφορήσαν-
τα δίς, ἀγωνοθετή-
σαντα τρίς, ἑστιά-
σαντα τὸν δῆμον
τετράκις, πρεσβεύ-
σαντα πολλάκις,
ἄρξαντα τὰς ἐν
τῇ πόλει ἀρχὰς
πάσας διὰ παν-
τός, λέγοντα καὶ
πράσσοντα καὶ ψη-
φιζόμενον ἀεὶ τὰ
συνφέροντα τῷ δή-
μῳ, ἀγαθὸν καὶ εὔ-
νουν τῇ πατρίδι.
τῆς δὲ κατασκευ-
ῆς τοῦ τε ἀνδρι-
άντος καὶ τῆς ἀ-
ναστάσεως αὐ-
[το]ῦ ἐπεμελήθη
[Τι]βέριος Κλαύδιος
Μαρίωνος υἱὸς Κυ-
ρίνᾳ Μένανδρος,
ὁ ἔγγονος αὐτοῦ.

Marmor ad australem partem urbis repertum est. Litterae *ΑΖΘΞΩ*; iota mutum insculptum non est; e vss. 24—27 patet titulum circa medium aut versus extremum saeculum primum p. Chr. n. positum esse; nepos avo statuam erexerat. Cum vero ea potissimum verba elogii, quae ad avi merita spectant, e consilio huius commentationis respicienda sint, malui inscriptioni eundem locum assignare atque monumentis principio aetatis imperatorum ortis.

§ 10 (nr. VII).

Exordium aetatis Caesarianae.

Curator gymnasii. Administrator agonum.

Continuationem magistratuum munerumque ne apud Aphrodisienses quidem raram fuisse, denuo titulus nobis ostendit, de

quo nunc commentabimur. Primo enim aspectu in enumeratione meritorum elocutiones iterationis *διὰ βίου, δίς, τρίς, τετράκις, πολλάκις* (cf. etiam vss. 11/12 *πάσας διὰ παντός*) sub oculos cadunt. Anonymus, qui ratione ceteris tam exoptata ambitionem explere studuit — ut de aliis meritis interim sileam —, gymnasio bis praefuit, ter regimen certaminum obtinuit. Ne hic quidem plus videre possumus de provincia gymnasiarchi; hoc tantum discimus ex exemplo huius viri liberalitate excellentis, aliquem uno et eodem tempore et sacerdotem perpetuum et praefectum gymnasii ad tempus esse potuisse. Aeque res se habebat in agonothesia et stephanephoria, quam ille bis gessit. Nec non cenae, quas populo quater dedit, coniunctae videntur fuisse cum cura ludorum praesidioque in diversis urbis certaminibus.

Certum denique ordinem, secundum quem in singulis deinceps magistratibus fuerit, cognoscere nolet quisquam, quia in compositione elogii palam ratio huius rei habita non est. Utique magistratibus municipalibus functus est ad unum omnibus nec solum domi, sed apud externas etiam civitates, ad quas legatus saepe missus est, prudentiam et amorem patriae opere et consilio praebuisse dicitur. Post obitum autem eius nepos Tiberius Claudius Menander, filius Marionis, de tribu Quirina[1]), auctor fuit, ut avo statua poneretur.

Adnot. 1) Kubitschek: De Romanorum tribuum origine ac propagatione (Abhandlungen d. archaeolog.-epigraph. Seminars zu Wien III [1882]), p. 30, 46, 120. — Imperium Romanum tributim descriptum (1889) p. 247.

Nr. VIII.

Ex schedis Sherardianis edidit A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 513 nr. 2771.

a.

Col. I.

Μύωνα Περίτου τοῦ Ἀδράστου τοῦ Διονυσ[ίου] τοῦ Περίτου τοῦ φύσει Ἀδράστου Μόλωνος Μύων[ος Ἀδ]ράστου, ἄνδρα [ἀπὸ] πατρὸς καὶ προγόνων ἐνδόξων, γένους πρώτου καὶ πολλὰς γυμνασιαρχίας καὶ στεφανηφορίας πεποιηκότος καὶ ἐν πρεσβείαις καὶ ἀρχαῖς καὶ λιτουργίαις πάσαις γεγονό[το]ς, ἀνδρὸς ἀπόγονο[ν] τῶν συνεκτ[ι]κότων τὴν πατρίδα, καὶ αὐτὸν ἀπὸ

παιδὸς ἡλικίας ζήσαντα καλῶς καὶ ἐναρέτως καὶ ἀναλο-
γούντως τῇ τοῦ γένο[υ]ς ἀξίᾳ, ἀσκήσαντα παιδ[είαν?] καὶ ἐ-
ν αἷς ἐφιλοτιμήσατο πρώταις πρεσβείαις τε καὶ ἱερατείᾳ θεοῦ
Νέρβα παρασ[χ]όντα χρήσιμον ἑαυτὸν τῇ πατρίδι, εἰκ[ό]νων
τε ἐνόπλοις ἐπιχρύσοις ἀναθέσεσιν καὶ ἀγαλμάτων
καὶ ἀνδριάντων ἐν ἱεροῖς καὶ δημοσίοις τόπ[ο]ις, ἐχόντων
ἐπιγραφὰς τὰς ἀναλογούσας τῇ τοῦ γένους αὐτοῦ ἀξίᾳ
[τειμηθέντα?]
Εἰς τὴν ἐπικειμένην σορὸν τούτῳ [τῷ] μνημείῳ μηδενὶ
ἄλλ[ῳ] ἐξεῖναι
τεθῆναι ἢ μόνῳ Περίτᾳ τῷ κα[τ]εσκευακότ[ι] τὸ μνημεῖον.
ἐπεὶ ὁ θεὶς
[ἕ]τερόν τινα ἀποτίσ[ε]ι τῷ [ταμείῳ] τὰ δηλούμενα πρόστειμα
ἐν τῇ διαθήκῃ τῇ Περίτου. ζῇ.

b.

Col. II.

Περείτα[ν] Ἀδράστου τοῦ Διονυσ[ίο]υ τοῦ
Περίτου τοῦ φύσει Ἀδράστου τοῦ Μόλω-
νος Μύων[ος], ἄνδρα γένους λαμπροῦ καὶ ἐν-
δόξου καὶ γεγ[ο]νότος ἔν τ[ε] γυμνασιαρχίαις,
στεφανηφορίαις καὶ πρεσβείαις καὶ κατασκευ-
αῖς ἔργων καὶ ἀρχαῖς καὶ λιτουργίαις πάσαις, καὶ
αὐτ[ὸ]ν ἀπὸ πρ[ώ]της ἡλικίας κα[τ]ακολουθο[ῦ]ντα
τῷ τοῦ γένους ἀξιώματι, [ζ]ῶντα φιλοτείμως
πρὸς τὴν πατρίδα, καὶ τὰς ἐνχειρ[ι]σθείσας αὐτῷ
ἀρχὰς καὶ πρεσβείας καὶ ἐγδικίας τετελ[ε]κότα ἴ-
σως καὶ δικαίως καὶ ἀξίως τῶν προγόνων, τελο[υ]μ[έ]-
νης? τε γυμνασιαρχίας καὶ στεφανηφορίας ἑν-
δεκάτης, καὶ αὐτῆς κα[θά]πε[ρ] Μύων ὁ πρόπαπ-
πος αὐτοῦ λαμπρῶς καὶ ἐκτενῶς καὶ ἀξίως τῶν
προγόνων [τ]ὰ καθήκοντα αὐτῷ τῆς γυμνασιαρχίας
καὶ στεφανηφορίας ἐκ τῶν ἰδίων τετελεκότα, ἱερ[α]-
τεύσαντα δὲ καὶ θεοῦ Τίτου.

Litterae volgares; habemus hic epitaphium unius stirpis; in columna priore (vs. 16: *ζῇ*) pater superstes laudes filii morte abrepti canit; columna altera, inscripta post mortem patris, continet filii honores.

Tempus indicatum videmus col. I vs. 9/10 et 16: filius, Myon nomine, sacerdos fuerat Divi.Nervae, ergo post annum p. Chr. n. 98, quo Marcus Cocceius Nerva defunctus est, aliquamdiu etiam vixit, pater autem Peritas nescio quot annis — credo non ita multis — diutius superfuit. Quam ob rem licet conicere primis annis saeculi huius aerae alterius monumento post filii mortem exstructo columnam alteram etiam adpositam esse. Unde rursus efficitur, ut magistratus et munera, quibus haec familia memoriam nominis sui amplificarat, maxima ex parte priori tempori, fortasse annis inter 50 usque ad 100 p. Chr. n. tribuenda sint, quod quidem scire nostra potissimum interest.

Col. I vs. 5/6: *ἀνδρὸς ἀπόγονο[ν] κ. τ. λ.* construo: Myonem, oriundum a viro (patre Perita) qui numerabatur inter conditores urbis (*τῶν συνεκτ[ι]κότων τὴν πατρίδα*). — Supplementa vs. 8 et 13 dubia sunt; item in col. II vs. 11/12; ibidem vs. 13/14 *πρόπαππος* ampliore sensu proavi sumendus est.

§ 11 (nr. VIII a et b).

A medio usque ad exitum saeculi p. Chr. n. primi.

Familia gymnasiarchorum.

Inter gentes nobiliores, quae saeculo p. Chr. n. primo Aphrodisiade floruerunt, excellit auctoritate et opibus stirps Peritae cuiusdam; duabus reliquiis, titulis sepulcralibus[1]) in honorem Peritae filiique eius, Myonis, multis verbis perscriptis, usque ad hunc diem notitia illorum principum municipalium pervenit. Hac igitur in domo, in qua usu receptum erat cives beneficiis devincere, moris etiam erat, ut gymnasiarchia susciperetur.[2]) Nec mirum; namque omnino si quis tum splendorem et claritatem generis praedicare volebat, opus ei erat, talem gloriam eo quoque niti, quod sese appellare potuit filium *γένους .... γεγονότος ἐν γυμνασιαρχίαις* (VIII b, vs. 4) seu *γένους .... πολλὰς γυμνασιαρχίας πεποιηκότος* (VIII a, vs. 4). Administratio gymnasii aeque atque aliorum munerum et magistratuum una de multis conditionibus erat, quibus tunc temporis laudes honoresque venditati atque empti sunt. Istis postulationibus saeculi Peritas optime satisfecit; undecies curam gymnasii enixe atque splendide gessit (VIII b, vs. 12); at hoc non singulare fuit

in familia eius; quinque enim aetatibus ante proavus, nomine Myon, eandem munificentiam ostentarat (VIII b, vs. 14). Quid igitur magis humanum erat quam studium Peritae superandi exempli quod proavus ediderat? Itaque gymnasiarchia undecima peracta continuabat munus, et quamquam tunc sumptibus effusis, quos adhuc minime reformidaverat, modum statuendum putavit, tamen perrexit impensas ad gymnasium sustentandum necessarias suppeditare, et etiamsi plus facere non iam potuit, gymnasiarchi tamen officia explevit (VIII b, vs. 15/16). Cur in gymnasiarchia duodecima et insequentibus coeperit pecuniae temperare et tantum de suo porrigere, quantum exigi quodam modo poterat, facile intellegimus intuentes seriem ceterorum meritorum longissimam; etenim stephanephoriam quoque undecies obtinuit atque postea continuavit plane eadem ratione, quam modo commemoravimus[3]; accedit quod is nunc sacerdos Divi Titi[4]), nunc legatus saepe missus invenitur, modo ecdicus[5]) commoda urbis patriae conciliare cum postulatis procuratoris provinciae studet, modo alia mandata, quae ei deferuntur, subit.

Nec divitias huius familiae facile exhauriri potuisse puto; comperimus enim eam nunquam defuisse, si pecunia ad aedificia publica sive exstruenda sive restituenda opus erat (VIII b, vs. 5/6: *γένους . . . . γεγονότος ἐν . . . . κατασκευαῖς ἔργων*); qui autem tali merito gloriari poterant, iis sublimis appellatio honoris *τῶν συνεκτικότων*[6]) *τὴν πατρίδα* adiudicata est (VIII a, vs. 6).

Etiam Peritae filius, Myon, operam navasse dicitur, ut gloria abavorum integra atque auctior ad posteritatem propagaretur. Is praeter cetera ob optimam cuius particeps fuit educationem laudatur (VIII a, vs. 8), dein legationes commemorantur et sacerdotium Divi Nervae; pluribus rei publicae prodesse morte praematura prohibitus est. Nec tamen maximi honores ei denegati sunt; etenim imagines in scutis inauratis pictae[7]), simulacra, statuae locis sacris profanisve positae et subscriptae elogiis virtutes eius exaggerantibus testificabantur, qua esca divites captari consuevissent.

Restat ut de toto habitu monumenti paucis loquar.

Merita, quae reapse exstare nemo infitiabitur, inani pompa verborum, tolerabili dumtaxat e conlatione aliorum titulorum loquaciorum etiam[8]), iactantur; duas potissimum res cernere

licet. Primum quidem nobilitas generis eiusque laudes ex praeterito tempore in memoriam reducuntur; in lapide illo proavi reviviscunt usque ad membrum familiae septimum. En stemma: Adrastus — Myon — Molon — Adrastus (adoptator Peritas) — Dionysius — Adrastus — Peritas — Myon (VIII a et b). Iam novimus satis superque virtutes horum procerum. Deinde cantilena ad epigonos transire solet; vidimus Peritam *ἀπὸ πρώτης ἡλικίας κατακολουθοῦντα τῷ τοῦ γένους ἀξιώματι, ζῶντα φιλοτείμως πρὸς τὴν πατρίδα* (VIII b, vs. 7—9) et Myonem filium *ἀπὸ παιδὸς ἡλικίας ζήσαντα καλῶς καὶ ἐναρέτως καὶ ἀναλογούντως τῇ τοῦ γένους ἀξίᾳ* (VIII a, vs. 6—8).[9]

Adnot. 1) Vide VIII a, vs. 13—15. Tituli sepulcrales Aphrodisienses sunt: C. I. Gr. nr. 2824 sq. et Addenda; apud Le Bas-Waddington nr. 1630—32, 1634—44. Cf. etiam Bulletin de corr. hell. II (1878) p. 600 nr. 8, ed. Collignon. — Mitt. Inst. Athen. VI (1881) p. 259. — Texier (1862) p. 647 et tab. 30.

2) Sex gymnasiarchi eiusdem familiae comparent in lapide Termessi Pisidiae invento, C. I. Gr. nr. 4363.

3) Num in tit. VIII a et b gymnasiarchia et stephanephoria coniunctae in manibus unius eiusdemque fuerunt? Paene mihi videtur.

4) Post annum 81 p. Chr. n.! Cf. G. Dittenbergeri observationes in: Herm. VII (1873), „Kaiser Hadrians erste Anwesenheit in Rom", p. 213 sq.

5) *ἐγδικίας*. Quaestio, utrum superioribus saeculis aevi Caesariani ecdici a syndicis, *προήγοροι* a *συνηγόροις* distinguendi sint, an hi omnes legati fuerint extraordinaria auctoritate instructi et electi ad certam causam agendam vel defendendam, intricata est; Marquardtius, Röm. Staatsverwaltung I (1881) p. 214, assensus est Waddingtonio (ad Le Bas-Waddington nr. 628 p. 208 et nr. 1175 p. 286), qui putat ecdicos vice rectoris provinciae in singulis oppidis functos esse, syndicos legatos extraoadinarios electos esse. In eandem partem discesserunt Radet et Paris in: Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 153, qui eandem differentiam ad *προηγόρους* et *συνηγόρους* transferunt. Contra I. Menadier, Qua condicione Ephesii usi sint inde ab Asia in formam provinciae redacta, dissert. Berolin. (1880) p. 97 et 98, argumenta protulit, quae — quatenus ad res Aphrodisienses spectant — meo de hac re iudicio arrident. Is exempla quoque, quae ad civitates Cariae pertinent, l. c. contulit. Adde tit. Aphrodis. C. I. Gr. nr. 2795; Le Bas-Waddington nr. 1598 bis. — Tota controversia poscit novam disquisitionem adhibitis testimoniis epigraphicis locorum et temporum omnium.

6) Cf. in titulis Aphrodisiensibus, Le Bas-Waddington nr. 1598 bis, *κτίστην*; in eodem titulo: *τοῦ πολλοῖς καὶ μεγάλοις ἔργοις ἐκ τῶν ἰδίων κοσμήσαντος τὴν πόλιν*; nr. 1604 (Annal. inst. arch. [1852] p. 118, C. I. Gr. nr. 2767): *καθ' ἑαυτὸ[ν] κατὰ ἔ[ρ]γα κοσμήσας τὴν τοῦ γένους [δόξαν]*, similia. Cf. etiam Petersen et Luschan, Reisen (1889), Indices s. v. *κτίστης* p. 240.

7) *ἔνοπλοι ἐπίχρυσοι ἀναθέσεις* aut *ἀναθέσεις εἰκόνων ἐν ὅπλοις ἐπιχρύσοις*, inter has duas structuras optio est, cum in marmore exstet: *εἰκ[ό]νων τε ΕΝΟΠΛΟΙΣ ἐπιχρύσοις ἀναθέσεσιν.* Cf. tit. Aphrod. Le Bas-Waddington nr. 1594: *ἀνατεθῆναί τε αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἐνόπλους ἐπι[χρύσου]ς καὶ ἀγάλματα καὶ ἀνδριάντας ἐν ἱεροῖς ἢ δημοσί[οις τό]ποις, ὡς ἂν αὐτὸς προαιρῆται, ἐφ' ὧν καὶ τὰς ἀναλ[όγους] αὐτ[οῦ] τε εὐγενείᾳ καὶ τῇ περὶ τὸν βίον [κοσμ]ιότητι καὶ σωφροσύνῃ ἐπιγραφὰς γενέσθαι.* — C. I. Gr. Add. nr. 2775 c et d in tit. Aphrod.: *εἰκὼν γραπτὴ ἐν ὅπλοις ἐπιχρύσοις.* — Mitt. Inst. Athen. IX (1884) p. 31 vs. 16, ed. Lolling, titulus insculptus in loco *Ποιμαμηνόν* (fortasse Esky-Manzas), effossus prope a Cyzico: *εἰκ[όνα τελείαν] γραπτὴν ἐν ὅπλῳ ἐπιχρύσῳ.* — Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 116 nr. 9, ed. Kontoleon, Passalis? Cariae, vs. 13: *εἰκόνα γραπτὴν ἐν ἀσπίδι ἐπιχρύσῳ.* — Cf. etiam Bulletin de corr. hell. IX (1886) p. 53, ed. Cousin et Diehl. Praeterea cf. Baumeister, Denkmäler des klassischen Altertums I (1885) p. 715: Bildnisse auf Schilden, imagines clipeatae.

8) Vide adnotationem insequentem.

9) Miramur sane sollertiam Asianorum, qua locutiones semper varias excogitant. Duo exempla istarum laudationum dabo pro multis. Le Bas-Waddington nr. 1604 (= C. I. Gr. nr. 2767, Annal. Inst. arch. 1852 p. 2767) in tit. Aphrod.: *καὶ αὐτὸς ἀπὸ πρώτης [ἡλ]ικίας νεικήσας πάντας ἠθῶν τε σ[ε]μνότητι καὶ ἐναρέτου [βί]ου ἀγω[γ]ῇ κ. τ. λ.* — Alterum specimen egregium suppeditat Nysa Cariae: Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 127, ed. Clerc, vs. 4 sq.: *ἔδοξε Νυσαέων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμωι . . . . . ἐπεὶ Τίτος Αἴλιος Ἀλκιβιάδη[ς] | φιλοστοργότατος πόλει | [εἶ]ς τῶν ἐκ παλαιοτάτου γε[γε|νη]μένων ἀνθρώπων πάντα [δια|μέ]νων ἄριστος ἀεί τι τῇ π[ε|ρὶ τ]ὴν πατρίδα σπουδῇ καὶ [φι|λο]τειμίᾳ προστίθησι καὶ κ[αί|π]ερ αὐτὸς πρὸς [ἑ]αυτὸν ἀ[γω|νι]|ζόμενος τοῖς δευτέροις ὑπε[ρ]|βάλλει τὰ [πρό]τερα καὶ τὴν τοῦ | [δ]ήμου προθυμίαν εἰς αὐτὸν [ἀ]|νανταγώνιστον οὖσαν ἐλά[σσω] | τῆς αὐτοῦ μεγαλοψυχίας ἀ[πο]|δείκνυσιν ἄλλας ἐπ' ἄλλαις [χά|ρ]ιτας καὶ δωρεὰς ἰδίᾳ τε ἑκάστο[ις | κ]αὶ δημοσίᾳ κατὰ φυλὰς καὶ συ[ν]|έδρια καὶ συμμορίας διανέμων | [ὤ]ς πᾶσαν μὲν ἐκκλησίαν, πᾶ|[σ]αν δὲ βουλὴν πάντα δὲ συναθ[ροισ|μὸ]ν ἔχειν τι φιλοτείμημα μέγα | καὶ δῶρον Ἀλκιβιάδου· πρὸς δὲ | τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ὧν εἰ καθ' ἕ[ν] | ἕκαστον ἐπιχειροίη τις διεξε[λ]|θεῖν, οὐκ ἂν ὁ σύμπας αὐτῷ βίος | ἀρκέσειεν κ. τ. λ.*

Nr. XI.

Ex exemplis Sherardianis et (vs. 1—6) ex Spanhemianis ed. A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 514 nr. 2741.

τὸν δεῖνα]
πεντάκι τοῦ Ἀρτεμι-
δώρου Μενίππου, ἄν-
δρα τῶν ἐν τέλει, πα-
τρὸς καὶ προγόνων
ἀρχικῶν καὶ λιτουργῶν,
ἔκγονον Ἀρίστωνος
τρὶς τοῦ Ἀρτεμιδώρου
Μενίπ[π]ου, γυμνασιάρ-
χου, ζήσαντα κοσμί-
ως καὶ αἰδημόνως
πρὸς ὑπόδειγμα
ἀρετῆς ἐπαινεθέν-
τα δὲ καὶ ἐπὶ αἶς ἐ-
ποιήσατο ἀρχαῖς
τε καὶ λε[ι]του[ρ]γίαις,
Αὐρηλία Ἀμμία Ζή-
νωνος [δ] τοῦ Χρυσίπ-
που τὸν ἑαυτῆς υἱ-
όν· ἥτις καὶ ἀνέθη-
κεν τῇ ἱερ[ω]τάτῃ
βουλῇ εἰς αἰωνίους
κλήρους ἀργυρίου
** βτο, καθὼς διὰ τῆς*
γενομένης ὑπὸ
αὐτῆς ἀναθέσε-
ως δηλοῦται.


Iota mutum deest.

Vs. 17. In lapide insculptum erat: *ΝΩΝΟΣΆ ΤΟΥ*. Hunc errorem quadratarii (*Α* pro *Δ*) Boeckhius correxit, *Ζήνωνος δ´ τοῦ κ. τ. λ.* (quattuor maiores idem habent nomen, cf. Reinach, Traité d'épigraphie grecque p. 508 et 509).

Iam e praenomine in versu decimo sexto suspiceris lapidem Marco Aurelio Antonino vetustiorem certe esse non posse. Quod

confirmatur alio titulo, in quo homines iidem inveniuntur: Le Bas-Waddington nr. 1609ᵃ (= Transactions of the Royal Society of Literature [1843] p. 235 et 291): *κατὰ] τὰ ἐ[ψηφισμ]ένα ὑπὸ τ[ῆς β]ουλῆς καὶ τοῦ δήμου Μάρ[κον] Αὐρ. Ἄτταλον Ἀρτεμιδώρου πεντά[κις] τοῦ Μενίππου Ἀττάλου, ἄνδρα τῶν ε[ὖ] γεγονότων, ἀπὸ προγόνων ἀρχικῶν καὶ λειτουργῶν, τελευτήσαντα νέον τὴν ἡλικίαν. τὴν δὲ ἀνάστασιν τοῦ ἀνδριάντος ἐποιήσατο Αὐρ. Ἀμμία ἡ μήτηρ αὐτοῦ, ἀναθεῖσα τῇ κρατίστ[ῃ] βουλῇ εἰς αἰωνίους διανομὰς ἀργύριον, καθὼς διὰ τῆς ἀναθέσεως δηλοῦται.* — Praenominibus Marci Aurelii aetas Antoninorum constat. In priore titulo nomen eius, cui lapis positus est, evanuit, in secundo monumento exstat: Marcus Aurelius Attalus. Lacuna igitur, nisi plus litteris sedecim desideratur, optime expletur sic: *Μάρκον Αὐρ. Ἄτταλον.* Sin autem maius frustum lapidis destructum est, propono plane idem initium, quod in titulo altero est, sic ad quattuor versus distributum, ut duo versus sedecim litteras contineant, duo decem et septem. Id accommodatum sit longitudini versuum in titulo Thesauri; num in publicatione Brittanica aliter distinctum sit, nescio, cum Acta societatis mihi non suppeditarint.

Stemmata quidem inscriptionum inter se discrepare videntur; sed res sic expediri potest: e titulo Corporis Boeckhiani hoc efficitur (adhibito nimirum supplemento proposito):



Ex alio titulo colligimus:

Menippus Attalus
|
Menippus Attalus
|
Menippus Attalus
|
Menippus Attalus
|
Menippus Attalus
|
Artemidorus —uxor— Aurelia Ammia
|
Marcus Aurelius Attalus.

Primo igitur adspectu maiores Marci Aurelii Attali, diverse designati, videntur non iidem esse: nunc Artemidori Menippi, nunc Menippi Attali nuncupantur. At sciendum est nonnumquam plura nomina simul gesta esse, qui usus etiam ab hac gente receptus est. Maiores igitur denominari poterant aut Artemidori Menippi Attali aut Artemidori Menippi (omisso nomine Attali, quem conditorem familiae licet existimare) aut Menippi Attali (sine nomine Artemidori).[1]) Accedunt nimirum praenomina.

Nec dubium est, quin uterque lapis ad Marcum Aurelium Attalum referendus sit; ortus igitur esse videtur temporibus Antoninorum. Nihilo sequius consilium huius commentationis primarium requirit, ut monumentum iis adiungamus, quae ad finem saeculi primi aerae nostrae pertinent. Etenim gymnasiarchus Ariston, de quo in versibus 6—9 dicitur, quippe qui patruus magnus M. Aurelii Attali sit, hoc munus non ita multo post exitum saeculi primi videtur praestitisse.

Adnot. 1) Aphrodisienses, quibus plura nomina sunt, invenies: Le Bas-Waddington nr. 590 (= C. I. Gr. 2758): *Εὔμαχος Ἀθηναγόρου τοῦ Ἀθηναγόρου τοῦ Εὐμάχου Διογένη*[ς], respice collocationem nominum; ibid. *Ἀμ(μ)ιὰς Διονυσίου φύ(σει) δὲ Ἀδράστου τοῦ Μόλωνος Ὀλυμπιάς*. — nr. 1585 (= C. I. Gr. 2747, Annal. Inst. archeol. 1847 p. 110): *Ἀριστοκλ*[ῆ]*ς Ἀρτεμιδώρου Μολοσσός*. — nr. 1587 idem atque nr. 590. — nr. 1596 (= C. I. Gr. 2781 b, Add. p. 1111, Transact. Royal Soc. of Lit. [1843] p. 236): *Λούκιον Κλαύδιον Λ*[ο]*υκίου Ἀντωνίου Κλαυδίου Δομετε*[ί]*νου Διογένους .... υἱὸν Ἄτταλον*. — nr. 1598 (= C. I. Gr. 2797): *Τιβέριον* [*Κλ.*] *Αὐρήλιον, Τιβερίου Κλαυδίου Καπιτωλείνου ὑὸν Κτησίαν*. — nr. 1604 (= Annal. Inst. archeol. [1852] p. 118; C. I. Gr. nr. 2767): *Τίτος Ἀντώνιος Ἀδράστου υἱὸς Κυρείνᾳ Λυσίμαχος Γρύπος*. — nr. 1605[a] (= C. I. Gr. nr. 2816): *Νέαιραν Μενεκλέους Ἀμ-*

μίαν, ibid. *Μητροδώρου τοῦ Μητροδώρου Δημητρίου*; idem nr. 1605[b] (= C. I. Gr. nr. 2779). — nr. 1607 (= C. I. Gr. nr. 2779): *Κλαυδίαν Κλαυδίου Ἀπολλωνίου . . . . θυγατέρα, Τρυφῶσαν Παυλεῖναν.* — nr. 1613 (= C. I. Gr. nr. 2772): *Μύωνα Ἀγελάου φύσει δὲ Εὐσέβους, Μένανδρον.* — nr. 1614: *Μηνογένην Μηνογένους Γλύκωνα Ἀσκ[ληπιάδην].* — nr. 1630 (= C. I. Gr. nr. 2829): *Τ[ειμο]βίον Γλύκωνος.* — nr. 1630 (= Texier, description III, 145, Annal. inst. archeol. [1847] p. 114): *Αἰλία Ἀντωνία Νείκη ἡ καὶ Τατία.* — nr. 1633 (= C. I. Gr. nr. 2836): *Ζήνων ὁ καὶ Ἀριστοκλῆς.* — nr. 1635 (= Annal. inst. archeol. [1847] p. 113): *Ἄρωγος Ἀρ[ώ]γου τοῦ Διογένους τοῦ Μαργάρου Φιλήμων.* — nr. 1637 (= C. I. Gr. nr. 2840): *Ποπλίας Αἰ[λ]ίας Ἀτταλίδος Σαβείνης.* — Praeterea conferendi sunt Indices libelli mei, s. v. „nomina virorum et mulierum".

§ 12 (nr. IX).

Circa exitum primi saeculi p. Chr. n.

De gymnasiarcho.

Ariston quidam, cuius stemma gentile in adnotatione ad titulum nonum adumbravimus, gymnasiarchus fuerat (vs. 6—10); haec nuda rei mentio est. His verbis perquam exilibus ratione tantummodo, qua gymnasiarchia ab illo gesta commemoratur, aliquid — paululum sane — additur. Unus enim de cognatis eius, nepos fratris, nomine M. Aurelius Attalus, qui — nescio quot annis post — iuvenis[1]) mortuus erat, a senatu populoque statuam acceperat, quam mater defuncti, Aurelia Ammia, de sua pecunia posuerat; in elogiis[2]) omnia, quaecunque commendationi et gloriae esse possunt, ex more trito decantantur: cura minutissima atavorum dulce decus praedicatur, omnes afferuntur illi *εὖ γεγονότες, ἀρχικοί, ἐν τέλει ὄντες, λιτουργοί.* Inter magistratus autem et munera, a maioribus suscepta, unum est quod distinctius indicatur: gymnasiarchiam dico, qua Ariston patruus magnus[3]) gloriam generis auxerat. Denuo igitur intellegimus, quanti administratio gymnasii aestimata sit.

Absolvamus nunc reliquam partem documenti epigraphici. Atque M. Aurelius Attalus quidem laudatur propter vitam decore et verecunde actam, quin etiam exemplar virtutis proponitur[4]), magistratus eius muneraque extolluntur. Ammia autem largitione immortalitatem sibi peperit, cum senatui sanctissimo egregioque denarios 2370 dedicasset.[5])

Adnot. 1) „νέον τὴν ἡλικίαν“, sed „ἄνδρα τῶν ἐν τέλει“, cf. etiam vs. 13—15.

2) Argumentum duarum inscriptionum coniungo.

3) Longinqua etiam cognatio cum viris bene meritis tum commendatrix est.

4) Cf. titulos Aphrodisienses insequentes: Le Bas-Waddington nr. 1608 (= C. i. Gr. nr. 2769): ζήσαντα κοσμίως καὶ πρὸς ὑπόδειγμα ἀρετῆς. — nr. 1610. — Bull. de c. hell. IX (1885) p. 77 nr. 7, ed. Paris et Holleaux. — nr. 1599: ζήσαντα βίον ἀρετῇ καὶ καλοκαγαθίᾳ διαφέροντα καὶ πάσας παρασχόμενον τῇ πατρίδι φιλοδόξους καὶ λαμπροτάτας λιτουργίας καὶ τὴν ἰδίαν πρὸς αὐτὴν εὐνουστάτην διάθεσιν, ἀθανάτοις ἑαυτὸν προεντυπωσάμενο[ν] τοῦ βίου ὑπομνήσεσιν, δι' ὧν πλουσίως καὶ φιλοτείμως παρέσχετο τῇ πόλει κ. τ. λ.

5) Pecunia donata destinata erat: εἰς αἰωνίους κλήρους sive εἰς αἰωνίους διανομάς. Res aptissime explicatur inscriptione non ita pridem Aphrodisiade effossa, Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 76 nr. 6 (Paris et Holleaux), vs. 14—29: ἀνα|θέντα δὲ καὶ τῇ | κρατίστῃ βουλῇ | εἰς αἰωνίους κλή|ρους * ᾳχο, γει|νομένου τοῦ | κλήρου πρὸς τῷ ἀνδριάντι αὐ|τοῦ, ἑκάστου ἔ|τους μηνὶ ι', ὀνο|μάτων σ', λαμβά|νοντος ἑκάσ[του] | τῶν λαχόν[των *] | κατθὰ κα[ὶ διὰ] | τῆς ἀνα[θέσε]ως δη-λ[οῦται . . . . . . lapis mutilus est. Denarii igitur 1670 singulis annis certa die inter ducentos cives sorte electos distribuebantur atque id quidem ante statuam largitoris; unicuique sex denarii obveniebant, unde denarii 1200 efficiuntur. Restant denarii 470, qui quemadmodum consumpti sint, ignoramus, cum finis inscriptionis desit. Similes divisiones habemus in titulis Aphrodisiensibus: C. I. Gr. nr. 2775; C. I. Gr. nr. 2817. — Le Bas-Waddington nr. 1603 (= Annal. inst. arch. [1852] p. 132, Henzen): ἀναθέντας εἰς δια[δόσεις καὶ σ]τεφανώσεις τῇ τε βουλῇ [καὶ ταῖ]ς φυλαῖς καὶ προκλήροις [πολίταις ἀ]πὸ * μυρίων χειλίων. — nr. 1611. — Necnon analoga ostendunt tituli Tralliani: Papers of the American school I (1882—83), 1885, ed. Sterrett, p. 98 nr. V: ἀναθέντα τῇ κρατί(στῃ) Κλ(αυδίᾳ) βουλῇ εἰς νομὴν ἐπὶ τῇ γενεθλίῳ ἡμέρᾳ, ἥτις ἐστὶν μη(νὸς) Περειτίου ἐνάτη, δηνάρια γτλ[γ']. ibid. p. 108 nr. 10: ἀναθέντα καὶ τῇ Κλαυδίᾳ βουλῇ (ἀ)ρ[γυ]ρ[ί]ου ὥστε λαμβάνειν καθ' ἕκ[αστ]ον [ἔ]τος ἐνθάδε (scilicet ante statuam) ἕκαστον βου[λ]ευ[τὴ]ν [πρώτῃ ἐνιαυ]τοῦ ἡμέρᾳ δηνάρια διακόσια πεντήκοντα. — Denique laudo inscriptionem, repertam in oppido „Meder“, prope a Thyatiris: Bull. de corr. hell. X (1886) p. 420 nr. 29, ed. Clerc, vs. 7: καταλείψαντα τ[ῇ] ἱερ[ω]τά[τῃ βουλῇ . . .] πρὸς τὸ δίδοσθαι ἀπ[ὸ τού]των ἑκάστῳ βουλευτῇ παραγενομένῳ ἐν τῇ γενεθλίῳ τ . . . . . Αἰλιανοῦ καθ' ἔτος.

Nr. X.

Ex exemplis Sherardianis et Spanhemianis optimas scripturas delegit A. Boeckhius, C. I. Gr. II p. 515 nr. 2777.

Α . . . .
. . τεῖνον Διογέ-
νην, Ἀσίας ἀρχ-
ιερῆ, νομοθέ-
την γυμνασί-
αρχον δι' αἰῶνος,
τὸν εὐεργέτην
ἡ πατρίς.
ἐπιμεληθέν-
τος τῆς ἀναστά-
σεως τοῦ ἀνδρι-
άντος Ἡφαιστί-
ωνος β̄ τοῦ Δη-
μητρίου, τοῦ
πρωτολόγου ἄρ-
χοντος.

In formis litterarum nihil memorabile. In versibus 1 et 2 nomina interciderunt; suppleo lacunam in editione Boeckhii titulo subsequenti: Le Bas-Waddington nr. 1596: *Λούκιον Κλαύδιον, Λ[ο]υκίου Ἀντωνίου Κλαυδίου Δομετε[ί]νου Διογένους, Ἀσί[α]ς ἀρχιερέως καὶ νομοθέτου υἱόν, Ἄτταλον, συνκλητικόν, τὸν εὐεργέτην τῆς πατρίδος.* Ergo in initio lapidis restituendum est: *Λούκιον Ἀντώνιον Κλαύδιον Δομε]τεῖνον κ. τ. λ.*

Titulum priorem aetati Domitiani imperatoris tribuo seu annis proximis.

§ 13 (nr. X).

Sub finem saeculi p. Chr. n. primi.

Gymnasiarchia aeterna.

In inscriptionibus, de quibus postremo diximus, necessarium fuit laudationibus otiosis ac paene ridiculis aures adhibere; titulus propositus excellit absentia ambagum omnium. — Diogenes igitur, qui pleno nomine appellatus est Lucius Antonius Claudius Domitianus Diogenes, fuit gymnasiarchus *δι' αἰῶνος* (vs. 5/6). Hoc

est unum eiusmodi exemplum, quod adhuc Aphrodisiade inventum est. Praeterea in lapide XX b (huius collectionis) scriptum videmus: *ἀγωνοθέτην δι' „αἰῶνος"*, in marmore nr. XXIX: *ἀγωνοθέτην διὰ „βίου"*. — Hic percontetur quispiam iure ac merito, ecquid intersit inter duas has elocutiones. Mihi quidem vix dubium est, quin discrimen magnum sit. Etenim in titulo nr. XX b is qui agonotheta vocatur *δι' αἰῶνος*, regimen istorum tenet certaminum, quae donatione testamentaria in aeternum condita erant; adde exempla illa momenti gravissimi, in quibus *αἰώνιος γυμνασιαρχία* nuncupatur[1]), accipe denique aetate Antoninorum gymnasium Aphrodisiade florens in titulo nr. XIV, vs. 24, cognominari Diogenianum. Quae argumenta nonne animum inclinant, ut censeas inter munus per vitae tempus (*διὰ βίου*) ab aliquo propriis sumptibus gestum et tale distinguendum esse, in quo, cum munus capite ab aliquo civi munificentissimo donato ad perpetuitatem (*δι' αἰῶνος*) fundatum sit, administratori annuo nihil opus est de sua re familiari praestare? *Γυμνασίαρχος* vero *δι' αἰῶνος* et is appellari potest, qui ipse largitionem fecit, veluti hoc loco Diogenes Aphrodisiensis, et is, qui curator tantummodo est eius muneris, cuius impensae ex facultatibus liberalitate tributis persolvuntur. Institutum autem ab Diogene dono datum in honorem largitoris gymnasium Diogenianum nominatum est, sicut Cibyratae habebant *κτήσεις γυμνασιαρχικὰς Φιλαγριανάς*.

Nimirum nihil obstabat, si quis postea, quamquam pecunia legata praesto erat, propriis sumptibus gymnasiarchiam suscipere volebat, qua de re in lege Philagri (B, vs. 4 sq.) aliquid cautum videmus esse. Accuratiora de hoc beneficio Diogenis nescimus. Qua usus sit auctoritate et opulentia, docent eminentes honores, quibus functus est; namque pontifex Asiae summus et lator legum fuit. Cives patriae urbis, remunerantes Diogenem *„τὸν εὐεργέτην"* (vs. 7), statuam decreverunt, quam Hephaestion, cuius pater et avus nomen Demetrii habebant, cum archon primus[2]) fuit, erigendam curavit.

Supra summum sacerdotium Asiae commemoratum est. Ratione finium quos dissertationi meae posui adhibita satis habeo hoc loco viros doctissimos laudasse, qui de sacerdotibus Asiae provinciae et de Asiarcha disputaverunt:

Marquardt, Ephemeris epigraphica I p. 208 sq.: „de provinciarum Romanarum conciliis et sacerdotibus"; Röm. Staatsverwaltung I² p. 512 sq. — Waddington ad Le Bas, inscriptions d'Asie mineure, comment. p. 244—246 ad nr. 885. — Perrot, de Galatia p. 150 sq. — Mommseni animadversiones in Addendis ad: Benndorf et Niemann, Reisen in Lycien und Carien (1884) p. 157. — Mommen, hist. Rom. V (1885) p. 318—320. — Pallu de Lessert, l'Afrique Romaine (1884) p. 20 sq. — Ramsay in: Papers of the American school I (1882—83), 1885, p. 103 sq.; p. 110 nr. XI. — Lightfoot, Ignatius and Polycarp, Lond. 1885. — Monceaux, de communi Asiae provinciae (1885) p. 42 sq. — Guiraud, les assemblées provinciales dans l'empire Romain (1887) p. 82 sq. — Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 151, p. 404 nr. 8, p. 412 nr. 16; XI (1887) p. 101 nr. 24, p. 216 nr. 8, p. 299 nr. 7; XII (1888) p. 11 nr. 2.

Nuperrime: Buechner, de neocoria, Gissae 1888, p. 116—132. — O. Hirschfeld in: Sitzungsber. d. pr. Akad. d. Wissensch. (1888) p. 852: „Zur Geschichte des römischen Kaiserkultus". — G. Hirschfeld, ibid. p. 889.

Adnot. 1) Ante omnia dignum est quod legatur magnum documentum Cibyraticum, quod legem Philagri cuiusdam de gymnasiarchia aeterna constituenda continet. Addidi id ad hunc locum:

A.: Sprattius et Forbesius, Itin. Lyc. II p. 286 sq.; C. I. Gr. nr. 4380 a in Addendis p. 1167. — B. et C.: ex schedis Falceneri edidit Henzen: Annal. inst. arch. (1852) p. 174/75; Le Bas et Waddington, inscriptions d'Asie mineure (1870) p. 309/10 nr. 1213, et in comment. p. 299/300 ad nr. 1213. — Optimum exemplum inscriptionis A. debemus Luschan, cuius apographum promulgatum est in: Petersen et Luschan, Reisen in Lykien, Milyas und Kibyratis (1889) p. 186 nr. 242 a, nr. 242:

A.

Κιβυ]ρατῶν δῆμος, ἡ Σ[ίμου?] Πανκράτου φυλὴ ἐτείμησεν
Κοΐντον Οὐηρ[άνιον Τρωίλ]ου υἱὸν Κλουστουμεῖνα
Φίλαγρον [ἱερέα Ἀρ]ετῆς γυμνασίαρχον ἐπὶ ἔτη
δεκαδύο ἃ [ἐγυμνασ]ιάρχησεν αὐτὸς ζῶν,
ἐχαρίσατο δὲ τῇ πόλει καὶ εἰς τὴν μετὰ ταῦτα γυμνασι-
αρχίαν τὴν αἰώνιον μυριάδας δραχμῶν Ῥοδίων τεσ-
σαράκοντα, ὡς γυμνασιαρχεῖσθαι ἐκ τῶν τόκων
τὰς δὲ τεσσαράκοντα μυριάδας [μ]ένειν δανειζομέ-
νας τὸν πάντα χρόνον ἡ δὲ αἰώνιος γυμνασιαρ-
χία ἤρξατο ἔτους ἐνάτου τεσσαρακοστοῦ τῆς
κτίσεως ζῶντος τοῦ Φιλάγρου

τοῦ Ῥωμαϊκοῦ [δ]ηναρίου ἰσχύοντος ἀσσάρια δεκαέξ ἡ Ῥοδία δραχμὴ τούτου τοῦ δηναρίου ἰσχύει ἐν Κιβύρᾳ ἀσσάρια δέκα, ἐν ᾗ δραχμῇ Ῥοδίᾳ δέδοται ἡ δωρεά.

B.

. . . .

ταῖς [τ]ειμαῖ[ς τῶ]ν Σε[β]αστῶν καὶ τ[ῆ]ς συνκ[λήτου, ὥστε μένει[ν] τὴν γυμνασιαρχίαν ἐ[ν τῇ πό[λ]ει [δ]ι' αἰῶ[νο]ς, καθὼς ἔτα[ξ]εν Κόϊντ[ος Οὐηρά[ν]ιος [Φ]ίλαγρος. ἐὰν δέ τινες γυμνασιαρχῆσα[ι θ]ελήσωσιν ἐκ τῶ[ν] ἰδίων ἀναλ[ωμάτων, τὴν πρόσοδον τῶν τεσσαράκοντα μυ[ρ]ιάδων πρασσέτω [ὁ] δῆμος μετὰ τῶν γυμνασιάρχ[ω]ν, καὶ ἐ[ξ] αὐτῆς ἀ[γ]οραζέτω κτήσεις σειτο[φ]όρους, εἰς ἄλλο δὲ μ[ηδὲν [ἐ]ξ[έστ]ω καταχρῆσθαι τῇ προσόδ[ῳ [τα]ύτ[ῃ] ὡς [πε]ρὶ τούτου τῷ αὐτοκράτ[ορι καὶ τῇ συνκλήτῳ [λ]ό[γ]ον ἀπο[δ]οθ[η]σομέ[νου [τὰς δ]ὲ [κτή]σεις κ[α]λεῖσ[θ]αι ταύτας γυμνασ[ιαρ]χικὰς Φι[λαγ]ρ[ι]ανάς.

. . . .

C.

Ἐά[ν] τινες τ[ὴν] αἰώνιον [γ]υμν[ασ]ια[ρχίαν θε]λ[ή]σωσιν [κα]τ[α]λ[ύει[ν] καὶ [τ]ὰ χρήμα[τ]α αὐτῆς ἀλ[λοτρι]οῦν ἐ[ναγ]εῖς ἔσ[τωσα]ν καὶ ἀ[λιτή]ριοι τῶν τε Σεβαστῶν καὶ [τῆς] συνκλήτου καὶ τῆς πα[τρ]ίδος καὶ τῶν ἐν ταύτῃ ἱερῶν καὶ θεῶν καὶ [αὐ]το[ὶ] καὶ γενεαὶ [α]ὐτῶ[ν]. ὀμνύτωσαν δὲ καθ' ἕκαστον ἐ[ν]ια[υ]τὸ[ν] οἱ ἔ[φ]η[β]οι ἐν τῷ γυμνασίῳ τὸν πάτριον ὅρ[κ]ον συνφυλά[ξ]ειν τὴν [γ]υμνασιαρχίαν καὶ πάντας τοὺς [π]όρους αὐτῆς. ὀμνύτω δὲ καὶ ὁ δῆμος ἐν τῇ τῶν κατευχῶν ἡμέρᾳ διὰ τῶν ἀ[ρ]χόντων καὶ τοῦ γραμματέ[ω]ς τοῦ δήμου [ὡ]ς ὑπὲρ σ[ωτηριωδεστάτου πρά[γ]ματος τηρήσειν τὴν γυμνασιαρχίαν ταύτην καὶ τὰ χρήματα αὐτῆς. ἐὰν δέ ποτε καθ' ὁνδηποτεοῦν τ[ρό]πον καταλυθῇ ἡ γυμνασιαρχία, ὑπεύ[θ]υνος ἔστω ὁ δῆμος τῷ αὐτοκράτορι καὶ τῇ συνκλήτῳ εἰς τὸ ἀ[π]οκαταστῆσαι τὴν γυμνασιαρχίαν παρ' ἑ[α]υ[τ]οῦ καὶ τοὺς πόρους αὐτῆς.

Praeterea gymnasiarchia aeterna inprimis commemoratur in titulis Spartanis, quorum ex numero affero:

C. I. Gr. nr. 1365: *ἡ πόλις Σέκ.* (Sextum) *Πομ(πήϊον) Σπάταλον Ἀγαθοκλέους φιλοκαίσαρα καὶ φιλόπατριν τὸν δὶς γυμνασίαρχον καὶ πατρονόμον καὶ αἰώνιον γυμνασίαρχον τῆς τε ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν αὐτοῦ πολειτεύμασιν μεγαλοπρεπείας καὶ τῆς ἐπὶ τῇ δευτέρᾳ γυμνασιαρχίᾳ ἣν αὐτόθεν ὑπέστη, ἀσυνκρίτου καὶ ἀνυπερβλήτου προνοίας τε καὶ φιλοτειμίας, προσδεξαμένης τὸ ἀνάλωμα τῆς σεμνοτάτης καὶ πάντα πρώτης γυναικὸς αὐτοῦ Αὐρηλίας Ξενῶς τῆς Εὐτύχου.* **Duplex**

igitur gymnasiarchia diserte distincta est in hoc lapide: Spatalus enim dicitur *δὶς γυμνασίαρχος* et deinde *αἰώνιος γυμνασίαρχος*. — C. I. Gr. nr. 1353: *ἡ πόλις Μ. Αὐρήλιον Ἀριστοκράτη Δαμαινέτου, ἱερέα κατὰ γένος ἀπὸ Ἡρακλέος μη', ἀπὸ Διοσκούρων μδ', αἰώνιον γυμνασίαρχον μετὰ Διονυσίου καὶ Ἀριστοτέλους, καὶ πολίτην καὶ γυμνασίαρχον ἀσύνκριτον, προσδεξαμένων τὸ ἀνάλωμα τῶν προστάντων ἐν τῷ γυμνασίῳ φίλων Μεμμίου Εὐτύχου τοῦ Εὐτύχου, Μ. Αὐρηλίου Ἀρέτωνος τοῦ Ἀρέτωνος, Ἀβιδίου ... τοῦ Εὐτυχᾶ*. — C. I. Gr. nr. 1349: *ἡ πόλις Τιβ. Κλα(ύδιον) Ἀριστοτέλ[η] φιλοκαίσαρα καὶ φιλόπατριν, αἰώνιον ἀριστοπολειτευτ[ὴν καὶ αἰ]ώνιον γυμνασί[αρχ]ον μετὰ Διονυσίου κ. τ. λ.* Idem igitur Aristoteles in aeterna gymnasiarchia est, qui in lapide superiore coniunctus cum Dionysio et Aristocrate gymnasiarchus aeternus fuerat. — C. I. Gr. nr. 1326: *ἡ πόλις ἡ Λακεδ[αι]μονίων Κλαύδιο[ν] Κασσιανὸν τὸν κράτιστον ὑπατικ[ὸν] εὐνοίας χάριν, [προσ]δεξαμένου [τ]ὸ [ἀν]άλ[ω]μα Μ. Α[ἰλ]ίου Α[ε]ον[τᾶ] φιλοκαίσαρος καὶ φ[ι]λοπάτριδος, α[ἰ]ωνίο[υ] γυμνασιάρχου, [τ]αῦ πρέσβεως τῶν ἐφόρων*. — C. I. Gr. nr. 1379: *ἡ πόλις Μάρ. Αὐρ. Νικ[ή]φορον Φιλωνίδα, φιλ[ο]καίσαρα καὶ φιλ[ό]πατριν, αἰώνιον ἀγορανόμον, αἰώνιον γυμνασίαρχον, τῆς ἐν τοῖς πολιτεύμασ[ι]ν φιλ[ο]τειμίας ἕνεκα, προσδεξαμένης τὸ ἀνάλωμα τῆς ἀξιολογ[ω]τάτης γυναικὸς αὐτοῦ Αὐρ. [Ἀ]φροδεισί[α]ς τῆς Νοήμονος*. — In titulis Spartanis inveniuntur etiam: *αἰώνιος ἀγορανόμος*, C. I. Gr. nr. 1363, 1364, 1375; *αἰώνιος ἱππάρχας*, C. I. Gr. nr. 1341; *αἰώνιος ἀριστο πολειτευτής*, C. I. Gr. nr. 1349, 1349, 1375. In lapide Gythii reperto commemoratur *αἰώνιος ἀγωνοθέτης*, C. I. Gr. nr. 1392. — In inscriptione Cyrenaica vidimus feminam in aeterna gymnasiarchia fuisse, C. I. Gr. nr. 5132: *Κλα[υ]δίαν Ἀράταν ... ματέρα Κλ(αυδίας) Ὀλυμπιάδος, αἰωνίω γυμνασιαρχίδος*. — In titulis duobus Mytilenaeis, qui referendi sunt ad Agrippinam Augustam, legimus: *Τὰν γύναικα τῶ Σεβάστω, νέ|αν θέαν, (ἀ) βόλλα καὶ ὁ δᾶμος | Σεβάσταν γυμνασίαρχον | δι' αἴωνος Ἰουλίαν Ἀγριππίναν* (Sammlung der griechischen Dialektinschriften I [1884] p. 91 nr. 228, ed. Bechtel), ibidem p. 91 nr. 229: *ὁ δᾶμος θέαν .... | .... Αἴολιν καρπόφορον Ἀγριπ|πεῖναν, τὰν γυμνασίαρχον ἐς | αἴωνα*. Praeterea cf. alium titulum Mytilenaeum, l. c. p. 97 nr. 253 = C. I. Gr. nr. 2192: *Ὁ δᾶμος | Ἀρχέπολιν Καρπό|φορον Φιλιππίναν, | τὰν γυμνασί|αρχον ἐς τὸν αἴωνα*. — In titulo, qui ad Heracleam Caricam pertinet, legitur: *Ἀ]πολλώ[ν]ιον Τυ|[δ]έως, γ[υμ]νασί|[αρ]χον κ[αὶ π]ρύτανιν, | [κ]αὶ στε[φα]νηφόρον | [κ]αὶ ἀγω[νο]θέτην | δι' αἰῶν[ος] κ. τ. λ.* (Bulletin de corr. hell. IX [1885] p. 339 nr. 22, ed. Paris et Holleaux). — Necnon omitto hoc loco titulum Nysaeum in memoriam reducere, in quo quis praebet *τῇ πόλει τὴν στεφανηφορίαν „ἀθάνατον“* et *„ἄπαυστον“*, cf. supra p. 11 adn. 2.

2) vs. 15: *πρωτολόγου ἄρχοντος*, vide Indices. — Praeterea: Le Bas-Waddington nr. 1596 bis: *τὸν ἀξιολογώτατον πρῶτον ἄρχοντα*; nr. 1604 (Annal. inst. archeol. [1852] p. 118, C. I. Gr. nr. 2767): *γνώμη ἀρχόντων*; nr. 1623 (Transact. R. S. L. [1843] p. 289): quinque archontes

principatu Septimii Severi statuam Caracallae ponendam curant; nr. 1642. — Iam in epistola Antonii triumviri, quae referenda est ad annos u. c. 715/19, invenis: *Πλαρασέων καὶ Ἀφροδεισιέων ἄρχουσιν, βουλῇ, δήμῳ χαίρειν*, C. I. Gr. nr. 2737ᵃ. — Similia praebent tituli inventi: Nysae, Bulletin de corr. hell. VII (1883) p. 372 nr. 15, ed. Ramsay, vs. 20: *πρῶτον ἄρχοντα.* — Apolloniae (Cariae), Bull. de c. h. IX (1885) p. 344 nr. 26, ed. Paris et Holleaux: *πρώτῳ ἄρχο[ντι τὸ] β'*; ibidem p. 345 nr. 28, vs. 8 sq.: *ὁ πρῶτος ἄρχων τὸ β' καὶ* (sequuntur quattuor nomina) *οἱ συνάρχοντες αὐτοῦ.* — Sardibus: Mitteil. Instit. Athen. VI (1881) p. 386 nr. 9, ed. Papadopoulos Kerameus. — Thyatirae: Bull. de c. h. X (1886) p. 409 nr. 13 vs. 9, ed. Clerc. — Larissae (Thessaliae): Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 437 nr. 3, ed. Durrbach: *τοῦ ταγεύοντος [την πρώ[την χώραν.* In oppidis Thessaliae quinque *ταγοί* rebus publicis administrandis praefuerunt, qui ita ut Aphrodisiade recreari poterant. — Cf. denique Indices ad C. I. Gr. s. v. *πρῶτος ἄρχων*, p. 39.

Nr. XI.

C. I. Gr. II p. 515 nr. 2778, ed. A. Boeckhius.

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτείμ[η]σαν καὶ
μετ[η]λλαχότα ταῖς μεγίστα[ις] καὶ
καλλίσταις τειμαῖς Διογένην Μενά-
νδρου τοῦ Διογένου[ς], ἱερέα [γε]νόμενον θε-
ᾶς Ἀφροδείτης καὶ θεῶν Σεβαστῶν ἀμε-
ριμνίας, γυμνασιαρχήσαντα καὶ στεφα-
νηφορήσαντα κα[ὶ ἱ]ερ[ατ]εύσαντα τῶν Σεβασ-
τῶν ὑπερβαλλούσαις φιλοδοξίαις καὶ
πανδήμοις ἑστιάσ[ε]σιν, καὶ τὰς ἀρχὰς τε-
λέσαντα φιλ[ο]δόξ[ω]ς καὶ τὰ λοιπὰ ε[ὐ]σε-
β[ῶ]ς.

Litterae vulgares, praeter *φ ρ χ* quae apicibus ornatae sunt. — Tempus sic determino: Pater huius Diogenis (vs. 3) sacerdos maximus Tiberii Claudii Germanici fuerat: Le Bas-Waddington nr. 1621 (C. I. Gr. nr. 2739): *Τιβέριον Κλαύδιον Καίσαρα [Σεβ]αστὸν Γερμανικὸν Αὐτοκράτορα [ὁ] δῆμος καὶ Μένανδρος Διογένους [τ]οῦ Ζήνωνος ἀρχιερεὺς αὐτοῦ καὶ Διονύσου.* Cum honores, qui filio eius, Menandri, tribuuntur, postumi sint, titulum incisum esse duco primis annis incipientis saeculi secundi; munera autem sustinuit annis antecedentibus.

vs. 8 Boeckhius mavult φιλοδοσίαις scribere; at scripturam traditam φιλοδοξίαις mutare, supervacaneum est, cum haud raro haec elocutio in titulis redeat[1]); φιλοδοξία ampliorem notionem habet, quam φιλοδοσία „dandi propensitas“. — vs. 6 Boeckhius scripsit ἀμεριμνίας, quod verbum quid sibi velit, parum intellego. Nonne ἀμεριμνῶς in lapide insculptum fuit? id quod, aeque ut ἀπαρατηρήτως de effusa liberalitate apte dici potest.

Num quid in fine lapidis desit, indicatum non est.

Adnot. 1) Le Bas-Waddington, tit. Aphrodis. nr. 1611: ἐπεὶ ὁ δεῖνα ἐκτενεστάτας μὲν καὶ λαμπροτάτας φιλοδοξίας κα[ὶ διαδόσεις] καὶ λειτουργίας ἐποήσατο εἰς τὴν πόλιν ἡμῶν κ. τ. λ.

§ 14 (nr. XI).

Saeculo primo exeunte.

Gymnasiarchia. Convivia populi.

Etiam atque etiam exemplis confirmatum videmus, civitatem curam gymnasii viris generis nobilitate florentibus commisisse. Diogenes igitur, filius Menandri, nepos Diogenis, pronepos Zenonis, qui cuncti in rebus municipalibus gerendis nomen sibi pepererant, cursum honorum a functione gymnasiarchiae incohavit, perrexit cum stephanephorus factus et flamen Veneris[1]) ac Divorum Augustorum[2]) inauguratus est. Inprimis tum, cum in sacerdotio imperatorum fuit, apparatus magnificos ostendisse traditur; populum enim universum ad epulas semel iterumque invitavit, quas haud scio an festis diebus certaminum ad cultum Augustorum sine dubio pertinentium praebuerit.

Subita vero morte exstinctus est, quam ob rem senatus populusque festinant „honoribus maximis pulcherrimisque“, quibus vivum ornare non iam potuerant, mortuum prosequi.[3])

Adnot. 1) In litteris, quas Decius imperator eiusque filius Herennius Etruscus anno p. Chr. n. 251 dederunt, Venerem appellatam invenimus: τὴν ἐπώνυμον τῆς πόλεως θεόν, C. I. Gr. nr. 2743 (= Le Bas-Waddington nr. 1624). — De templo Veneris cf. Texier, Asie mineure (1862) p. 644 cap. XIII et tab. XIX. — Sacerdotes Veneris fuerunt complures, quorum princeps fuit sacerdos maximus, Le Bas-Waddington nr. 1598 bis: ἀρχιερέως καὶ ἱερέως τῆς Ἀφροδίτης; item dea complures neopoeos habuit: Le Bas-Waddington nr. 1596 bis, nr. 589, 590, 591 (C. I. Gr. nr. 2748), nr. 1585 (C. I. Gr. nr. 2747, Annal. inst. arch. [1847]

p. 110), nr. 1587, nr. 1611; Mitteil. Inst. Athen. V (1880) p. 341 vs. 12, ed. Kerameus.

2) Divi Augusti iuxta Venerem nominantur, Le Bas-Waddington nr. 1585: *Ἀφροδείτῃ, θεοῖς Σεβαστοῖς κ. τ. λ.*

3) Similia in Indicibus exhibentur; adde: Le Bas-Waddington nr. 1599 (Annal. inst. arch. [1832] p. 126). — nr. 1605 a (C. I. Gr. nr. 2816): *[ἡ β. καὶ ὁ δ. ἐτείμησεν κ]αὶ μετηλ[λ]α[κχυῖαν] ταῖς ἀξίαις καὶ πρεπούσαις τειμαῖς.* — nr. 1607 (C. I. Gr. nr. 2819). — nr. 1605 b (C. I. Gr. nr. 2779). — nr. 1604 (Annal. 1852 p. 118, C. I. Gr. nr. 2767): *τετειμῆσθαι καὶ μετηλλαχχότα .... ἄνδρα πάσης ἄξιον τειμῆς, τα[ῖ]ς καλλίσταις τειμαῖς, ἐστεφανῶσθαι δὲ αὐτὸν κατὰ ἀξίαν τῷ τῆς ἀρετῆς στεφάνῳ.*

Nr. XII.

Le Bas et Waddington, inscriptions d'Asie mineure (1870) p. 393 nr. 1601 A, et in comment. p. 373 ad nr. 1601 A.

ἡ βουλ]ὴ καὶ ὁ δ[ῆμος καὶ ἡ γε]-
ρουσία καὶ οἱ νέοι ἐτεί[μησαν
μετηλλαχχότα τ[αῖς καλ]-
λίσταις καὶ πρεπούσαι[ς τει]-
μαῖς Τίτον Φλαύϊον Τίτου Φλ[αυ-
ΐου Μενίππου υἱόν, Κυρείνᾳ,
Ἀπολλινάριον, ἄνδρα γένους
πρώτου, πατρὸς καὶ προγόνων
γυμνασιάρχων καὶ στεφανηφό-
ρων γεγονότων, ἔν τε ἀρχαῖς
καὶ λειτουργίαις καὶ ἀγωνοθε-
σίαις καὶ ἐπιδόσεσι πάσαις
εὐεργετηκότων, καὶ συνεκτ[ι-
κότων τὴν πατρίδα, καὶ αὐ-
τὸν ἀπὸ πρώτης ἡλικίας γυ-
μνασιαρχήσαντα πολυτελῶ[ς
καὶ πάντα ποιήσαντα κα[λῶς.

Litterae vulgares; Lebasius, ad quem Waddingtonius apographum a se confectum miserat, titulum errore cum C. I. Gr. nr. 2796 confuderat. Praenomina patris filiique aetatem lapidis ostendunt; munera filii puto ad primos saeculi secundi annos referenda esse.

§ 15 (nr. XII).

Extremo saeculo primo, ineunte secundo p. Chr. n.

a) Hereditaria gymnasiarchia.
b) Puer curator gymnasii.

Ex hoc capite discemus prosapiam totam in gymnasiarchia fuisse: abavos, patrem, filium, nepotem. Namque munus illud, sicut a maioribus ad Titum Flavium Menippum propagatum erat, ita ab hoc Titus Flavius Apollinarius hereditate acceperat prima pueritia, atque is etiam inde a puero usque ad immaturum vitae finem obtinuerat. Hoc fuerat *γένος* vere *γυμνασιαρχικόν*, uti si non Aphrodisiade, at certe aliis locis breviter et astricte dici solebat. In titulis Aphrodisiensibus legimus: *πατρὸς καὶ προγόνων γυμνασιάρχων γεγονότων* vel *γένους γεγονότος ἐν γυμνασιαρχίαις* aut *πολλὰς γυμνασιαρχίας πεποιηκότος*; apud Coos[1]) sermonis usus erat, verbi causa: *Αὐρήλιον Πόπλιον, γυμνασιαρχικοῦ* [per analogiam: (*πατρὸς*) *ὑπατικοῦ, συγκλητικοῦ*]; apud Attalenses Pamphyliae[2]) mentio fit, vs. 3 sq.: *γένους ἱερα[τικ]οῦ γυμνασιαρχικοῦ ἀρχι[ερατι]κοῦ*. In titulo Termessi Pisidiae invento exstat: *γένους ὄντα ἀρχιερατικοῦ καὶ γυμνασιαρχικοῦ κ. τ. λ.*, C. I. Gr. nr. 4363 vs. 11 sq.

Quod si in locum patris filius adulescentulus successit, id mirandum videtur esse tantummodo in comparatione eorum gymnasiarchorum, quos adhuc cognitos habemus. Etenim hi cives natu semper maiores fuerant, pueri hac dignitate praediti nondum commemorati sunt. Atqui insolita res facile intellegitur, si reputamus, omnium primam conditionem, qua quis rector gymnasii factus sit, in divitiis candidati sitam fuisse; quo quis promptior erat impensas ad alendam et exornandam rem necessarias tolerare, eo magis acceptus fuit sive maior sive minor erat aetate[3]); ut breviter dicam: plurima offerenti munus addicitur. Talem autem naturam gymnasiarchiae propriam fuisse luculentissime apparet vocula *πολυτελῶς* in vs. 16 ad *γυμνασιαρχήσαντα* adposita. Cernimus igitur gymnasiarchiam unum inter exoptatissima tam quam sumptuosissima munera fuisse, non ad magistratus[4]) proprie dictos pertinuisse. Atque haec quidem habeo, quod de ea quidem re ex argumento tituli propositi petam. Alia restant.

c) Agonothesia.

Beneficia, quae familia supra commemorata in rem publicam contulit, nondum omnia enumeravi. Paucis, quia plus memoriae proditum non est, dicendum est de agonothesia identidem ab his hominibus facta. Quam non minus liturgiam habendam esse, e collocatione verborum vs. 10 sq. colligo. Cuius in honorem certamina ea acta sint, utrum agonothetae sumptus omnes an partem eorum toleraverint, num largitores etiam arbitri fuerint, de his quaestionibus inscriptio nihil tradit.

Quodsi postremo addo ambitiosos illos homines Aphrodisienses stephanephoriam gessisse, urbi aedificiis ornandae consuluisse, nullo denique nomine non liberales fuisse, quivis perspiciet, cur senatus populusque, gerusia et iuvenes filium Menippi demortuum remunerati sint. Namque in beneficentia tam late patente opinor utrumque collegium et gerusiastarum et iuvenum illi vel parentibus eius aliquid acceptum retulisse. Praecipue fortasse in gymnasiarchia iuvenes benignum, ne dicam prodigum, eorum animum experti sunt. *Γερουσία* et *νέοι*, in titulis laudatoriis haud raro coniunctim nominati, quo modo interpretandi sint, huius loci est exponere aut potius viros doctissimos appellare, qui me hac cura interpretis liberant.

Adnot. 1) Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques IX (1875) p. 280 nr. 6, ed. O. Rayet.

2) Bulletin de correspondance hellénique X (1886) p. 156 nr. 3, ed. Radet et Paris.

3) Inscriptio Spartana praebet: *ἁ πόλις Τιβ. Κλαύδιον Ἁρμόνικον, εὐσεβῆ καὶ φιλόπατριν, γυμνασίαρχον ἀπὸ τᾶς πρώτας ἁλικίας κ. τ. λ.* — In lapide Erythraeo legimus: *τὸν ἐκ προγόνων καὶ ἀπὸ παιδὸς ἡλικίας λιτουργόν*, Le Bas-Waddington nr. 57. — In titulo Le Bas-Waddington nr. 643, Philadelphiae Lydiae invento: ..... *ἐφήβαρχον ἐν παιδὶ γενόμενον κ. τ. λ.* nr. 650 (= C. I. Gr. nr. 3418): *τοῖς ἔτι πρώτοις ἡλικίας χρόνοις τελείαν φιλοδοξίας ἐπαν[γ]ειλάμενο[ν] λειτουργίαν κ. τ. λ.* — In titulis Aphrodisiensibus ipsis habemus, C. I. Gr. nr. 2770: *γενόμενον ἱερέα Ἑρμο[ῦ] ἀγοραίου παῖδα τὴν ἡλικίαν.* C. I. Gr. nr. 2788: *ἐκτελέσαντα τὰς πρώτας ἀρχὰς καὶ λιτουργίας πρὸ ἡλικία[ς].* cf. ibid. nr. 2787. — Heraclea Pontica praebet: *ἐν τῶ[ι] τᾶς ἁλικίας χ[ρόνωι] | δ(ό)ντα τᾶι πόλει * μύρι[α] | τέσσαρα κ. τ. λ.*, ed. G. Hirschfeld, Sitzber. pr. Akad. XXXV (1888) p. 884 nr. 50.

4) Compositio nominis *γυμνασι—αρχία* non obstat. *Ἀρχὴν* sane administravit, quatenus omnibus, quicunque gymnasium frequentabant, praepositus certe fuit.

§ 16 (nr. XII).

Gerusia et iuvenes (*νέοι*).

Ceterum ne terminos huic libello positos excedam, mihi ipse cogor interdicere ne quaestionem de integro, testimoniis epigraphicis novis adhibitis, retractem. Ad rem in universum intellegendam satis sit laudasse Theodorum Mommsenum, qui rei in volumine quinto historiae Romanae (1885) dimidiam fere partem paginae 326 concessit et controversam ad id tempus quaestionem de natura duorum horum collegiorum et seniorum et iuvenum, si quid video, disceptavit. De singulis rebus meruerunt, alter de gerusia potissimum cognoscenda, alter de collegio iuvenum explicando, Menadier[1]) et Collignon[2]), qui copiam titulorum tunc notorum et composuerunt et excusserunt. — Apud Menadierum inde a p. 59 in adnot. 200 catalogum eorum oppidorum confectum vides, in quibus testantibus titulis gerusia fuerat.

Nonnulla additurus sum praeter epimetra, quae Indices mei suppeditant. Ad institutum gerusiae spectant inscriptiones repertae:

In insula Samo, Bulletin de corr. hell. II (1878) p. 180; V (1881) p. 480 nr. 3.

Trallibus: Papers of the American school I (1882—83), 1885, p. 98 nr. V; p. 108 nr. X (= *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη* 1875, p. 126); p. 96 nr. II; vol. II (1883—1884), 1888, p. 329 nr. 383. Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 516 nr. 5; p. 517 nr. 7 et 8; XI (1887) p. 218 nr. 12.

Nysae: Bulletin VII (1883) p. 272 nr. 15; X (1886) p. 520 nr. 17; XI (1887) p. 347 nr. 2.

In insula Co: Bull. de corr. hell. V (1881) p. 229 nr. 17, 18.

Sebastes (Phrygiae): Bulletin VII (1883) p. 452 II.

Termessi (Lyciae): Bulletin X (1886) p. 219 nr. 3; p. 222 nr. 4 et 5; p. 224 nr. 6; p. 227 nr. 8.

Myrae (Lyciae): Benndorf, Reisen (1884) p. 30.

Sidymae (Lyciae): ibid. p. 70 sq. nr. 49 sq.

Cadyandae (Lyciae): Bulletin X (1886) p. 54 nr. 10.

Attaliae (Pamphyliae): Bulletin VII (1883) p. 265 nr. 6.

Sardibus: Mitt. Inst. Athen. VI (1881) p. 269 nr. 11.

Atque enumerationi *νέων* etiam, quam praebent Collignon p. 136—138 et Menadier p. 19/20, nonnulla hoc loco adiungo. Accedunt tituli in Indicibus meis allati. Inscriptiones huc pertinentes inventae sunt:

Trallibus: Bulletin de corr. hell. V (1881) p. 343 nr. 4 — p. 347 nr. 10; XI (1887) p. 218 nr. 12. — Papers of the american school I (1882—83), 1885, p. 108 nr. X (= *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη*, 1875, p. 126).

Nysae: Bull. de c. h. VII (1883) p. 272 nr. 15; X (1886) p. 520 nr. 17 et 19; XI (1887) p. 347 nr. 2.

In insula Co: ibid. V (1881) p. 236 nr. 21; XI (1887) p. 73 et 74, nr. 3 et 4 et 5.

Attaliae: ibid. VII (1883) p. 263 nr. 5.

Synnadae: ibid. VII (1883) p. 299 nr. 23; V (1881) p. 389; IV (1880) p. 240.

Nacoleae: Journal of Hellenic studies III (1882) p. 125.

Sidymae: Benndorf, Reisen (1884) p. 68 nr. 43.

Xanthi: ibid. p. 123 nr. 96.

Odessi: Mitt. Inst. Athen. IX (1884) p. 228 nr. 13.

Sami: Bull. de corr. hell. V (1881) p. 481 nr. 4.

In oppido, cui nomen est *Ποιμανηνόν* (Eski-Manyas? prope Panormum Cyzicenum): Mitt. Inst. Athen. IX (1884) p. 32. Cf. etiam Mitt. Inst. Athen. VI (1881) p. 122; Archaeol.-epigr. Mitteil. aus Oesterreich VI p. 52; Reinach, Traité d'épigraphie grecque 1885 p. 408.

Quia commentatio Collignonis, quae in annalibus Burdigalensibus prodiit, minus commode introspici potest, quod sentit de natura collegii *τῶν νέων*, id ipsius verbis summatim declarare non omitto: „collèges de jeunes gens (*νέοι*) qui paraissent être la suite naturelle de l'éphébie“ et „c'est la jeunesse de la cité organisée en corps, sous le patronage de l'état moins pour exercer une action politique que pour se livrer en commun aux exercises chers à tous les Grecs et pour développer l'éducation dont l'éphébie leur a donné les princips“.

Atque haec quidem habeo, quae generaliter de collegio seniorum et iuvenum eiusque propagatione praemittam; singulas peculiaresque res attendendi in processu disputationis nonnumquam ansa dabitur; vide § 20.

Adnot. 1) Qua condicione Ephesii usi sint cet. Diss. Berol. 1880 p. 48—63. De iuvenibus p. 19/20.

2) „Les collèges de 'Neoi' dans les cités grecques" in: Annales de la faculté des lettres de Bordeaux II (1880) p. 135—151. — Apud utrumque repperis etiam quae homines docti antea de hac re promulgaverant.

C. Saeculum p. Chr. n. secundum.

Nr. XIII.

Apographum Loewianum praebet J. Franzius, Annali dell' Instituto archeologico (1847) p. 112 nr. 4 (pleraque Franzius restituit). — Le Bas et Waddington: inscr. d'Asie mineure p. 400 nr. 1620 et in comment. p. 379 ad nr. 1620.

Ἔδοξεν τῇ ἱερᾷ [περιπολιστικῇ, εὐσεβεῖ, σεβαστῇ [συνόδῳ καὶ τῷ σύνπαντι ξυστῷ τῶν περὶ Τ[ραϊανὸν Ἀδριανὸν Σεβαστὸν διαπέμψασθαι [τόδε τὸ ψήφισμα τῇ ἱερ[ω]τάτῃ Ἀφροδεισιέων β[ουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Ἐπεὶ Καλλικράτης Διογέ[νους Ἀφροδ]εισιεύς, πανκρατιαστὴς ἱερονείκ[ης περιοδ]ονείκης, ἀπὸ πρ[ώ]της ἡλικίας εἰ[ς τὰς ὁδοὺς τῆς ἀρετῆς τραπεὶς ἱδρῶσι [καὶ πόνοις ἐκτήσατο τὴν εὐκλεῆ δόξαν, [δεινότητός τε παρὰ πᾶσιν ἀνθρώπ[ο]ις καθο[μιλ]ουμένης γε[ί]νεται, διά [τ]ε τὴν ὁλόκλ[ηρον αὐτῷ πεφιλοπονημ[έ]νην σοφίαν. σώματι γὰρ ὑ[π]ερβάλλων ἅπαντας ἀρχαίους ἐθαυμάσθη [τὴν φύ]σιν, ψυχῆς τε ἐπιμελούμενος ἐμακαρ[ίζ]ετο τὸν τρόπον. ὧν ἕ[ν]εκ[α] πάντων πρὸς τὸ ὑπερβάλλον τῆς δό[ξ]ης ἐ[ρ]πύσας ὁ [β]άσκανος φθόνος τὸ κοινὸν ἡμῶν ἀγαθὸν νεμε[σήσας ἀπήνενκεν, ἐνερείσας εἰς μέρη τοῦ σώματος τὰ εὐχρηστότατα πανκρατιασταῖς, τοὺς ὤμους. διὸ [ἔ]δο[ξ]εν, τύχῃ τῇ ἀγαθῇ, αἰτήσασ[θ]αι τὴν Ἀφροδεισιέων πόλιν τόπους ἐπιτη-

δείους, ὅπως ποιησώμεθα τοῦ μεγάλου ἱερονείκου εἰκόν[ων] ἀναθέσεις καὶ ἀνδρειά[ντος ἀνάστασιν, καθὰ καὶ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς Ἀσίας Ἐφέσῳ, ἐχουσῶν τῶν τειμῶν ἐπιγραφὰς τὰς προσηκούσας τῷ Καλλικράτ[ει, ἵνα διὰ τούτου τοῦ ψηφίσματος τὸν ἄρυθμον πρ]ὸς εἱμαρμένην ἀπαραίτητον αἱ τῶν τειμῶν χάριτες εὐπαρηγόρητον ἡμεῖν τὸν συ[ναθλητὴν καταστήσωσιν.

Litterae vulgares. Aetas affatim indicatur vs. 3/4. Decretum igitur ortum est sub imperio Hadriani Caesaris (117—138).

§ 17 (nr. XIII).

Aetate Hadriani.

De Callicrate pancratiasta.

Aphrodisienses non solum domi, sed apud exteras etiam civitates splendida artis gymnicae specimina ediderunt. Primum eius generis exemplum reperimus Callicratem, filium Diogenis. Is igitur ad artem pancratiastarum incubuerat et brevi tempore industria sollertiaque admirationes ac plausus multorum excitaverat — sive ut colorem dictionis, quo collegae eius postea usi sunt, aliqua ex parte reddam: Callicrates a puero vias in gressus virtutis, sudoribus laboribusque gloriosam famam acquisiverat. — Olympia, Isthmia, Pythia, Nemea coronatus necnon in aliis sacris certaminibus victoriam nanctus erat, ita ut eximio honoris vocabulo hieronicae[1]) et victoris periodici[2]) salutari posset.

Ac si inflatam orationem laudatorum eius ad iustum modum redigimus, pancratiasta ille tunc aetatis toto imperio ob victorias suas adeo nobilitatus erat, ut in ore atque sermone aequalium esset id, quod in decreto honorario his fere verbis ridiculis expressum est: sollertia eius nec minus sapientia[3]), quam enixe consectabatur, in proverbium venit apud homines omnes, corpore excellens ante cunctos antiquos in admiratione erat apud recentiores propter naturam, animo denique excolendo deditus praedicabatur fortunatus ob mores. Floridum hercle genus di-

cendi, quod in titulis athleticis non semel recurrit. At tum ipsum, cum ad apicem quasi gloriae pervenit, ex humeris laborare coepit atque ingravescente vi morbi ab arte desciscere coactus est. Quam belle rursus athletae id pronuntiare sciunt! (vs. 16 sq.).

E consuetudine sese olim ad collegium applicaverat, qualia illis temporibus ab artificibus tam gymnicis quam musicis scenicisque constitui solebant. Hae societates, quae haud ita raro favorem et benevolentiam imperatorum expertae sunt crebroque nomen Caesaris sibi indiderunt, aut certo et stato loco versabantur aut alias alio tempore regiones concelebrabant.

Callicrates igitur in sodalicium athletarum huc illuc migrantium[4]) receptus erat. Cum autem artem exercere postea morbo repentino prohiberetur, et conventus et omnis xystus[5]), qui Romae domicilium habebat et Hadrianum tutorem ac patronum reverebatur, censuerunt recordationem collegae, qui famam sodalitatis longe lateque pervulgarat, conservandam esse. Quocirca decretum id spectans et cum Ephesiis communicaverunt, quorum civitatem constat metropolim[6]) Asiae fuisse, et ad senatum populumque Aphrodisiensium miserunt, qui Callicratem inter cives suos poterant numerare. In his litteris sanctus, pius, augustus conventus Aphrodisienses orabat, ut loca idonea sibi concederent, ubi elogiis insculptis imagines hieronicae ponerentur et statuae erigerentur; ab Ephesiis id impetraverant. Quam petitionem quem ad modum commendare studuerint, non neglegendum est monere. Etenim conqueruntur ac deplorant conventum damno acerbissimo affectum esse, cum collega clarissimus, pristinum commune bonum, casu inexspectato abreptus sit, cuius calamitatis irrevocabilis solatium ac levamen unicum habeatur honoribus collegae a patria civitate tributis.

Adnot. 1) Cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. *ἱερονείκης*, p. 150.

2) Cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. *περιοδονείκης* p. 158 et *περίοδος* (in certaminibus) p. 158. Cf. etiam Festus p. 338, 7: „in gymnicis certaminibus perihodon vicisse dicitur, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit, a circumitu eorum spectaculorum“. Cf. Krause, Gymnast. und Agonist. I p. 552—556, II p. 639—642.

3) Cum nonnumquam athletae animae rudis stolidique insimularentur, hic opprobrium insipientiae a collega depulsum est.

4) *περιπολιστικὴ σύνοδος*, cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. p. 158. — L. Friedlaender, Sittengeschichte II[5] p. 446 sq.

5) *ξυστός*, cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. p. 156. — G. Dittenberger, Archaeol. Zeitung vol. XXXIV (1876) p. 56 ad nr. 13.

6) J. Marquardt, Röm. Staatsverwaltung I p. 343.

Nr. XIV.

„Ad borealem theatri partem ad occasum vergentem, marmor muro externo infixum". Ex exemplis Sherardianis et Spanhemianis ed. A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 516 nr. 2782.

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ο Ἀφροδισιέων καὶ ἡ γερουσία
Μάρ(κον) Οὔλ(πιον) Καρ(μίνιον) Κλαυδιανόν, ὑὸν Καρ(μινίου) Κλαυδιανοῦ,
Ἀσίας ἀρχιερέως, πάππου καὶ προπάππου συν-
κλητικῶν, τειμηθέντα ἐν πολλοῖς [ὑ]πὸ τῶν
Αὐτοκρατόρων, ἄνδρα Φλ(αουΐας) Ἀπφίας ἀρχιερείας
Ἀσίας, μητρὸς καὶ ἀδελφῆς καὶ μάμμης συνκλη-
τικῶν, φιλοπατρίδος, θυγατρὸς τῆς πόλεως καὶ
Φλ(αουΐου) Ἀθηναγόρου ἐπιτρόπου Σεβαστοῦ, πατρὸς καὶ [πάππου καὶ
προπάππου συνκλητικῶν, αὐτὸν ἀρχι-
ερέως τῆς Ἀσίας ὑόν, πατέρα Καρ(μινίου) Ἀθηναγόρου συν-
κλητικοῦ, πάππον Καρμινίων Ἀθηναγόρου κ[αὶ
Κλαυδιανοῦ καὶ Ἀπφίας καὶ Λειβιανῆς συνκλη-
τικῶν, ἀργυροταμίαν τῆς Ἀσίας, λογιστὴν μετὰ
ὑπατικοὺς δοθέντα τῆς Κυζικηνῶν πόλεως,
ἀρχιερέα, ταμίαν, ἀρχινε[ω]ποιόν, ἱερ[έ]α διὰ βίου
θεᾶς Ἀφροδίτης, ἣ ἀνέθηκεν χρήματα εἰς αἰ[ων-
ίων ἀναθημάτων κατασκευάς, ἀλλὰ καὶ τὸν [ἱ]ερατι[κὸν
χρύσεον στέφανον, καὶ τῇ πόλει δὲ μυριάδας δέκα [ἥ-
μισυ ἀναθέντα εἰς αἰωνίων ἔργων κατασκευὰς ἀπὸ
ὧν ἤ[δ]η δέδοται εἰς μὲν τὰ θεωρητήρια τοῦ θεάτρου
** μύρια, καὶ τὸ ἔργον δὲ τοῦτο τὸ τῆς πλατείας ἐ-*
ξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ἐξ ἀρχῆς μέχρι τέλους
ἐκ θεμελίων μέχρι γείσους εὐτυχῶς γέγονε καὶ γε-
νήσεται, καὶ ἐν τῷ Διογενιανῷ δὲ γυμνασίῳ [ἀπ]ὸ
ἑτέρων ἰδίων χρημάτων τὸ ἀλιπτ[ή]ριον, καὶ τὸν ἐν[τὸς β-
ασιλικὸν αὐτοῦ καὶ τὰς εἰσόδους καὶ ἐξόδους μετὰ [τ]ῆς

*γυναικὸς Ἀπφίας κυκλ[ώ]σαντα, καὶ τὰ ἀγάλματα πάντα τὰ ἐν τοῖς ἔργοις καὶ τοὺς ἀνδριάντας οἴκο[θ]εν κατεσκευακότα, καὶ τὰς λευκολίθους παραστά[δ]ας καὶ τὸ κατ' αὐτῶν εἴλημα μετὰ τῆς γλυφῆς αὐτῶ[ν] καὶ τοὺς κείονας μετὰ τῶν βωμο[σ]πειρῶν καὶ κεφαλῶν κατ[ε]σκευακότα, καὶ τῇ λαμπροτάτῃ δὲ βουλῇ καὶ τῇ ἱερωτάτῃ γερουσίᾳ ἀνατεθεικότα χρήματα εἰς αἰωνίων κλήρ[ω]ν διανομάς, καὶ ἄλλας δὲ πολλὰς πολλάκις διανομὰς δεδ[ω]κότα τοῖς τε τὴν πόλιν κατοικοῦσιν πολείταις καὶ τοῖς ἐπὶ τῆς χώρας, καὶ ἑτέ[ρ]ας δὲ διανομὰς δεδ[ω]κότα πολλάκις τῇ βουλῇ πάσῃ καὶ τῇ γερουσίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐπιδόσεις πολλάκις ἐν παντὶ καιρῷ πεποιημένον κατὰ τὴν τῆς πόλεως γνώμην πολείταις τε καὶ ξ[έ]νοις, καὶ ἔλ[α]ια δρακτοῖς πολλάκις τεθεικότα ἐν τῷ καιρῷ τῆς τοῦ Τε[ι]μέλου ποταμοῦ εἰσαγωγῆς, καὶ πρεσβείας δὲ πολλάκις εὐτυχῶς ἐκτετελεκότα, [κ]αὶ παρ' ὅλον τὸν βίον αὐτοῦ εὐεργέτην καὶ φιλόπατριν [ἐν ἰ]δίοις ἔργοις ἀνέ[σ]τησεν. || προσανατεθεικότα δὲ [π]ρόσφατον κ[αὶ] ἄλλα εἰς τὸ ἔργον * ε' πρὸς τὸ εἶναι [δρ]αχμὰς μυ. ια̅.*

Litterae vulgares. Convertamus ad quaestionem de aetate tituli: In magno hoc decreto honorario agitur de Marco Ulpio Carminio Claudiano, altero huius nominis. Iam patri eius, ut infra ostendam, praenomina eadem Marei Ulpii erant, videlicet indita e memoria M. Ulpii Traiani imperatoris (98—117 p. Chr.). Hic igitur pater exordio principatus Antonini Pii (post a. 138) comparet unus de filiis quos vocant populi Attudensium, posthac inter annos 161—169 reperitur Asiarches.[1] Quodsi is — hoc quidem inde efficitur — regnantibus M. Aurelio et L. Vero necessario aetate provectus fuit, filium eum temporibus Marci Aurelii media fere aetate fuisse credere licet. Paulo accuratiora novimus e vs. 4/5: imperatores nulli alii esse possunt, nisi Marcus Aurelius Antoninus et Lucius Verus. Ideo aetas puerilis circiter in Hadriani, aetas firmata in tempora Antoninorum incidit.

Disputatio de stirpe Carminiorum Claudianorum.

Quod Boeckhius compertum habere tum non poterat, id nunc constat titulo et nummis, repertis in valle fluminis Maeandri,

in oppido Attuda.[2]) Etenim haec urbs Phrygiae patria totius gentis erat, cuius vestigia atque historiam per satis longum temporis spatium persequi possumus. Ut igitur rem in brevi conspectu ponam, insero hoc loco stemma, quod a Boeckhio erutum nunc augeri poterat; uncis inclusos adicio honores, quos hi gentiles obtinuerant.

Tabula genealogica.

- *Μάρκος Οὔλπιος Καρμίνιος Κλαυδιανός* [ἀρχιερεὺς Ἀσίας, πάππος καὶ πρόπαππος συγκλητικῶν].
  - *Μάρκος Οὔλπιος Καρμίνιος Κλαυδιανός* [τειμηθεὶς ἐν πολλοῖς ὑπὸ τῶν Αὐτοκρατόρων — ἀργυροταμίας τῆς Ἀσίας — λογιστὴς μετὰ ὑπατικοὺς δοθεὶς τῆς Κυζικηνῶν πόλεως — στεφανηφόρος δι᾽ αἰῶνος (apud Attudenses) — apud Aphrodisienses: ἀρχιερεὺς — ταμίας — ἀρχινεωποιός — ἱερεὺς διὰ βίου Ἀφροδίτης — πρεσβευτὴς πολλάκις].
- *Φλάουϊός Ἀθηναγόρας* [ἐπίτροπος Σεβαστοῦ, πατὴρ καὶ πάππος καὶ πρόπαππος συγκλητικῶν].
  - *Φλαουΐα Ἀπφία* [ἀρχιέρεια Ἀσίας, θυγάτηρ τῆς πόλεως Aphrodisiadis, μήτηρ καὶ ἀδελφὴ καὶ μάμμη συγκλητικῶν]. (uxor Marci Ulpii Carminii Claudiani)
  - Anonymus [συγκλητικός].

Liberi Marci Ulpii Carminii Claudiani et Flaviae Apphiae:

- *Καρμίνιος Ἀθηναγόρας* [συγκλητικὸς mox ὑπατικός, C. I. Gr. nr. 2783 — ἀνθύπατος Λυκίας καὶ Πανφυλίας καὶ Ἰσαυρίας].
  1. *Μάρκος Φλ. Καρμίνιος Ἀθηναγόρας Λειουαϊανός* [συγκλητικός, cf. C. I. Gr. nr. 2783].
  2. *Καρμίνιος Κλαυδιανός* [συγκλητικός].
  3. *Ἀπφία* [συγκλητική].
  4. *Λειβιανή* [συγκλητική].
- *Καρμίνιος νεώτερος* [apud Attudenses: στεφανηφόρος, ἱερεὺς θεᾶς Μητρός, Ἀδράστου, συγκλητικός, θεῖος συγκλητικῶν τεσσάρων].

Ut iam supra diximus, Attuda huius magnae familiae patria habenda est. At ex me quaerat quispiam, quo iure M. Ulpius

Carminius Claudianus II a senatu populoque Aphrodisiensium vs. 43 *φιλόπατρις* appellatus sit, quamquam filius eius Carminius minor, qui in titulo a Clercio promulgato occurrit, ab Attudensibus studiosus patriae a puero praedicatur et Attuda ipsa patria eius diserte indicatur. Rem ea fere ratione mihi excogito: M.. Ulpius Carminius Claudianus II uxorem duxerat Aphiam (vs. 7) oriundam Aphrodisiade; quae, quamquam cum coniuge Attudam transmigravit, tamen beneficiis patriam urbem cumulare adeo non desiit, ut iure meritoque *φιλόπατρις* appellari posset. Nec minus maritus ea ratione, quae accuratissime in titulo proposito descripta est, Aphrodisiensium gratiam brevi sibi conflarat ita, ut civitas ei impertiretur. Liberi autem tantummodo civitati Attudensium ascripti erant.

Vs. 9 Boeckhius recte, ut confirmatur tabula genealogica, [*πάππου καὶ*] supplevit. Contra vs. 40 magnopere erravit; scripsit ἑλ[*ειο*]*δ*[*ι*]*άκτο*[*υ*]*ς* et interpretatus est: canales siccandis agris et deducendis aquis stagnantibus inservientes. Sed scripturam lapidis: *ΕΛΙΑΔΡΑΚΤΟΙΣ* perperam mutavit. Una littera alpha suppleta redintegrare possumus lectionem unice veram: ἔλ[*α*]*ια δρακτοῖς*.[3]) Quid hoc verbum in titulis Asianis nequaquam plane insolitum sibi velit, in explicando argumento huius monumenti videbimus.

Adnot. 1) Waddingtonius certiorem fecit Clercium de nummis duobus insequentibus: Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 350. Alius pertinet ad initium regni Antonini Pii (138—161): *ΤΙΤΟΣ ΑΙΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ* — caput laureatum Antonini Pii — *Μ. ΟΥΛ. ΚΑΡΜΙΝΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΣ ΥΙ*[*ΟΣ ΤΟΥ*] *ΔΗΜΟ*[*Υ Α*]*ΤΤΟΥΔΕΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕ* — Cybele cum leonibus. Alius referendus est ad coniunctum principatum M. Aurelii Antonini et Lucii Veri (161—169): *ΑΥΡ. ΚΑ. ΑΡ. ΠΑ. ΜΗ. Μ. Α, ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. Κ. ΟΥΗΡΟΣ* — Marcus Aurelius et L. Verus manus sibi porrigunt — *ΔΙΑ Κ*[*ΑΡΜΙΝΙ*]*ΟΥ ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΑΤΤΟΥΔΕΩΝ* — Cybele cum leonibus.

2) Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 348 nr. 5, ed. Clerc: senatus populusque Attudensium honorant *Καρ*]*μίνιον* . . . . . [*ν*]*εώτερον, στεφανηφόρον,* [*ἱ*]*ερέα Θεᾶς Μητρός, Ἀδράστου, υἱὸν Καρμινίου Κλαυδιανοῦ στ*[*εφ*]*ανηφόρου δι᾽ αἰῶνος, λογιστοῦ μετ*[*ὰ ὑπα*]*τικοὺς τῆς λανπροτάτης Κυζικηνῶν πόλεως, ἀργυροταμίου τῆς Ἀσίας, ἀδελφὸν Καρμινίου Ἀθηναγόρου, ἀνθυπάτου Λυκίας καὶ Πανφυλίας καὶ Ἰσαυρίας, θε*[*ῖ*]*ΟΝ ΣΥΝ ΘΕΩ? συνκλητικῶ*[*ν τε*]*σσάρων ἡ πατρὶς τὸν ἐ*[*κ παι*]*δὸς φιλόπατριν ἐκ* [*τῶν κοινῶ*]*ν προσόδων ἀνέστη*[*σεν* . . . . . — Quicunque stemma a me supra statutum paulo diligentius inspexerit, con-

cedet legendum esse: θεῖον σὺν θε[ί]ῳ. Nam et Carminius minor ord. senat. patruus est liberorum quattuor ord. senat. Carminii Athenagorae et anonymus Aphiae frater, ord. senat., avunculus est Carminii minoris. Ergo est Carminius minor cum avunculo suo patruus filiorum filiarumque, ord. senat., quos habebat Carminius Athenagoras. Intricata sane huiusce modi locutio videtur; sin autem consideraverimus, quanti quis tunc ab Asianis aestimatus sit, cui licitum erat nomini et ascendentium et descendentium illud vocabulum συγκλητικός addere, melius intellegemus, cur ordo senatorius ne magni quidem avunculi in lapide hoc inscripto silentio praetermittatur. Cf. titulum Erythraeum, quem ed. Pottier et Hauvette-Besnault, Bull. de corr. hell. IV (1880) p. 154 vs. 7 sq.: συνγενῆ καὶ ἀδελφὸν | καὶ θεῖον συνκλητικ[ῶν κ. τ. λ. Ceterum cf. Th. Mommsen, Römisches Staatsrecht III, 1 (1887) p. 471.

3) Iam Waddingtonius ad Le Bas nr. 1602 b facilem eam mutationem protulit; δρακτός compluries in novis monumentis epigraphicis.

§ 18 (nr. XIV).

Aetas Antoninorum.

a) Gymnasium Diogenianum.

In § 13 non sine veri specie suspicati sumus Diogenem quendam gymnasiarchiam aeternam condidisse. Ex pecuniis his videtur gymnasium illud ortum esse, quod in vs. 24 tituli XIV vocatur Diogenianum, ita ut Aphrodisienses tunc temporis duo aut complura instituta, usui gymnico et agonistico destinata, possiderent.

Aliis etiam exemplis docemur nonnunquam in una atque eadem re publica complura simul gymnasia floruisse eisque certa nomina indita esse. Ut non dicam de Atheniensi gymnasio Diogenis[1]), habes Branchidis, C. I. Gr. nr. 2811 vs. 5 sq.: κοσμήσας τὸν τρίτον οἶκον τοῦ Φαυστινείου γυμνασίου τῷ παντὶ κόσμῳ κ. τ. λ.; ibidem vs. 16 sq.: προστάτης τοῦ μεγάλου γυμνασίου ἔτεσι δυσὶν καὶ τοῦ Καπίτωνος (scilicet γυμνασίου) ἔτεσιν δυσίν κ. τ. λ. Ibidem C. I. Gr. nr. 2885 (= Le Bas-Waddington nr. 223): παιδονόμου καὶ γυμνασιάρχου πάντων τῶν γυμνασίων. — Notum est γυμνάσιον Ὁμήρειον Chii, C. I. Gr. nr. 2221.[2]) — Nuper novum exemplum promulgavit Sterrett, Papers of the american school III (1888) p. 304 nr. 426: Kara-Baulo: [ἐπιδόντα εἰς τὸ ὑ]πὸ τῆς πόλεως Σεο[υή]ρειον γυμνάσιον ἀργυρίου δηνάρια τρεισχείλια [πεν]τακόσια. —

Apud Ancyranos (Galatiae) aliquis refecit *τὸ τοῦ Πολυείδου γυμνάσιον καθῃρημένον,* C. I. Gr. nr. 4015. — Tria gymnasia Trallianis fuerunt, Papers etc. I (1885) ed. Sterrett p. 96 nr. II (= *Ὅμηρος* 1874 p. 29) vs. 6: *γυμνασιαρχήσαντα τῶν τριῶν γυμνασίων κ. τ. λ.* — Sex gymnasia commemorantur in titulo Pergameno, Le Bas-Waddington nr. 1723 c. — Complura, generaliter dicta, inveniuntur in marmoribus Stratonicensibus; magnum gymnasium discernitur in lapide Thyatiris reperto, Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 420 nr. 29, ed. Clerc, vs. 5: *τὸ προάτριον τοῦ μεγάλου γυμ[νασίου.* — In alia inscriptione tria gymnasia Thyatirenorum commemorantur, C. I. Gr. nr. 3502: *Λικίννιον Ῥουφῖνον ..... οἱ περὶ τὸν Ἡρακλέα τῶν πρώτων γυμνασίων νεανίσκοι καὶ κατὰ τὸ ἀρχαῖον τοῦ τρίτου* („et, ex vetere quidem computatione, tertii gymnasii"), cf. C. I. Gr. nr. 3503. — In urbe Megaris gymnasium fuerat, quod antiquum cognominatum erat, Paus. I, 44, 3: *ἔστι δὲ ἐν τῷ γυμνασίῳ τῷ ἀρχαίῳ πλησίον πυλῶν καλουμένων Νυμφάδων λίθος παρεχόμενος πυραμίδος σχῆμα οὐ μεγάλης· τοῦτον Ἀπόλλωνα ὀνομάζουσι Καρινόν.* — Complura gymnasia apud Epidaurios commemorantur in titulo, quem edidit J. Baunack, Studien auf dem Gebiete des Griechischen und der arischen Sprachen I (1886) p. 89 nr. 25: *τὰ γυμνάσια τὰ ἐν Ἐπιδαύρωι | [κ]αὶ οἱ συμπολιτεύοντες | Ἰσίωνα Ἀπολλωνίου Ἐπιδαύρι|ον γυμνασιαρχήσαντα ἐν Λυκείωι κ. τ. λ.* (*Ἐφ. ἀρχ.* 1883, Sp. 89 nr. 25. 26.) — Syracusani habebant gymnasium, quod nominabatur *Τιμολεόντειον,* Plut. Timol. II p. 240, Reiske: *ἐποιήσαντο δὲ τὴν ταφὴν τοῦ σώματος ἐν ἀγορᾷ καὶ στοὰς ὕστερον περιβαλόντες καὶ παλαίστρας ἐνοικοδομήσαντες γυμνάσιον τοῖς νέοις ἀνῆκαν καὶ Τιμολεόντειον προσηγόρευσαν.*

b) Unctuarium; basilicae duae (vs. 24 sq.).

Paulo certius quam de origine edocti sumus de condicione ac statu posteriore huius instituti. Etenim Marcus Ulpius Carminius Claudianus is, de quo supra pluribus locuti sumus, cum uxore sua Aphia partem immensarum divitiarum collocavit in gymnasio illo novis operibus ornando, veluti de sua ipsius pecunia *ἀλιπτήριον* quod vocatur, id est unctuarium, intra spatium gymnasii exstruendum curaverat[2]) atque una cum

uxore, quam sociam ad largitionem adhibuerat, basilicam interiorem et peristylium ab aditibus usque ad exitus muro circumcinxit.[3]) — Ceterum nolo celare in eis versibus lapidis, quibus res eae memoriae proditae sunt, nonnulla in obscuro esse et interpretationem diversam cogitari posse. Ac primum quidem dubitationi obnoxium est, utrum ὁ βασιλικὸς (scilicet οἶκος) ὁ ἐντός ad unctuarium referendus sit an partem gymnasii ipsius effecerit, separatam prorsus ab alipterio, id, quod mihi quidem probabilius videtur. Hoc vero sine haesitatione statui licet, duas basilicas fuisse. Boeckhius etiam in lectione κυκλώσαντα addubitavit et, quamquam non confidenter, λευκώσαντα proposuit. Quid equidem sentiam, ex interpretatione supra allata intellegitur. Nec testimonio epigraphico Passalae(?) Cariae reperto destituimur: Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 213 nr. 2, (ed. *Κοντολέων*) legitur vs. 3 sq.: *γυμνασιαρχήσαντα τῶν νέων σὺν τῷ υἱῷ . . . . τούς τε λιθίνους κανκέλλους τοῦ γυμνασίου ἐκ τῶν ἰδίων κατασκευάσαντα καὶ ἐπισκευάσαντα τὸν περὶ αὐτοὺς κόσμον.* Cancelli igitur lapidei seu muri spatium gymnasii, apertum antea aut tantummodo saepimento ligneo vel naturali circumdatum secludunt.

Non inutile duco hoc loco nonnullos titulos aliorum oppidorum afferre, in quibus partes gymnasii nuncupantur. Pauca etiam in Indicibus meis invenies. Inscriptiones huc spectantes repertae sunt:

Branchidis, C. I. Gr. nr. 2881 vs. 5 sq.: *κοσμήσας τὸν τρίτον οἶκον τοῦ Φαυστινείου γυμνασίου τῷ παντὶ κόσμῳ.*

Laginae, Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 144 nr. 46, ed. Diehl et Cousin, vs. 4: *ἐποίησ]αν σὺν παντὶ τῷ κόσμῳ τὸ ἄτρειον τοῦ ἄνω γυμ[νασίου.*

In oppido, quod Meder vocatur (Thyatirae), Bulletin X (1886) p. 420 nr. 29, ed. Clerc, vs. 5: *τὸ προάτριον τοῦ μεγάλου γυμνασίου.*

In oppido, cui nomen est *Ποιμανηνόν* (Eski-Manyas, prope a Panormo Cyziceno), Mitt. Inst. Athen IX (1884) p. 32, ed. Lolling, vs. 20 sq.: *ἀνατεθῆναι δὲ καὶ στήλην [λε]υκή[ν λιθ]εία[ν] πρὸ τοῦ γυμνασίου ἐν τῇ κατασκευαζομένῃ στοᾷ κ. τ. λ.*

Denique delego ad Indices ad C. I. Gr. p. 142 s. v. *γυμνάσιον.*

c) Distributio olei (vs. 40 et 41).

E fluvio Timele[4]) aqua in urbem derivata erat. Postquam ad effectum aquae ductus ventum est, magnifica sollemnia concelebrata videntur esse — fortasse gymnica etiam certamina —, quae Carminio Claudiano rursus occasionem obtulerunt, qua magnitudinem et rei suae familiaris et benevolentiae civibus ostendit. In lapide enim scriptum videmus vs. 40: *ἔλ[α]ια δρακτοῖς πολλάκις τεθεικότα κ. τ. λ.* Quid ea verba significent, imprimis quae vis ac notio *δρακτοῖς* subsit, necessarium duco paulo uberius perpendere.

Quoniam, quantum scio, vocabulum illud neque apud veteres scriptores neque in glossis invenitur, incipio a lapidibus inscriptis, quibus fieri saltem poterit, ut sensus adumbretur.

I. tres tituli Aphrodisienses: 1) C. I. Gr. nr. 2782, unde profecti sumus (= nr. XIV meae sylloges); 2) Le Bas-Waddington nr. 1602 = C. I. Gr. nr. 2820 = Annal. Inst. archeol. 1852 p. 127 (cf. nr. XVII m. s.): *ἀλείψασαν δὶς δρακτοῖς ἐκ λουτήρων ἐπιρύτοις δαψιλέστατα τὸ πλεῖστον μέρος καὶ τῆς νυκτός*; 3) Le Bas-Waddington nr. 1602[a] = Transact. of Royal Soc. Lit. 1843, p. 235 et 290 (cf. nr. XIX m. s.): *γυμνασιαρχήσαντα δὶς δρακτοῖς ἐλαίοις ἐπιρύτοις ἀνελλιπῶς.* — II. tituli Stratonicenses duo: 4) Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 379 nr. 2, ed. Deschamps et Cousin, vs. 12 sq.: *τὰ τῆς ἑορτῆς τῶν Παναμαρείων [ἡμέρ]ας δέκα πάσῃ ἡλικίᾳ ἀδιαλείπτως καὶ [νυ]κτὸς καὶ ἡμέρας θεὶς δρακτῷ τὸ ἔλαιον [κ]αὶ ἐπαλείμματα ἐν τοῖς γυμνασίοις.* 5) ibidem p. 383 nr. 3 vs. 9 sq.: *ἐγυμνασιάρχησαν, ἤλειψαν δὲ καὶ τῇ ἀνόδῳ τοῦ θεοῦ πανδημεὶ τὴν πόλιν ἐν τῷ ἄστει πρῶτοι καὶ τὰς τῆς ἑορτῆς δὲ τῶν Παναμαρείων ἡμέρας δέκα ἔθεσαν ἐν τοῖς γυμνασίοις ἔλαιον δρακτῷ πάσῃ ἡλικίᾳ καὶ τύχῃ ἀδιαλείπτως καὶ νυκτὸς καὶ ἡμέρας καὶ ἐπαλείμματα καὶ ταῖς γυναιξὶ δὲ πάσαις ἔδοσαν ἔλαιον ἐν τοῖς γυναικείοις βαλανείοις.* — III. titulus Nysaeus: 6) Bull. de c. h. X (1886) p. 520 nr. 19, ed. Kontoleon, vs. 2 sq.: *ἀ]γωνοθετῶν τιθεὶς ἀεὶ τὸ ἄλειμ[μ]α δρακτὸν παρ' ἑαυτοῦ.* — IV. titulus Sebastenus (Phrygiae): 7) Le Bas-Waddington nr. 730 = C. I. Gr. Add. nr. 3871 b: *ἀλείψασαν δὶς δρακτοῖς καὶ ἐπιρύτοις ἀπαρατηρήτως καὶ πολυτελῶς.*

In his septem exemplis agitur de donatione olei, quod viri mulieresve ditissimi aut ad certamina aut ad usum gymnasii largiuntur. Qua autem ratione oleum distribuatur, vocabulo peculiari indicatur; quater exhibetur casus dativus pluralis *δρακτοῖς*, bis singularis *δρακτῷ*, semel casus accusativus singularis *δρακτόν*.

Unde explicationem significationis petemus? Haud dubie aliquatenus cohaeret vocabulum cum verbis *δράσσω*, *δράσσομαι*, „comprehendere, manu corripere", formatum ex eadem stirpe, quam ostendunt *δράξ*, *δράγμα*, *δραγμίς*, *δράγδην*, *δραχμή*. De voce *δράγμα* invenies in Etymologico magno, sub verbo, quae subsequuntur: *πληθυντικῶς μὲν λέγονται τὰ δράγματα· σημαίνει δὲ τοὺς στάχυας, ὅσους δύναται ὁ θεριστὴς τῇ ἀριστερᾷ περιλαβεῖν θερίζων· δράγματα, τὰ τῶν χειρῶν πληρώματα, παρὰ τὸ δράξασθαι σημαίνει τὸ λαμβάνειν*. — Necnon compares: Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, sub verbo dragma: „alias dragma est manipulus . . . . . . ibid. Chron. Joann. Whethamst p. 443, ubi de donis factis monasterio S. Albani dicitur: 'largicionisque dragmas[5]) in tipicam nostram Ierusalem intulere'." — Ista igitur verba, quibus *δρακτός* propinquum videtur esse, interpretanda sunt lingua vernacula: „Aehrenbund, Garbe" aut generalius: „Handvoll", lingua Francogallica significantius reddi possunt: „une prise, une poignée". Quodsi *δρακτόν* synonymum est, necesse est in monumentis epigraphicis notionem „Griff, Handvoll" dictam esse de mensura aliqua cava, quippe cum oleum ad corpora liquida pertineat. Nostro autem sermone talis elocutio in firmis tantummodo corporibus adhibetur, veluti „Griff Nüsse, Handvoll Birnen", minime vero „Griff Oel, Handvoll Wein".

Fateor me frustra certae ac definitae explicationi operam navasse, quam reperire ne Waddingtonio quidem contigit. Is adnotavit ad Le Bas III p. 384: „Je crois que *δρακτόν* était le mot consacré pour désigner l'huile que le lutteur employait pour oindre son corps au gymnase, littéralement: 'l'huile qu'il prenait dans la main" et par extension 'de l'huile ordinaire, de l'huile pour la palaestra'. En somme, quelque soit le sens précis de *δρακτοῖς*, il s'agit dans toutes ces inscriptions d'une

distribution gratuite et abondante d'huile, soit pour les exercises du gymnase, soit dans de cérémonies religieuses."

ἔλαιον τιθέναι.

Multo simplicius haec verborum coniunctio definiri licet. Apud Latinos etiam sermone tritum erat „oleum ponere", in soluta sane oratione potius „apponere"; omnino elocutio adhibetur, si quis oleum gratis praebet, impensas olei dividendi tolerat. Nec non vernacula lingua saepius auditur dictio „ponieren". Synonyma usurpantur: *ἀλείφειν, ἔλαιον διδόναι, ἐπαλείμματα τιθέναι, τιθέναι ἐπ' ἄλιμμα,* quin etiam *γυμνασιαρχεῖν* inferiore aetate hanc notionem videtur assumere. Nomen substantivum sonat *ἐλαίου θέσις, ἐλαιοθεσία,* verbum compositum *ἐλαιοθετέω,* fortasse etiam *ἐλεοθέω* (C. I. Gr. nr. 4025).

Verba *ἔλαιον τιθέναι* apud Graecos homines usitatissima inveniuntur sicut substantiva et verba composita, quae indicavi, in titulis permultis. Huc pertinent lapides, qui inventi sunt:

Laginae Cariae: Benndorf, Reisen (1884) p. 156 nr. 134 fragm. b. — In oppido Cariae, quod dicitur *Κῦς*: Bulletin XI (1887) p. 306 nr. 1, ed. Cousin et Deschamps, vs. 8.

Trallibus: Papers of the american school I (1885) p. 96 nr. II ed. Sterrett (= *Ὅμηρος* 1874 p. 29).

Stratoniceae: Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 376, ed. Deschamps et Cousin, vs. 30: *ἔθεσαν ἔλαιον κα[ὶ] μύρα.*

Attaleae (Lydiae): Bulletin XI (1887) p. 399 et 400, ed. Radet et Lechat.

Colossi (Phrygiae): Le Bas-Waddington nr. 1693 b vs. 6.

Teni: C. I. Gr. Add. 2336 b vs. 12 sq.

Ancyrae: Perrot, Explor. I (1872) p. 235 nr. 125; C. I. Gr. nr. 4025 vs. 10, nr. 4039.

Sesti: C. Curtius, Hermes VII (1873) p. 116 = G. Dittenberger, S. I. Gr. nr. 246 vs. 37.

Argi: C. I. Gr. nr. 1122 vs. 14, nr. 1123 vs. 8 sq.

Athenis: Dittenberger, S. I. Gr. nr. 347 vs. 79.

Haec sufficiant; cf. Indices meos.

Convertamus nunc animos rursus ad argumentum monumenti gravissimis rebus referti, ex quo digressi sumus. Eiusmodi congiaria quam iucunda fuerint Graeculis, saepius etiam in his sche-

dis observare poterimus. Quam in partem liceat hoc loco afferre dictum Taciteum[7]): „gymnasium eo anno dedicatum a Nerone praebitumque oleum equiti ac senatui Graeca facilitate". Ergo liberalitas et munificentia Graecorum in his rebus notissima erat.[8])

d) **Theatrum** (vs. 20).

Iam venio ad aliud specimen effusae largitionis Carminii Claudiani. Paene dixi: is erat Aphrodisiensibus a voluptatibus. Sempiternam enim, non brevem esse nominis sui memoriam quod voluit, quotienscunque aedificia publica reficienda vel exornanda aut nova opera construenda erant, promptissimus erat arcam reserare; ut ita loquar, res eius familiares res publica sciebat quaestui habere.

Etenim is decem milia denarium dedit ad erigendos in cavea theatri gradus marmoreos, ubi spectatoribus subsellia ponerentur. — Hic paulo subsistamus. *τὰ θεωρητήρια* gradus sunt, „einzelne Sitzstufen", ut rectissime monuit A. Müller.[9]) Prospere cessit, quod aliae etiam partes theatri Aphrodisiensis testimoniis lapideis traditae sunt, ita ut naturam atque condicionem eius animis depingere possimus.

E titulis duobus[10]) infra exscriptis cognoscimus: *τὰ ἀναλήμματα, τὴν κερκεῖδα, τὰς ψελίδας, τὸ διάζωμα τοῦ θεάτρου,* fortasse [*τὸ βῆμ*]*α*. Atque Muellerus quidem l. c. explicat sic: p. 53, *βῆμα*: „Bühne als Platz zum Auftreten". — p. 60, *ψαλίς* (sic in libris manu scriptis, in titulis *ψελίς*): „In Theatern römischen Stils waren die Orchestra-Eingänge überwölbt und scheinen daher *ψαλίς* oder *ἀψίς* geheissen zu haben." De origine nominis inveniuntur in Thesauro linguae Graecae haec: „a tonsoriae *ψαλίδος* similitudine architecti suam denominarunt; tradunt enim *ψαλίδας* ab iis vocari in fornicibus et frontibus aedificiorum, maxime vero in fornicato aditu portarum, oblongos lapides, qui in sui coagmentatione forficum figuram efficiunt; quin et ipsas fornices sive opera fornicata et structuras arcuatas" cet. — p. 64, *κερκίδες,* „cunei": „die keilförmigen Abschnitte der Sitzreihen". — p. 64/65, *διάζωμα*: „Stockwerk des Zuschauerraums, die lateinische Benennung lässt sich nicht nachweisen." — *ἀναλήμματα* modo substructiones nominantur, veluti Le Bas-Waddington nr. 269 = C. I. Gr. nr.

2681, in titulo Iasio: τὸ ἀνάλλημα καὶ τὴν ἐπ' αὐτοῦ κερκίδα καὶ τὸ βῆμα, modo cf. Mueller. p. 64: „die beiden Abschlussmauern des Zuschauerraums". Quod ad theatrum Aphrodisiense attinet, et Waddingtonius et Muellerus[11]) de substructionibus intellegunt.

Atque haec quidem de singulis partibus huius theatri. Pluribus rem persequi abhorret a consilio meo, quippe qui res scenicas et musicas tantummodo, quatenus earum in titulis ad rem gymnicam agonisticamque spectantibus mentio casu fit, tractaturus sim. Satis habeo laudasse Texier, descript. de l'Asie min. III p. 163, et quod Muellerus in paragrapho secunda de ruinis theatrorum disputavit; imprimis delego ad p. 11/12, ubi theatra Cariae enumerantur.

e) Varia.

Recordationem ac memoriam viri illius egregii non solum in theatro haesisse, verum etiam nomen eius anguste coniunctum fuisse cum prosperitate, qua tunc temporis civitas Aphrodisiensium usa videtur esse, iam ex eis, quae supra mihi exponenda fuerunt, manifestum est; manifestius erit multo, cum nonnihil e copioso argumento lapidis versus quadraginta sex continentis addendum sit.

Largitio, ut ait Cicero, non habet fundum. Quod quam verum sit, testis est Carminius ille Claudianus. Plenis manibus dilargiebatur; praeter impensas supra narratas „parvulam summam" centum et decem milium denarium in commodum publicum dicaverat (vs. 18 sq., vs. 44 sq.). Cuius argenti partem maximam — centum et quinque milia — statim ab initio ad egregia opera aedificanda destinarat. Itaque cives praeter ea, quae supra allata sunt, debebant ei opus ad plateam exstructum, ab initio usque ad perfectionem, a fronte usque ad tergum, a fundamento usque ad suggrundium pecunia donata ortum (vs. 22 sq.); signa deinde, statuae, simulacra, quibus aedificia publica decorabat, parastades candidi marmoris earumque fornices[12]), sculptura vestitae, columnae cum spiris et capitibus muti ac tamen arguti beneficentiae eius praecones erant. Quid quod senatui et gerusiae sortes commisit, ut in perpetuum tempus usurae dispertirentur, insuper incolis urbis, iis quoque, qui in regione

circumiacente habitabant, crebro magnam pecuniam distribuit, senatores denique cunctos, non singulos modo[13]), atque gerusiastas donativis cumulavit, quavis occasione ut civibus sic peregrinis quicunque inopia pressi neque de ceterorum civium sententia subsidio indigni erant, opitulatus est?

Accedunt magistratus et munera; et apud Aphrodisienses quidem summus sacerdos, quaestor, summus neopoeus[14]), sacerdos perpetuus deae Veneris fuit; templo deae et donaria ipse consecravit et in posterum ad eiusmodi dedicationes pecuniam legavit; auream quoque coronam sacerdotalem cudendam curavit. Praeterea identidem legationes suscepit. In administratione imperii gratiam imperatorum sibi conciliavit, cum quaestor Asiae et logista Cyzicenorum fuit.

Quae omnia postquam praestitit iamque laudes eius insculptae in permultis statuis, quae iussu senatus populique et gerusiae in operibus ipsius positae erant, lectitari potuerunt, denuo benefica eius voluntas invocata est. Itaque cum summa ingens ad opera facienda destinata deficeret, centum et quinque milibus denarium, quae statim donaverat, alia quinque milia adiunxit. Cives autem gratulabundi nihil antiquius habebant, quam ut in fine titulorum laudatoriorum additamentum huc spectans adponerent.

Adnot. 1) Grasberger, Erziehung III p. 124, 134, 425.

2) At cf. Kuhnert, Fleckeiseni Annal. XVII Suppl. p. 310 adn. 5.

3) Pergameni (Mysiae) honorarunt: *κτίστην τοῦ ἀλειπτηρίου τοῦ ἐν [τῷ] τῶν νέων γυμνασί[ῳ]*, Le Bas-Waddington nr. 1723 a.

4) In universum lectorem reicio ad: Petersen, Das Gymnasium drr Griechen, in: Vorlesungen im Hamburg. Acad. Gymnasium, Hamburg 1858. Cf. etiam Guhl et Kohner, p. 133—138, p. 301, p. 286. — Vitruv. V c. 11.

5) *Τειμέλης* vel *Τιμέλης*, cf. Eckhel, D. N. V. II p. 576. Cf. etiam Waddingtonium ad titulum, qui provenit ex Heraclea Carica, p. 402 nr. 1695; nomen fluvii comparet in nummo huius oppidi: *ΔΗΜΟΣ* — Tête jeune, laurée — *'ΗΡΑΚΛΕΩΤΩΝ ΤΙΜΕΛΗΣ* — Fleuve couché (in collectione Waddingtonii).

6) Hoc loco verbum translatum est.

7) Ab exc. d. Aug. XIV, 47.

8) J. Marquardt, Röm. Staatsverwalt. III p. 475 (L. Friedländer). — Grasberger I² p. 342. — Rhangabé, ant. hell. 689.

9) Lehrbuch der griechischen Bühnenaltertümer (1886) p. 61/62.

10) C. I. Gr. nr. 2747 = Loewe, Annal. Inst. archeol. 1847 p. 110 = Le Bas-Waddington nr. 1585: Ἀφφροδείτη, θεοῖς Σεβαστοῖς, τῷ [δήμ]ῳ, [τὸ βῆμ]α? — τ[ὸ διάζ]ω[μ]α W.! — καὶ τὰ ἀναλήμματα Ἀριστοκλ[ῆ]ς Ἀρτεμιδώρου Μολοσσός, φιλόδοξος καὶ φιλόπολις, ἐργεπιστατήσαντος Ἑρμᾶ Ἀριστοκλέους τοῦ Ἀρτεμιδώρου κατὰ τὰς Μολοσσοῦ τοῦ θρέψαντος αὐτοῦ διαθήκας. — C. I. Gr. nr. 2755, Add. p. 1109 = Le Bas-Waddington nr. 1586: .... τὴν κ]ερκεῖδα καὶ τὰς ψελίδας Ἀριστο[κλῆς Ἀρτεμιδώρου .... ἐργεπιστα]τήσαντος Ἑρμᾶ Ἀριστοκλέους τοῦ Ἀρτεμιδώρου .... τὸ διάζωμα τνῦ θεάτρου.

11) p. 30: „Die Sitzreihen der griechischen Theater wurden fast immer an einem Abhange angelegt, wodurch die bedeutenden Kosten des bei den Römern üblichen massiven Unterbaus gespart wurden“ cet. Adnot. 2: „Ausnahme ist .... künstlich hergestelllte Anhöhe zu .... Aphrodisias.“

12) Cf. Boeckhius, Add. et Corrig. ad C. I. Gr. nr. 2782 p. 1112 vs. 30: „εἴλημα nunc mihi videtur fornix esse, quamquam non video, cur non dictum sit τὸ ὑπὲρ αὐτῶν.“

13) τῇ βουλῇ πάσῃ καὶ γερουσίᾳ. Boeckhius fallitur opinans gerusiam selectam partem universi senatus esse.

14) Neopoeia saepius in titulis Aphrodisiensibus nominatur; cf. C. I. Gr. nr. 2749: ἡ Ἀφροδείτη ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων τὰς ἀνδριαντοθήκας κατεσκεύασεν καὶ τὰς πυλίδας σὺν τοῖς ἐπιφερομένοις μετέθηκεν καὶ ἀνέστησεν καὶ ἐλευκούργησεν ἐπιμεληθέντων . . . νεωποιῶν. — C. I. Gr. nr. 2824: ἔστω μου κληρονόμος ἡ θεὰ Ἀφροδείτη· τοῦτο δὲ ἐκδικήσουσιν οἱ κατὰ καιρὸν νεωποῖοι. — Etiam moderatores ludorum fuerunt, id quod commemorabo in § 28. — De neopoeis aliarum civitatum conferantur: Wood, Discoveries at Ephesus 1877, inscriptions from the temple of Diana. — In insula Amorgo: Mitteil. Instit. Athen. I (1876) p. 337 b vs. 24 sq.; p. 342 nr. 10 vs. 15; p. 343 nr. 11, ed. Weil. — De naopoeis Boeoticis cf. Ἀθήναιον IV p. 369, Keil, S. I. B. p. 118 et 125; Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 430 nr. 46, ed. Foucart.

Nr. XV et XVI.

a) Nr. XV.

Fellows, Itin. Lyciae (1840) p. 307; A. Boeckhius, C. I. Gr. II (Addenda et Corrigenda) p. 1113 nr. 2811 b; ex apographo, quod sumpsit Doering a. 1813, ed. Leake, Transactions of Royal Society of Literature, 1843, p. 236 et 293; Le Bas-Waddington, inscript. d'Asie min. (1870) p. 380 nr. 1620 a (in commentario).

. . . . εἰσηγησαμένου τοῦ δεῖνος, ἐπιψηφ]ισαμένου
Τα . . . . . .

[π]αλαιστοῦ παραδ[όξου· ἐπεὶ] Αἴλιος Αὐρήλιος Μένανδρος, [παγκρατι-
αστὴς] παράδοξος καὶ διὰ βίου ξυστάρχης τῶν ἐν Κολω-νείᾳ Ἀντιοχείᾳ
ἀγώνων, ἀθλήσας ἐνδόξως καὶ ἐπιμελῶς ἐπὶ τοσοῦτον δό-ξης προ-
έβη, ὡς πρῶτον μὲν [ἀ]νελέσθαι εὐτυχῶς τοσούτους ἀγῶ-[ν]ας καὶ
δοξάσαι καθ' ἕκαστον ἀγῶνα τὴν [λ]αμπροτάτην πατρίδα αὐτοῦ
κηρύγμα[σ]ιν καὶ στεφάνοις, μάλιστα δὲ καὶ ἐπὶ [θ]εοῦ Ἀντωνείνου,
ὡς οὐ μόνον στε[φανω]θῆναι ταῖς ἐκείνου χερσὶν, ἀλλὰ καὶ [τειμ]αῖς
ἐξαιρέτοις τειμηθῆναι, μεταξὺ [δὲ γ]ενόμενος ξυστάρχης τοσαύτῃ
προ[ν]οίᾳ καὶ ἐπιμελείᾳ μετὰ σπουδῆς ἁπάσης κήδεται τῶν ἡμεῖν
διαφερόντων, τὰ κάλλιστα καὶ ἄριστα πολειτευόμενος ἐν ἡμεῖν,
καὶ διὰ ταῦτα καὶ ἄλλοτε μὲν πολλάκις καὶ τανῦν ἐπαι-νοῦν[τ]ες
τὸν ἄνδρα καὶ μαρτυροῦντες αὐτῷ ψηφίσματα τοῖς κυρί-οις Αὐτο-
κράτορ[σ]ιν πεπόμφαμεν, ἡγούμενοι μεγίστας καὶ ἀνταξίας ἀμοιβὰς
αὐτῷ γενέσ[θ]αι ἀντὶ τῆς περὶ ἡμᾶς εὐνοίας καὶ ὅτι δα-[π]ανήμασιν
ἱκανοῖς καὶ κόπῳ πολλῷ περιεγένετο καὶ διεπράξατο ἀχθῆναι
τὸν ἔναγ[χ]ος ἀγῶνα παρὰ τοῖς Ἀντιοχεῦσιν, ὡς νομίζειν ἡμᾶς
οἴκοθεν παρ' αὐτοῦ ἀνῃρῆσθαι τὰ θέματα. διὰ ταῦτα δε-δόχθαι, τύχῃ
ἀγαθῇ, εὐχαριστῆσαι τῷ Μενάνδρῳ ἐπί τε τῆς ἱερωτάτης βουλῆς
καὶ τοῦ λαμπροτάτου δήμου Ἀφροδεισιέων περὶ τῶν προη-γορευ-

μένων, τειμῆσαί τε αὐτὸν ἀνδριάντων ἀναστάσει καὶ εἰκόνων
ἀναθέσει ἐν τῷ ἐπισημοτάτῳ τῆς πατρίδος τόπῳ, ἐπιγραφησομένων
τῶν τειμῶν τῇ προγραφῇ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος πρὸς τὸ ἀΐδιους
ὑπάρξαι αὐτῷ τὰς παρ' ἡμῶν τειμάς.
Ἔστιν δὲ καὶ πολείτης πόλεων τῶν ὑπογεγραμμένων Περγαμηνῶν,
Ἀντιοχέων Καισαρέων Κολωνῶν. καὶ βουλευτὴς Θηβαίων καὶ
βουλευτὴς Ἀπολλωνιατῶν Λυκίων Θρᾳκῶν, καὶ βουλευτὴς Μειλησίων, Πεσσινουντίων, Κλαυδιοπολειτῶν.
Ἐπιμεληθέντος τῶν τειμῶν Ζήνωνος τοῦ Ἀπολλωνίου τοῦ Μενάνδρου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.

Litterae vulgares. Id decretum synodi athleticae, quae versabatur Coloniae Antiochenorum Caesarensium ad Pisidiam, conceptum esse post mortem Antonini Pii, e vs. 7 efficitur; accuratiora etiam cognoscimus vs. 13/14; patet lapidem annorum 161/169 esse.

b) Nr. XVI.

Primam tituli partem (vs. 1—30) ediderunt: Fellows, Itin. Lyciae (1840) p. 211, cum notis Herm. Wieneri; dehinc Boeckhius, C. I. Gr. II (Addenda et Corrigenda) p. 1112 nr. 2810 b. Totum titulum publicaverunt: Leake, Transactions of Royal Society of Literature (1843) p. 237 et 295, et Le Bas-Waddington, inscript. d'Asie min. (1870) p. 380 nr. 1620 b (in commentario).

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος]
ἐτείμησαν [ταῖς καλλίσταις]
καὶ μεγίσταις τ[ειμαῖς Μάρκον?]
Αἴλιον Αὐρήλιον [Μένανδρον]
ἀθλήσαντα ἐνδόξως [καὶ ἐπιμελῶς, πλει-]
στονείκην, πανκρα[τιαστὴν παρά-]
δοξον, ξυστάρχην, γ[ένους πρώ-]
του καὶ ἐνδόξου, πρῶ[τον καὶ μό-]

νον τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος ἀγ[ωνισαμε-]
νον τριετίᾳ τὰς τρεῖς κρίσ[εις, παῖδα]
ἀγένειον, ἄνδρα, καὶ νεικ[ήσαντα]
ἱεροὺς καὶ ταλαντιαίους κ[αὶ πλείσ-]
τους ἄλλους ἀγῶνας.
Νέαν πόλιν Σεβαστὰ παίδων Κλαυ-
διανῶν πανκράτιν, Νέμεια παίδων
πανκράτιν, Ἴσθμια ἀγενείων πανκρά-
τιν, Ἔφεσον Βαλβίλληα ἀγενείων
πανκράτιν, ἱερὰν Πέργαμον κοινὸν
Ἀσίας ἀνδρῶν πανκράτιν, Ἔφεσον
Βαλβίλληα ἀνδρῶν πανκράτιν, Σμύρ-
ναν κοινὸν Ἀσίας ἀνδρῶν πανκράτιν,
ἑβδόμῃ Παναθηναΐδι Παναθήναια
ἀνδρῶν πανκράτιν πρῶτον Ἀφροδει-
σιέων, Νέμεια ἀνδρῶν πανκράτιν,
καὶ τὰ ἑξῆς Νέμεια ἀνδρῶν πανκρά-
τιν, ἱερὰν Ὀλύμπεια ἐν Ἀθήναις ἀν-
δρῶν πανκράτιν πρῶτον Ἀφροδεισι-
έων, Πύθια ἀνδρῶν πανκράτιν,
Ῥώμην Καπετώλεια Ὀλύμπια ἀνδρ-
ῶν πανκράτιν πρῶτον Ἀφροδεισ-
ιέων.
. . . . εν . . . . οṇ ἀ[νδρῶν πανκράτιν πρῶτον Ἀφ]ροδει[σι-
έων], ... [κοι]νὸν Ἀσί[ας ἀνδρῶν πανκράτιν], Μιτυλή[νην ἀν-
δρῶν παν]κράτιν, Ἀδρα[μύττιον ἀνδρῶ]ν πανκράτιν, ...
[ἀνδ]ρῶν πανκράτιν, ... α ἀνδρῶν πανκράτιν, [Νεικομήδ-]
ειαν ἀνδρῶν πανκράτιν, [Ν]εικέαν ἀνδρῶν πανκράτιν, Προυσιάδα
ἀνδρῶν πανκράτιν, Κλαυδιόπολιν β' ἀνδρῶν πανκράτιν, Ἀνκύ-
ραν [τ]ῆς Γαλατίας ἀνδρῶν πανκράτιν, Πεσσινοῦντα ἀνδρῶν παν-
κράτιν, Δαμασκὸν β' ἀνδρῶν πανκράτιν, Βηρυτὸν ἀνδρῶν παν-

κράτιν, Τύρον ἀνδρῶν πανκράτιν, Καισάρειαν τῆς Στρά-
τωνος
ἀνδρῶν πανκράτιν, Νέαν ·πόλιν τῆς Σαμαρίας ἀνδρῶν
πανκράτιν,
Σκυθόπολιν ἀνδρῶν πανκράτιν, Γάζαν ἀνδρῶν πανκράτιν,
Καισάρειαν Πανιάδα β' ἀνδρῶν πανκράτιν, Ἱερόπολιν ἀν-
δρῶν
πανκράτιν, Ἀναζαρβὸν ἀνδρῶν πανκράτιν, Μοψουεστίαν
ἀν-
δρῶν πανκράτιν, Τρίπολιν τῆς Συρίας ἀνδρῶν πανκράτιν,
Φιλαδέλφειαν τῆς Ἀραβίας ἀνδρῶν πανκράτιν, Ζεῦγμα πρὸς
τῷ Εὐφράτῃ ἀνδρῶν πανκράτιν, Κιβύραν ἀνδρῶν παν-
κράτιν.

„Sur deux faces de la même base" Wadd. Litterae vulgares. Inde a vs. 30 sq. longitudinem versuum singulorum indicare nequeo, cum Waddingtonius versus non distinguat, Leakium inspicere mihi non contigerit. — Versuum 19 et 21 lectionem confirmat J. Franzius in editione apographorum Loewianorum: Annali dell' instituto archeol. XIX (1847) p. 109 nr. 8. Boeckhius igitur magnopere erravit, cum in vs. 21 suppleret *πεντετηρίδι* et subaudiret Panathenaea Ilii acta. — Waddingtonius textum e meliore descriptione Doeringii foras edidit. — Per se intellegitur monumentum eiusdem aetatis esse atque nr. XV; de singulis ansis chronologicis, velut de ea quam vs. 21 offert, in § 19 enarrationis dicendum mihi erit. — Vs. 15 scriptum invenies *πανκράτιν,* Boeckhius reiciebat ad C. I. Gr. nr. 506 pro *φιλημάτιον* — *φιλημάτιν,* nr. 704: *ἐλευθέριν* pro *ἐλευθέριον.* — Vs. 32 *Μιτυλή[νην* exspectatur *υ* — *ι,* cf. not. Waddingtonii. — De aliis rebus cf. § 19.

§ 19 (nr. XV et XVI).

Aetate Antonini Pii, Marci Aurelii, Lucii Veri.

Menander athleta.

Puer Aphrodisiensis, etsi nobili et illustri genere[1]) ortus erat, omni tamen studio et cura artem athleticam capessiverat. Is, nomine Marcus Aelius Aurelius Menander, in pancratio inter

paucos exercitatus et spectatus, brevi tantam sibi conflarat existimationem, ut appellationem paradoxi sibi iure vindicare posset. — *Παράδοξος* honoris vocabulum, quod in nullo fere titulo athletico[2] non adhibetur, quid sit, discimus ex rhetoricis Aurelii Augustini (Rhetores latini minores ed. C. Halm, p. 147): „*παράδοξος*, quod nos opinionis malae possumus dicere: tametsi quidam parum diligenter graece loquentes paradoxa pro his, quae sunt bonae opinionis, accipiunt: unde vulgo etiam Olympionicas et ceteros victores Graecorum et sacrorum certaminum paradoxos vocant, magis consuetudine quam ratione ducti. Nam, ut opinor, *παράδοξον* est, quod *παρὰ τὴν δόξαν*, contra opinionem bonam.“[3] — Huic nomini, postquam e certaminibus permultis hic illic celebratis victor excesserat, alium plistonicae[4] adiungere poterat. Memorabile sane est linguam Graecam ad homines eius generis breviter apteque designandos vocem peculiarem peperisse. Necnon operae pretium erit statuere, quibusnam in certaminibus plistonica ille prodierit, id quod facile perspici licet e catalogo victoriarum, qui primo loco agones oecumenicos tempore ordinatos exhibet, deinde ludos minoris auctoritatis enumerat. Aetates ordine solito se excipiunt. Evidentiae causa rem in conspectu ponam, cum explicationes singulas interdum differam.

Catalogus
ludorum gymnicorum, quibus vicit Menander.

I. Agones oecumenici.

A. Pancratio puerorum.

Italia	Neapolis, Augustalia	pancratio puerorum Claudianorum.	
Graecia	Nemea.		
		in summa:	*puer vicit bis.*

B. Pancratio imberbium.

Graecia	Isthmia.		
Asia	Ephesus, Balbillea.		
		in summa:	*imberbis vicit bis.*

C. Pancratio virorum.

Asia.	Pergamum.	sacris certaminibus a communi Asiae actis.
	Ephesus, Balbillea.	
	Smyrna.	certaminibus a communi Asiae celebratis.
Graecia	Athenae, Panathenaea VII.	primus Aphrodisiensium.
	Nemea.	
	Nemea.	
	Athenae, Olympia.	sacro certamine primus Aphrodisiensium.
	Pythia.	
Italia.	Roma, Olympia Capitolina.	primus Aphrodisiensium. Imperator Antoninus Pius coronat ipse Menandrum.
?	desunt aliquot versus; vicit alicubi, neque scio quibus ludis, primus Aphrodisiensium.	
Asia.	?	ullo certamine a communi Asiae edito.
		in summa: *vir vicit undecies + ?*

Ludis oecumenicis vicit quindecies + ?

II. Agones minores.

Lesbos	Mytilene	
Mysia	Adramyttion	
?	?	vicit pancratio
?	?	vicit pancratio

Bithynia	Nicomedia	
	Nicaea	
	Prusias	
	Claudiopolis	
	Claudiopolis	
Galatia	Ancyra	
	Pessinus	
Coele-Syria	Damascus	
	Damascus	
Phoenice	Berytus	
	Tyrus	
Palaestina	Caesarea Stratonis	
	Neapolis Samariae	
	Scythopolis	
	Gaza	
	Caesarea Panias	
	Caesarea Panias	
Syria	Hieropolis	
Cilicia	Anazarbus	
	Mopsuestia	
Syria	Tripolis	
Arabia	Philadelphia	
Syria	Zeugma ad Euphraten	
Phrygia aut Pamphylia?	Cibyra	
	in summa:	*vir vicit duodetricies.*

Ludis minoribus vicit duodetricies.

Ludis *et* oecumenicis *et* minoribus
vicit *vir* . . . . *undequadragies* + ?
Ludis oecumenicis vicit *puer*. . . . *bis.*
Ludis oecumenicis vicit *imberbis* . . *bis.*

Menander pancratiastes plistonica vicit: quadragies ter + ?

Haec tabula non una tantum parte fructuosa est. Non solum numerum victoriarum Menandri magnum et urbes, quae

aevo Antonino celebritate ludorum homines et artifices et spectatores alliciebant et attrahebant, cognoscimus, sed memorabile etiam existimo, quam latum artis suae campum pancratiastes ille sibi delegerit. Ab Aphrodisiade oriundus Euphraten biberat, ad Tiberim e manu Caesaris coronam acceperat, Arabes[5]) non minus affecerat admiratione quam Athenienses. Quos triumphos quibus annis deportaverit, non plane in indice reticetur. Etenim Athenis bis vicit et Panathenaea magna et Olympia primus Aphrodisiensium. Superior est victoria Panathenaica, quam nanctus est tum, cum Panathenaea septimum acta sunt. Inde a quo tempore computandum sit, quaestio est difficilis sane diiudicatu. Ansa datur victoria Romana, quam Menander, postquam ex septima Panathenaide quattuor novas victorias adeptus est, sub oculis Antonini Pii etiamtum regnantis tulit (cf. tab.). His indiciis monumenti propositi, adhibitis aliis testimoniis, usus est G. Dittenberger[6]) ad sagacissimam disquisitionem aerae Panathenaicae. Probabiliter exposuit, Panathenaidas non ab Hadriani Athenas adventu, sed ab agonothesia Herodis Attici numeratas esse, quae in annos p. Chr. n. 126/7 = Ol. 226, 2 incidit. Quod initium aerae si constat, necesse est Menandrum Panathenaea magna pancratio vicisse annis 150/1 = Ol. 232, 2, id quod optime quadrat ad annum, quem agon Capitolinus flagitat. Is autem, cum intervallum inter victoriam Panathenaicam atque Capitolinam quattuor certaminibus expleatur, anno 154 p. Chr. n. actus esse mihi videtur idque aestate nova.[7]) Credi sane potest anno demum 158 p. Chr. n. Menandrum Romae vicisse, si quidem unus alterve ludorum minoris celebritatis — id quod certo sciri nequit — annis interiectis assignandus est. Palmae autem, quas et puer et imberbis tulit, pertinent ad tempus ante victoriam anni 150/51; quantum vero hoc spatium fuerit, determinari non iam licet. Rursus compertum habemus Menandrum omnium primum fuisse, qui per triennium cum pancratiastis omnium trium aetatis ordinum[8]) (παῖδας, ἀγενείους, ἄνδρας) in certamen descendit (nr. XVI vs. 7 sq.), unde efficitur, ut puer et imberbis non ita multo ante eos agones certaverit, quibus vir id fecit. Ad virorum autem certamen quo saeculi anno primum admissus sit, idcirco obscurum manebit, quod in lapidibus nulla insunt indicia, quibus nixi victorias minores per certam seriem singu-

lorum annorum distribuere possimus. Quae cum ita sint, in universum affirmari licet, Menandrum iam aliquot annis ante 150/151 certavisse, ab artificio suo recessisse intra annos 161/169.

Tempus et numerum victoriarum cognovimus. Restat ut de singulis rebus quae in tabula illa notabilia sunt, paucis disseramus. Statim ab initio haerebis in *παίδων Κλαυδιανῶν* (*παγκράτιν, Νέαν πόλιν Σεβαστά,* nr. XVI vs. 13/14). — De ludis Neapolitanis, quae Augustalia vocantur, commentatus est F. Mie[9]) et in capite IV p. 47 de pueris quoque Claudianis locutus est. Denominatio igitur derivanda est ab imperatore Claudio, cuius memoriam Neapolitani propterea in ordine puerorum speciali retinebant, quia Claudius ipse in ludis Neapolitanis musicis gymnicisque certavit[10]) necnon, cum anno 42 p. Chr. n. comoediam Graecam docuit, de sententia iudicum coronatus est.[11]) — Balbillea[12]) porro Ephesia in honorem Barbilli astrologi a Vespasiano instituta sunt. Iuxta formam *Βαλβίλληα* (C. I. Gr. nr. 2741, 3208, 3675, 5913) exhibetur etiam *Βαρβίλλεια* C. I. Gr. nr. 5916 et *Βαλβίλλεια* C. I. Gr. nr. 5804. Semel etiam in lapide Atheniensi: *Βαρβύ[λ]λεια,* C. I. A. III [1878] ed. Dittenberger nr. 127. — Ad „sacrum“ certamen Pergamenum a communi Asiae actum reddo Boeckhii adnotationem, qui existimavit adpositae voculae *ἱεράν* singulare quiddam subesse, sollemnia fortasse speciatim imperatori consecrata fuisse. In vss. 19 et 20 sane *ἱερὰν* deest in ludis Smyrnaeis ab eodem communi Asiae concelebratis. Quae cum ita sint, credam potius „sacrum“ illud certamen Pergamenum referendum esse ad agonem ab Augusto principe urbi concessum, cuius mentio fit apud Dionem Cassium, lib. 51, 20, 9: *ἔλαβον καὶ οἱ Περγαμηνοὶ τὸν ἀγῶνα ἱερὸν ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν.* — Olympia Athenis ex Hadriani tempore inveniuntur; de Capitolinis Olympiis Romae florentibus ex anno p. Chr. n. 86 satis habeo laudasse: Friedländer, Sittengeschichte II[5] (1881) p. 437—439. Tandem affero Menandrum Olympionicam Pisaeum non fuisse, quamquam victor discessit in ludis, qui Olympiis Eleis non ita multum post habebantur, veluti Pythia, Capitolina, Augustalia. Nolo omittere, eum tribus festis auctoritate clarissimis primum Aphrodisiensium vicisse: Athenis Panathenaea magna

et Olympia, Romae Capitolina; idem quartum etiam ei contigit, sed ignotum est, quibus sollemnibus.

Cum ludos minores persequi a me alienum sit (cf. Le Bas-Waddington nr. 1839), recurro nunc ad vitam Menandri enarrandam, de qua nonnulla etiam in lapidibus significata reperimus. Etenim Antoninus Pius et Caesares, qui ei in imperio succedebant, Aphrodisiensem illum non e conspectu amittebant; gratia principis dignitate xystarchae[13]) ornatus est et per vitae tempus manebat xystarcha collegii athletarum, qui Antiochiae Pisidiae certaminibus instaurandis prospiciebant. Putari potest, illos socios fuisse magnae illius synodi totum imperium circummigrantis, quam in § 17 cognovimus. Quod si ita est, Waddingtonius recte conclusit fuisse „présidents locaux, chargés d'organiser les jeux dans leurs localités respectives". Idem observari potest in titulo Smyrnaeo, C. I. Gr. nr. 3206: *τειμηθεὶς δὲ ξυσταρχίαις παρὰ τῶν κυρίων Σεββ. ἐν τῇ λαμπρᾷ Φιλαδελφέων πόλει καὶ ἐν τῇ λαμπρᾷ Βυζαντίων πόλει.* — Et optime eum res sodalicii administravisse apertum est; laudatur (nr. XV) ob prudentiam, diligentiam, indefessam operam curamque, quam in utilitate ac salute societatis consumpserit. Imprimis vero gratiam meruerat, cum quondam celebrationi ludorum Antiochensium difficultates obstiterunt. Non sine multis molestiis tandem transegerat ac pervicerat, ut festum ederetur atque adeo ingentibus suis impendiis.[14]) Credi paene poterat non Antiochenses sed xystarcham de sua ipsum pecunia praemia athletis proposuisse. Videmus, quid interdum a xystarcha exspectatum sit. Concilii vero scitu laudes eius ad imperatores tunc regnantes M. Aurelium Antoninum et Lucium Verum per litteras nuntiatae sunt, cum sodales spe tenerentur fore ut beneficia antistitis sui favore principum cumulate remunerarentur. Cui desiderio quemadmodum satisfactum sit, ignoramus. Aliunde autem Menander eos honores accepit, quos sodales pro eo exoptaverant. Qui cum litteras misissent ad senatum populumque urbis Aphrodisiadis, quibus cives Menandri certiores fecerant de eximiis meritis illius et honores primos pro rectore suo expetierant, paulo post responsum tulerunt secundum. Etenim decretum erat, ut statuae et imagines praeclari hominis loco celeberrimo patriae ponerentur, et — ne forte aerarium necesse esset aperiri —

Zenon, frater viri, impensas ortas in se receperat.[15]) Marmori autem incisa erant primum verba decreti, quod synodus miserat, tum subsequebatur plebiscitum Aphrodisiensium, qui victorias plistonicae accuratissime insculpendas curaverant. Nam quotienscunque praeco Menandrum victorem renuntiavit, patriae fama non minus pervagata est. Conspicuum denique signum saeculi ac nota cernitur in clausula tituli (nr. XV). Quid? si observamus certam viam, qua quis foris ad honores et civis et senatoris pervenerit, per stadia duxisse et palaestras. Eadem ratione Menander et Pergami et Coloniae Antiochenorum Caesarensium civitate donatus ac senator electus erat a Thebanis, Apolloniatis, Milesiis, Pessinuntiis, Claudiopolitanis (de Claudiopolitanis cf. adnot. Waddingtonii). Et permulta eiusdem generis exempla enumerare possum, e quibus pauca tantummodo seligam. Apud Ephesios athleta honoratur „*ἀνδριάντι καὶ βουλῇ*", Wood, Inscriptions from the great theatre p. 70 nr. 20, alius nominatur *Σμυρναῖος καὶ Τραλλιανὸς καὶ Ἀργεῖος καὶ Λάτμιος,* in titulo Tralliano, Papers of the american school I (1882—1883), 1885, p. 106 nr. IX, ed. Sterrett; nonnumquam maiores tantum civitates nuncupantur et in fine additur *καὶ ἄλλων πόλεων πολλῶν πολείτης*[16]), quin etiam pueros victores senatoris appellationem accepisse colligi licet e titulo Sagalassio: *Σαγαλασσέα* | *καὶ Κλαυδιοσελευκέα* | *καὶ Τιμβριαδέα βουλευτικὸν* | *νική*|*σαντα καὶ συνστεφα*|*νωθέντα παίδων πανκρά*|*τιον κ. τ. λ.*, Monatsber. d. Berl. Acad. 1879 p. 309, ed. G. Hirschfeld.[17])

Ex his, quae attuli, satis apparet eiusmodi honores non inauditos fuisse. — Avertamus nunc animos a Menandro Aphrodisiensi, qui ad suas res gestas transferre potuit, quod de alio athleta semel dictum est: *ἀγωνισάμενος ἐν ἔθνεσιν τρισὶν Ἰταλίᾳ, Ἑλλάδι, Ἀσίᾳ* (C. I. Gr. nr. 5913 vs. 17).

Adnot. 1)

Menander
|
Apollonius
|
Menander — Zenon.

De familia vide Indices meos sub: „nomina virorum et mulierum". — Quin etiam imperatores ipsos agonibus concertavisse constat inter omnes. — In titulo Tralliano filium Asiarchae victorem videmus esse, cf. *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη* 1876 p. 49 nr. *ρξη'* (= *Ὅμηρος* I

p. 380): ..... υἱὸν ..... Ἀσιάρχον, ἄνδρα ἀγαθὸν Πυθιονείκην κ. τ. λ.

2) Cf. Indices ad C. I. Gr. s. v., p. 158. — C. I. Gr. nr. 3427.

3) In Thesauro linguae Graecae s. v. παράδοξον haec verba falso rhetori Curio Fortunatiano tribuuntur. Immo vero hoc loco laudandum fuit: „Aurelius Augustinus, Antiqui rhetores latini ed. Caperronnerius p. 326".

4) πλειστονείκης, cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. p. 159.

5) Quo iure in lapide nr. XVI vs. 45 τῆς Ἀραβίας adponi potuerit, exposuit Waddingtonius: „Philadelphie de l'Arabie est la ville de la Pérée, dont le nom indigène était Rabbath-Ammon, et dont les ruines portent encore aujourd'hui le nom d'Ammân. Au second siècle elle faisait partie de la province de Syrie, selon Ptolémée, et ses médailles portent la légende ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΚΟΙΛΗΣ ΣΥΡΙΑΣ; comme elle était située sur les confins de la province d'Arabie, on pouvait l'appeller Φιλαδέλφεια Ἀραβίας pour la distinguer des villes homonymes de la Lycie et de la Cilicie, mais il ne faudrait pas en conclure, qu'elle faisait partie de la province d'Arabie."

6) „Die attische Panathenaiden-Aera" in „Commentationes philologae in honorem Theodori Mommseni, 1878, p. 242—253". Cf. August Mommsen in: Bursian-Müller, Jahresberichte über die griech. Sacralaltertümer XV (1887 [88]) p. 348—350.

7) L. Friedländer, Sittengeschichte II^5 p. 437: „..... in vierjährigen Perioden abgehalten und zwar, um die Beteiligung überseeischer Preisbewerber zu ermöglichen, während der Zeit der Schifffahrt, wie es scheint, im Frühsommer" et adnot. 8.

8) Cf. C. I. Gr. nr. 4472: ἀπὸ πάσης κρίσεως ἀγωνισάμενος (= Le Bas-Waddington nr. 1839).

9) „Quaestiones agonisticae, imprimis ad Olympia pertinentes". Dissert. Rostoch. 1888.

10) Cass. Dio 60, 6.

11) Sueton. Claud. 11.

12) Cass. Dio 66, 9. — Wood, Discoveries at Ephesus, inscriptions from the great theatre, 1877, p. 56 nr. 12; nr. 20. — Praeterea vide § 22 B, α.

13) ξυστάρχης, cf. Dittenberger, Hermes XII (1877) p. 19 sq.: „Ernennung steht dem Kaiser zu". Cf. tit. Olymp., Archäol. Ztg. XXXVI (1878) p. 94 nr. 148. Grasberger, Erziehung und Unterricht III p. 483. — ξυσταρχία, cf. C. I. Gr. nr. 3206 et 3678. — ξυστάρχης, cf. Le Bas-Waddington nr. 648 = C. I. Gr. nr. 3422, titulus ad Philadelphiam Lydiae pertinens.

14) Eo facilius tolerare ea potuerit, quod certum est victoriis latis in agonibus, quos vocant ταλαντιαίους, magnam vim argenti sibi peperisse. Ceterum de diversis generibus certaminum et praemiorum alio loco disputandum mihi erit (§ 21).

15) Talia frequentius in titulis inveniuntur. Cf. Papers of the american school vol. III (1884—85), 1888, ed. Sterrett: Kara-Baulo, p. 295 nr. 416: . . . . . τὸν ἀξιολογώτατον ἀγωνοθέτ[ην] θέμιδος τρίτης Ἐπινεικίου Τυχείου. καθ' ἃ αὐτὴ μ[ὲν] ἐψηφίσατο ἐκ τῶν δημοσίων γενέσθαι πόρ[ων] τὸν ἀνδριάντα ἡ πόλις. αὐτὸς δὲ ἐκ τῶν ἰδίων ἀναλωμάτων ἐποίησεν, μηδὲ ἐν τούτῳ βαρήσας τὴν πόλιν κ. τ. λ. Hic igitur honoratus ipse honores suos persolvit.

16) Idem musicis artificibus obvenisse docet titulus Cyzicenus: Mitt. Inst. Athen. VII (1882) p. 255 nr. 26, ed. Mordtmann. Cf. Le Bas-Waddington nr. 1839 = C. I. Gr. Add. nr. 4472 p. 1172. — Necnon titulus prope Spartam repertus, C. I. Gr. nr. 1430: ἡ πόλι[ς] . . . . . τὸν ἴδιον πολείτην, νε[ι]κήσαντα τραγῳδοὺς Οὐράν[ια μεγ]άλα γ' καὶ Π[ύ]θια καὶ Ἄκτια καὶ κοινὰ Ἀσίας καὶ τοὺς λοιποὺς ἀγῶνας πενταετηρικούς τε καὶ [τ]ριετηρικοὺς πολειτευθέντα δὲ ἐ[ν ὅλ]ῃ τῇ Ἑλλά[δ]ι καὶ Μακεδονί[ᾳ] καὶ Θεσσαλίᾳ.

17) L. Friedländer, Sittengeschichte II[5] (1884) p. 451; Scherer de Olympionicarum statuis, diss. Gotting. 1885 p. 9.

Nr. XVII, XVIII, XIX.

a) Nr. XVII.

Ed. A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 531 nr. 2820 A; descriptionem Falceneri dedit Henzen, Annal. Inst. archeol. 1852 p. 127. Ex apographo Waddingtonii: Le Bas et Waddington, inscriptions d'Asie mineure (1870) p. 394 nr. 1602 et in comment. p. 373 ad nr. 1602, „b".

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ ἡ γερου[σία
ἐτείμησαν ταῖς πρώταις τειμ[αῖς
Τάταν Διοδώρου τοῦ Διοδώρου το[ῦ Πο-
σειδέοντος, ἁγνὴν ἱέρειαν Ἥρας διὰ βίου,
μητέρα πόλεως, γυναῖκα γενομένην
καὶ μείνασαν Ἀττάλου τοῦ Πυθέου
στεφανηφόρου, καὶ αὐτὴν γένους πρώ-
του καὶ λαμπροῦ, ἱερατεύσασαν τῶν
Σεβαστῶν ἐκ δευτέρου, ἀλείψασαν
δὶς δρακτοῖς ἐκ λουτήρων ἐπιρύτοις
δαψιλέστατα τὸ πλεῖστον μέρος καὶ τῆς
νυκτός, στεφανηφορήσασαν, θύσασαν
παρ' ὅλους τοὺς ἐνιαυτοὺς ὑπὲρ τῆς ὑγεί-
ας τῶν Σεβαστῶν, ἑστιάσασαν τὸν δῆμον

πλεονάκις καὶ πανδήμοις κατακλίσεσιν,
ἔν τε τοῖς θυμελικοῖς καὶ σκηνικοῖς ἀγῶ-
σιν τὰ πρωτεύοντα ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἀκροά-
ματα αὐτὴν πρώτως ἀγαγοῦσαν καὶ δεί-
ξασαν τῇ πατρίδι, ὡς ἐπὶ τὴν δεῖξιν τῶν
ἀκροαμάτων συνελθεῖν καὶ συνεορτά-
σαι τὰς ἀστυγειτνιώσας πόλεις, γυναῖκα
μηδενὸς ἀναλώματος φεισαμένην, φι-
λόδοξον, ἀρετῇ, σωφροσύνῃ κεκοσμημένην.

In muro urbis, in extera parte stadii. — Versus 13/14 docent Tatam annis 161/169 sacra curasse pro bona valetudine M. Aurelii Antonini et L. Veri Augustorum, quo aetas mulieris circumscripta est. — Vss. 9/10: respice hoc signum: *ἀλείψα-σαν|* δὶς**, item vs. 17/18: *ἀκροά|* ματα*. — Vs. 17: Boeckhius et Lebasius (in textu maiusculis quas vocant litteris exhibito): *πρωτεύοντα*, Waddingtonius in transscripto textu: *πρῶτα*. Sed ratione spatii habita *πρωτεύοντα* retinui. — S. Reinach inscriptionem compendio suo adiunxit, mendosis lectionibus usus (Traité d'épigraphie grecque, 1885, p. 111).

b) Nr. XVIII.

Ex Sherardianis et Spanhemianis (vss. 1—10) ed. Boeckhius, C. I. Gr. II p. 529 nr. 2814.

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος
καὶ ἡ γερουσία ἐτεί-
μησαν ταῖς [πρώταις τειμαῖς] Ἀμμίαν
Ἀττάλου τοῦ Πυθέ-
ου, γένους πρ[ώ]του
καὶ συνεκτικότος
τὴν πατρίδα, ἐν γυ-
μνασιαρχίαις καὶ στε-
φανηφορίαις γεγονό-
τος, γυναῖκα γενομέ-
νην Ἀδράστου τοῦ
Νεικοτείμου τοῦ Ἀρ-
τεμιδ[ώ]ρου τοῦ Ζήνω-
νος Ἱέρακος, τοῦ στεφ-

ανηφόρου καὶ φιλοδό[ξ]ου,
ζήσασαν σωφρόνως
καὶ πρὸς ὑπόδειγμα ἀ-
ρετῆς. τὰς δὲ τειμὰς
ἀνέθηκεν Ἄδραστος
Νεικοτείμου ὁ ἀνὴρ
αὐτῆς.

Ad austrum urbis titulus repertus est. Non ita multo post lapidem antecedentem hic exaratus est, id quod e § 20 facile intellegi poterit.

c) Nr. XIX.

Ex apographo, quod fecit Deering anno 1813, ed. Leake: Transactions of the Royal Society of Literature, 1843, p. 235 et 290; deinde Le Bas-Waddington: inscriptions d'Asie mineure (1870) p. 374 nr. 1602 a (in commentario Waddingtonii).

Οἱ νέοι [ἐτείμ]ησαν ταῖς καλλίσταις καὶ μεγίσταις καὶ πρώταις τειμαῖς
Ἄδραστον Νεικοτείμου τοῦ Ἀρτεμιδώρου τοῦ Ζήνωνος Ἱέρακος, υἱὸν
νέων, ἄνδρα μέγαν φιλόπατριν καὶ φιλοπολείτην καὶ εὐεργέτην καὶ
κτίστην γεγονότα διὰ προγόνων τοῦ δήμου, ἀρχιερατεύσαντα τῶν Σε-
βαστῶν, γυμνασιαρχήσαντα δὶς δρακτοῖς ἐλαίοις ἐπιρύτοις ἀνελλιπῶς,
στεφανηφορήσαντα δίς, ἀγωνοθετήσαντα τρίς, ἀγορανομήσαντα
τετράκις, κτίστην, πρεσβεύσαντα πλεονάκις ὑπὲρ τῆς πατρίδος, γενό-
μενον ἔκδικον δημοσίων πραγμάτων, πεποι[η]μένον ἑστιάσεις καὶ ἐπι-
δόσεις ἐκ τῶν ἰδίων πολυτελεῖς, διά τε τὴν πρὸς τὴν πατρίδα δι[η]νεκῆ
εὔνοιαν καὶ διὰ τὴν πρὸς τοὺς νέους φιλάγαθον διάθεσιν, [ζ]ῶντα πρὸς
ὑπόδειγμα ἀρετῆς. Τὴν δὲ ἀνάθεσιν τοῦ ἀγάλματος πεποιῆσθαι τοὺς

νέους ἐκ τῶν ἰδίων, ἐπιμεληθέντος Ἑρμογένους τοῦ Ὑψι-
κλέου[ς
φύσε[ι] δὲ Ἑρμοῦ τοῦ γραμματέως τῶν νέων, ἐργεπιστα-
τήσαντος
Παμφίλου τοῦ Ἀρτέμωνος Κροκίωνος.

Ignoro longitudinem versuum, quippe quos Waddingtonius non internoverit; Leakii exemplum praesto mihi non fuit. — Adrastus hic honoratus superstes fuit Ammiae uxori, cui titulus superior positus est.

§ 20 (nr. XVII, XVIII, XIX).

Sub Marco Aurelio Antonino.

Familia promerita de re gymnica et agonistica.

Priusquam liberalitates in medium proferam, quibus hoc genus, cuius nunc mentionem inicere volumus, cives sibi obligavit, inutile non erit, genealogiam quam vocant conficere.

	Posideon, nr. XVII	Hierax, nr. XVIII
	Diodorus, nr. XVII	Zenon, nr. XVIII
Pytheas, nr. XVII	Diodorus, nr. XVII	Artemidorus, nr. XVIII
Attalus, nr. XVII ⌣	Tata, nr. XVII	Nicotimus, nr. XVIII ⌣ ×
Ammia, nr. XVIII ⌣		Adrastus, nr. XIX

Hi igitur homines erant de honestissimis et electis populi Aphrodisiensium. Et gymnasiarchi et stephanephori et alteri urbis conditores inter eos praelucent. Duo autem potissimum nos detinent, socrus et gener. Adrastus enim filiam Tatae et Attali in matrimonium duxerat. Atque primum videamus de Tata, cuius vita satis clare perspici potest.

1. Merita mulieris.

a) Largitio unguenti.

Tata sacerdos perpetua Iunonis erat, quo cum sacerdotio coniunxerat bis flaminium Caesarum regnantium. Et duobus his annis puto accidisse, ut singulari largitate oleum multitudini

distribueret, id quod in lapide hisce verbis expressum est: *ἀλείψασαν δὶς δρακτοῖς ἐκ λουτήρων ἐπιρύτοις δαψιλέστατα τὸ πλεῖστον μέρος καὶ τῆς νυκτός.* Opus erit hoc enuntiatum acrius contemplari. De voce *δρακτοῖς* cf. § 18 c. Ex eius ambiguitate laborabit etiam explicatio verborum *δρακτοῖς ἐκ λουτήρων ἐπιρύτοις,* cetera non difficile erit expedire. *Λουτήρ*[1]) igitur aut vas ad lavandum significat aut pelvis omnino est, verba inter se coniuncta intelligenda erunt: „manipulis e pelvibus affluentibus, mit Oelportionen, die zuflossen aus Kufen". Recte Waddingtonius arbitrabatur vasa posita esse, e quibus iuge oleum fluxisset; unusquisque ad libidinem, quotiens volebat, hauriebat. Ergo *δρακτά* certum demensum significare non possunt, immo vero portio quaelibet seu maior seu minor hoc vocabulo artis gymnicae proprio designatur. Etiam in titulo C. I. Gr. Add. 3871, b = Le Bas-Waddington nr. 730 habes: *ἀλείψασαν δὶς δρακτοῖς καὶ ἐπιρύτοις.* Ceteroquin *ἐκ λουτήρων,* quod positione verborum solum ad *ἐπιρύτοις* pertinere videtur, etiam cum verbo *ἀλείφειν* coniunctum esse, docent tituli, velut: Le Bas-Waddington nr. 1011, pertinens ad Ancyram (?) (Phrygiae, cf. C. I. Gr. Add. 3847 b): *γυμνασιαρχήσαντα καὶ ἀλείψαντα τὸν δῆμον ἐκ λουτήρω[ν]*; nr. 1040, titulus Ilii novi repertus: *ἀλείψαντα ἐκ λουτήρων [παν]δημεί* (= C. I. Gr. nr. 3616, cf. etiam 3617). Pro *λουτήρων* invenio *ληνῶν* in titulo Erythraeo Ioniae: *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη* (1876—78), 1878, p. 28 nr. *σκη'*: *γυμνασιαρχήσασαν καὶ ἀλείψασαν ἐκ ληνῶν.*

De elocutione *ἑλκυστῷ ἐλαίῳ* et similibus (C. I. Gr. nr. 2719, Le Bas-Waddington nr. 517, Dittenberger: Archäol. Ztg. 1878 nr. 145, Bulletin X (1886) p. 160 nr. 8) in titulis Stratonicensibus disserendum mihi erit. Restat hoc loco, ut paucis dicam de verbis: *δαψιλέστατα τὸ πλεῖστον μέρος καὶ τῆς νυκτός.* Tata igitur non solum per diem oleum abundantissime apposuit, sed distributionem per maximam etiam partem noctis continuavit. Neque plane insolitum erat sollemnia ad multam noctem celebrare, ut ex compluribus testimoniis epigraphicis elucet[2]), veluti: titulus Stratonicensis, Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 376 ed. Deschamps et Cousin, praebet: *καὶ τὴν ἑορτὴν τῶν Παναμαρείων τὰς δέκα ἡμέρας ἐγυμνασιάρχησαν πάσῃ τῇ πανηγύρι νυκτός τε καὶ ἡμέρας ἀκωλύτως κ. τ. λ.*; ibidem p. 379 nr. 2, p. 383

nr. 3, ubi diserte de oleo distributo dicitur. Saepius in lapidibus inscriptis legimus oleum per diem aut per certas diei horas praebitum esse; cuius generis exempla invenimus in inscriptionibus urbium insequentium: Trallibus, Papers of the american school, vol. I (1882—83), 1885, ed. Sterrett, p. 96 nr. II (=Ὅμηρος 1874 p. 29): *θέντα ἔ[λα]ιον δι' ὅλης ἡμέρας.* — **Ancyrae**, C. I. Gr. nr. 4025: *μόνον τῶν πρὸ αὐτοῦ δι' ὅλης ἐλεοθήσαντα τῆς ἡμέρας κ. τ. λ.* — **Argis**, C. I. Gr. nr. 1123 vs. 8 sq.: *καὶ μόνον καὶ πρῶτον θέντα ἔλαιον ἔν τε γυμνασίοις καὶ βαλανείοις δούλοις τε καὶ ἐλευθέροις ἀπὸ ἀνατολᾶς ἁλίου μέχρι δύσεως*; ibid. nr. 1122 vs. 14 sq.: *τό τ' ἔλαιον θέντα ἐν παντὶ γυμνασίῳ καὶ βαλανείῳ ἀδεῶς ἀπὸ πρωΐας ἄχρις ἡλίου δύσεως παντὶ ἐλευθέρῳ καὶ δούλῳ ἐκ τῶν ἰδίων.* — **Attaliae** Lydiae, Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 400, ed. Radet et Lechat: *ἀπὸ ὥρας α' ἕως ε' [τ]εθήσεται τὸ ἔλεον κ. τ. λ.* (praecedunt p. 399 verba: *καθ' ἕκαστον ἔτος ἡμέραν μίαν. Μ(ηνὸς) [Ξ]ανδικοῦ δ' ἀπιόντος*). — Pluribus diebus oleum praebet **Cous** quidam, Annuaire de l'association ... des études grecques en France IX (1875) p. 280 nr. 6, ed. Rayet: *ἀλείψαντά τε φιλοτε[ίμ]ως πλείοσιν ἁμέ[ραις] τὰν πατρίδα.* — Per quattuor menses unguentum donatur C. I. Gr. nr. 4039 vs. 36 (titulus Ancyranus est): *ἔ[λαιον] ἔθηκεν μῆνας τέσσαρας.* — Nonnumquam talis liberalitas per totum annum non desiit, veluti: *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη* (1876—1878) p. 28 nr. *σκη'*, in titulo **Erythraeo** legitur: *παρ' ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν δι' ὅλης ἡμέρας πρώτην καὶ μόνην* et C. I. Gr. nr. 2906 in titulo **Priennensi**: *ἀλείψειν δι' ἐνιαυτοῦ πολίτας ἅπαντας καὶ τοὺς ἐφηβευκότας τῶν παροίκων καὶ [Ῥω]μαίους ἅπαντας.* — Notissimus est titulus **Ancyranus** C. I. Gr. nr. 4039, in quo unctiones *δι' ὅλου τοῦ ἐνιαυτοῦ* commemorantur vs. 40, vs. 54/55: *ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ*, vs. 58, vs. 61, vs. 63/64, vs. 70, vs. 75, vs. 83, vs. 86.

Similibus his documentis allatis iam apparere puto sumptus a Tata in unctiones impensos non singulares quidem fuisse, attamen modum usitatum excessisse.

b) Agones thymelici et scenici, ab urbibus vicinis concelebrati.

Prorsus vero novo genere largitionum Tata cives suos

assuefecit, cum institueret, quod in monumento eius honorifico inde a versu 16 usque ad versum 21 proditum est memoriae. Etenim haec prima omnium, cum certamina et thymelica et scenica instaurarentur, de suis ipsa opibus acroamata in Asiae praecellentissima arcessiverat, quo apparatu ludorum eximio incolae urbium vicinarum ita attracti erant, ut Aphrodisiadem confestim concurrerent et sollemnia concelebrarent.

Sic fere in lapide traditur. Quam in rem si magis penetraverimus, nonnulla lucrabimur.

Theatrum Aphrodisiade fuisse alio loco iam vidimus. Nunc primum audimus de diversis generibus certaminum musicorum[3]) ibi actorum. Et secernuntur *θυμελικοὶ* et *σκηνικοὶ ἀγῶνες*. Qua ratione inter se differant, quaeritur. Discrimen cognoscimus e verbis Vitruvii, qui V, 8 dicit: „apud eos (Graecos) tragici et comici actores in scena peragunt; reliqui autem artifices suas per orchestram praestant actiones; itaque ex eo scenici et thymeli Graece separatim nominantur.“ Ergo *θυμελικοὶ ἀγῶνες* ii habendi sunt, in quibus „reliqui artifices“ prodibant, veluti: *κιθαρῳδός, Πυθικὸς αὐλητής, κύκλιος αὐλητής* alii (cf. m. s. nr. XXXVII); contra *σκηνικοὶ ἀγῶνες* ii sunt, in quibus et histriones et poetae artem suam ostentant (cf. m. s. nr. XXXVII).[4]) Iam novimus, qualis fere natura ludorum fuerit, in quibus Tata „*τὰ πρωτεύοντα ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἀκροάματα πρώτως*“ *ἤγαγεν καὶ ἔδειξεν τῇ πατρίδι*. Hoc loco statim ab initio patet artifices non ut certamina, quibus interfuerunt, in duas classes separatos esse, sed commune iis nomen inditum esse „*ἀκροάματα*“, quippe quod quadret ad utrumque genus. Quodsi scire cupimus, unde haec mulier divitiis praepollens artifices necessarios adepta sit, etiamsi titulo proposito destituimur, ex aliis tamen testimoniis epigraphicis probabilem coniecturam capere possumus. Etenim inter omnes constat iam ex aevo Alexandrino collegia musicorum artificum[5]) fuisse, quibus et poetae et histriones et musici proprie dicti et alii etiam ascripti esse solebant. Inter synodos eius generis saeculo de quo nunc agitur duae potissimum excellentes fuerunt, dico collegium Teium, ex longo tempore atque Severi etiam aetate florens, et universalem illam societatem, quae ex Hadriani principatu si non omnes at tamen plurimas ceteras sodalitates cum suo corpore coniunxerat. His nomen erat *τὸ*

κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου (C. I. Gr. nr. 3067), illi appellabantur *οἱ ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διόνυσον καὶ Αὐτοκράτορα* . . . . (sequuntur nomina) *τεχνῖται.*

Et alterutrum collegium artificum adiisse Tatam, credi licet, ac magno certe pretio stetit beneficium in patriam urbem conlatum. Hoc potissimum civibus inauditum erat, quod homo privatus salaria et praemia artificum praebebat eoque aerarium publicum ab onere satis magno liberabat. Namque antea etiam artifices publice conductos esse, nemo non fatebitur.[6]) — E titulis Laginensibus exemplum similis liberalitatis mihi praesto est: Benndorf, Reisen (1884) p. 156 nr. 134 frg. b, vs. 10 sq.: *τὰ ἐπιδημήσαντα ἀκροάματα ἐμισθωσάμεθα καὶ τοὺς δεομένους ἐτι[μήσαμεν] κ. τ. λ.* Ceterum non omnibus temporibus Cares tam propensos ad spectacula adornanda animos declarasse, sane satis dignum est commemoratu, quamquam, quod afferre volumus, in aetatem multo antiquiorem recedit. Aristot. Oecon. II p. 1351: *Φιλόξενός τις Μακεδὼν Καρίας σατραπεύων δεηθεὶς χρημάτων Διονύσια ἔφασκε μέλλειν ἄγειν, καὶ χορηγοὺς προέγραψε τῶν Καρῶν τοὺς εὐπορωτάτους, καὶ προσέταττεν αὐτοῖς ἃ δεῖ παρασκευάζειν. ὁρῶν δ' αὐτοὺς δυσχεραίνοντας, ὑποπέμπων τινὰς ἠρώτα τί βούλονται δόντες ἀπαλλαγῆναι τῆς λειτουργίας. οἱ δὲ πολλῷ πλέον ἢ ὅσον ᾤετο ἀναλώσειν ἔφασαν δώσειν τοῦ μὴ ὀχλεῖσθαι καὶ ἀπὸ τῶν ἰδίων ἀπεῖναι. ὁ δὲ παρὰ τούτων λαβὼν ὃ ἐδίδοσαν, ἑτέρους κατέγραψεν, ἕως ἔλαβε παρὰ τούτων ἃ ἐβούλετο.*

Et optimos artifices ad certamen a Tata contractos esse vel inde colligi licet, quod civitates finitimae ad magnificos festos Aphrodisiensium confluxerunt. Alterum id genus exemplum exhibent inscriptiones Aphrodisienses nr. XXXI—XXXV meae sylloges. Cuius in honorem hi coetus concelebrati sint quamquam diserto testimonio cognitum non habemus, tamen ex reliquo lapidis argumento recte fortasse divinare possumus. Coniectura iam assecuti eramus Tatam in sollemnibus principibus imperantibus editis rem gymnicam dono largissimo fovisse. Deinceps accepimus eam pro bona valetudine Augustorum inde a primordiis regni eorum communis sacra rite fecisse, necnon in eodem verborum conexu hospitalitas eius erga populum universum prae-

dicatur. Quae cum ita sint, non procul a vero aberrabimus, si suspicabimur totum hunc apparatum epularum ludorumque musicorum nec scio an gymnicorum etiam agonum referendum esse ad sollemnia Caesaribus dicata.

c) Accubitio epularis populi universi.

Hanc rem nolo dilatare, quippe quae satis superque iam nota sit et titulis urbis, de qua agitur, et exemplis ab aliis locis petitis. Pluries igitur populus in conviviis a Tata ornatis accubuit neque quisquam a cena exclusus erat. Reicio lectorem ad §§ 14 et 18.

Quid mirum, si senatus populusque et collegium seniorum laudes ac decora in feminam, publici commodi et iucunditatis causa a parsimonia omni quasi abhorrentem, cumulavit? honorum primorum, ut decebat, particeps fiebat atque vocabulo honorificentissimo matris[7]) civitatis appellabatur. Atque etiam cum filia eius Ammia, nata ex matrimonio[8]) cum Attalo, quae Adrasto nupserat, praematura ut videtur morte decessisset, senatus populus gerusia honores summos demortuae decreverant in consolationem matris et gener promptum sese praestiterat ad ornamenta decreta de suis curanda (nr. XVIII). Ad hunc ipsum convertamus nunc animos.

2. *Adrastus et οἱ νέοι.*

Atque optime exordior a collegio iuvenum, cuius conditio ac status qualis fuerit decenniis illius saeculi ultimis, monumento proposito satis in propatulo est. Quo tempore Adrastus eas quas infra expositurus sum rationes cum iuvenibus habuit, invenimus eos ad collegium congregatos, quod similibus et paene genuinis institutis utitur atque gerusia et senatus. Etenim conveniebant ad concilium, penes quod summa rerum communium administratio erat; si quis benevolum erga societatem animum ostenderat (vs. 10) aut munera, quibus cives cunctos sibi devinxerat, collegio etiam iuvenum inprimis conducere existimabantur, sodales conveniebant deliberantes quo potissimum honore dignarentur virum de se bene meritum. Et duplici via grassatos eos esse docent tituli. Nam aut gerusiam et senatum populum-

que adibant, ut commune omnium urbis corporum decretum perficerent (C. I. Gr. nr. 2781, 2786, nr. XXXVI m. s.), aut — id quod rarius evenisse videtur — separati solique gratiam referebant pro beneficio. Sicut a gerusiastis et publica civitatis auctoritate honores et appellationes, diversis modis gradibusque partita, tribui solebant, ita iuvenes quoque hunc usum suum fecerunt. Veluti: *ἐτείμησαν ταῖς καλλίσταις καὶ μεγίσταις καὶ πρώταις τειμαῖς* (vs. 1), nec multo minus optabile habebatur vocabulum honoris[9]) *υἱὸς τῶν νέων* quam *υἱὸς τῆς γερουσίας* sive *υἱὸς τῆς πόλεως*. Nec de officialibus collegii desunt brevia in lapide indicia. Et scriba quidem, *γραμματεὺς τῶν νέων*, curare debebat, ut collegii consulta et decreta perscriberentur atque ad voluntatem sodalium expedirentur. Tunc scribae officio fungebatur Hermogenes quidam, filius Hermae, adoptatus ab Hypsicle. Nec non praefectum suum operum habebant, *ἐργεπιστάτην*[10]), qui custodiebat, ne quid in operibus exstruendis, veluti statuis erigendis, simulacris ponendis, fortasse etiam in reficiendo gymnasio neglegeretur. Huic rei Pamphilus tum praepositus erat, filius Artemonis, nepos Crocionis. Cum porro iuvenes aerarium privatum (vs. 12) possedisse videamus, necesse est quaestorem etiam, *ταμίαν*, inter magistratus collegii fuisse. Nimirum impensae honorum ex communi hac arca collectis sociorum donisque amicorum sustentata persolvebantur. — Primum autem exemplum viri a iuvenibus solis honorati praebet Adrastus, ortus de familia, cuius res et secundae et adversae (nr. XVIII) non iam ignotae sunt. Qui quo pacto illis sese insinuaverit, nunc disputandum mihi erit.

Eximiis igitur praemiis necesse est antegressa esse singularia merita, quorum duo genera possunt distingui: alia quidem quae iuvenibus praecipue emolumento erant, alia quae communem omnium civium salutem amplectebantur. Ac primo loco ea munera breviter enumerabo, quae ad rem gymnicam et agonisticam spectant, quam florere quantopere iuvenum interfuerit, nemo nescit.

a) Gymnasiarchia et unctio.

Prorsus idem, quod antea Tata praestiterat, imitatus est Adrastus. Exaratum videmus in marmore: „*γυμνασιαρχήσαντα δὶς δρακτοῖς ἐλαίοις ἐπιρύτοις ἀνελλιπῶς*“. Iam dubium

esse nequit, quin is bis providerit, ut oleum abunde flueret neve unguenta certantes deficerent. Certantes dico; quo quidem iure id faciam, statim apparebit. Quaerat enim quispiam, utrum liceat γυμνασιαρχεῖν merum synonymum verbi usitatioris ἀλείφειν sumere an hoc loco de vera gymnasiarchia bis ab Adrasto gesta cogitandum sit an tertia explicatio credibilis sit in medio utriusque sita. Et cum pro certo habendum sit curam olei ad praecipua munera rectoris gymnasii pertinuisse, non ita absurdum videtur totum pro parte positum esse (γυμνασιάρχεῖν pro ἀλείφειν), dico, ad enuntiandam eam actionem, quae gymnasiarchi propria inprimis fuerit, id vocabulum usurpatum esse, quod illud munus una cum ceteris suis partibus omnibus significat. Attamen alia explicandi ratio mihi magis arridet. Namque opinor γυμνασιαρχεῖν hoc loco sensum generalem retinuisse ita, ut iusta praefectura gymnasii bis ad Adrastum delata statuenda sit. Illud vero sane memorabile, quod verbum γυμνασιαρχεῖν tam arcte coniungitur cum vocibus ad unctiones spectantibus, ut notioni verbi ἀλείφειν proxime accedat, sic intellectum volo: talis coniunctio sententiarum certa lege tenebatur; neque enim unquam, si quid video, verbum γυμνασιαρχεῖν cum notionibus veluti ἐλαίοις similibus copulari solebat nisi ubi de oleo ad usum certantium in gymnasio vel festis diebus praebito agitur; sin autem oleum ad alias quoque res atque agonisticas distribuebatur, semper verbum ἀλείφειν comparet, cui omnes notionis varietates insunt. Quae cum ita sint, affirmaverim virum illum liberalitate insignem bis onera gymnasiarchiae suscepisse, non oleum tantummodo bis largitum esse.

b) Agonothesia.

Adrastus certaminibus in urbe peractis ter praefuit. Quia plus in lapide non notatur, coniecturas missas facio.

c) Epula, corollaria, varia.

Cetera huius hominis erga Aphrodisienses merita satis habeo breviter laudasse. Epulas igitur opipare ediderat ac magnifica dilargitus erat corollaria; summum sacerdotium principum Marci Aurelii et L. Veri obtinuerat, bis stephanephorus, quater aedilis, uti antiquitus eius maiores, tunc ipse urbis conditor fuerat,

identidem[11]) legationes pro patria susceperat, ecdicus denique causas publicas egerat.

Hae erant virtutes, quibus Adrastus collegio iuvenum commendabatur, quorum de iudicio consentiente vir fuit magnus, patriae civiumque studiosus, beneficus ac semper benevolus, exemplar denique omnis virtutis.

Adnot. 1) Cf. Guhl et Koner[5] (1882) p. 198 fig. 204. Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 91 nr. 10, ed. Foucart: *Δαρειοκωμητῶν κατοικία,* dextra ripa Hermi fluminis, vs. 5 sq.: *τὸν θυρ[ῶ]να, βωμὸν καὶ τὸ[ν] ἐν δεξιοῖς τοῦ ναο[ῦ] λουτῆρα κ. τ. λ.*

2) Scriptores citat L. Friedländer: Sittengeschichte II[5] p. 275. — Marquardt, Staatsverwaltung 474, 7.

3) Quatenus gymnicis contraria sunt; loquor in universum de musicis certaminibus.

4) Probe scio vocabulum *θυμελικός* nonnumquam eadem significatione adhibitum esse, qua *σκηνικός*, cf. A. Müller, Bühnenaltert. (1886) p. 402 adnot. 8. In marmore autem proposito diserte distinguitur: *ἔν τε τοῖς θ. καὶ σκ. ἀγ.*

5) Foucart, de collegiis scenicorum artificum apud Graecos, Paris 1873. Accessit inscriptio gravissimi momenti: Bull. de corr. hell. IX (1885) p. 131 sq. nr. 1, ed. E. Miller; p. 140 nr. 2 ed. idem. — Porro respicienda sunt: Bulletin IX (1885) p. 125 A, ed. Clerc; Bull. X (1886) p. 455 nr. 5, ed. Contoleon; A. Müller, Bühnenaltert. (1886) p. 392 § 26.

6) A. Müller l. c. § 25 p. 376 sq.

7) Cf. adnotationem Waddingtonii ad h. l.

8) Cf. nr. XVII vs. 5/6: *γυναῖκα γενομένην καὶ μείνασαν κ. τ. λ.* Eximio id laudi tribuitur Tatae; patet repudium inter uxorem et virum non ita raro intercessisse.

9) Collignon, les colléges de 'Neoi' cet. p. 142 perperam de hac appellatione iudicavit: „Adrastos aurait été tout jeune, adopté par le collège de *νέοι* qui aurait fait les frais de son éducation; quand il est arrivé à des hautes dignités, la corporation lui décerne des honneurs.“ Patet virum doctissimum secutum esse sententiam Waddingtonii, quam cum multis titulis pugnare supra docuïmus.

10) Etiam publicorum operum curatorem habebant Aphrodisienses. Cf. titulos: Le Bas-Waddington nr. 1585 (= Annal. Inst. archeol. 1847 p. 110, C. I. Gr. nr. 2747), nr. 1586 (= C. I. Gr. nr. 2755), nr. 1605 b (= C. I. Gr. nr. 2779). — Ex exemplis aliorum oppidorum satis habeo afferre: Le Bas-Waddington nr. 421 (= C. I. Gr. nr. 2695): Mylasae. — Benndorf, Reisen in Lycien und Carien (1884) p. 123 nr. 96 vs. 13/14: Xanthi: *ἐργεπιστατήσαντα τοῦ ἐν πόλει γυμνασίου καὶ βωμοῦ χαλκέου τῶν πατρῴων θεῶν.* — Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 100 nr. 23 ed. Foucart, Thyatirae, vs. 12 sq.: *ἐργεπιστά[τη]ν Ἐρώτων τῶν*

ἐν τῷ ἑκα[το]νταστύλῳ κε' καὶ οἰκοβ[ασ]ιλικοῦ [τοῦ τῆς γερουσίας [κ]αὶ παρατειχίσματος ὑδρα[γ]ωγίον ἐν τῷ Λύκῳ ποταμῷ κ. τ. λ. — Mitteil. Inst. Athen. VI (1881) p. 227 ed. Lolling: Saradschik (Asia).

11) δίς — δίς — τρίς — τετράκις — πλεονάκις. Certus ordo, ex quo singuli magistratus et munera se excipiebant, ne hic quidem erui potest.

§ 21.

Excursus de diversa natura agonum.

Complures internosci possunt classes certaminum, si quis ea percenset, respiciens et modos certandi et praemia et instaurationes et auctoritatem. Atque constat inter omnes in universum distincta esse certamina gymnica et musica; nonnumquam *ἀγῶνες ἱππικοί* seorsum dicti sunt[1]); suas autem quodque genus habebat species, veluti ad ludos gymnicos inferiore aetate et *ἀθλητῶν* et *μονομάχων* certamina pertinebant, musici autem agones aut scenici aut thymelici esse poterant. Alioquin cum aetate imperatorum discrimen inter *ἀγῶνας σκηνικούς* et *θυμελικούς* [non iam servari coeptum sit et duae hae notiones promiscue habitae sint, disiunguntur tantummodo *ἀγῶνες γυμνικοί* et *θυμελικοί*. Cf.: Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 319 nr. 3; Mitteil. Inst. Athen I (1876) p. 347 nr. 15; C. I. Gr. nr. 3493. Sponte intellegitur non necessarie neque in omnibus testimoniis aut lapidum aut scriptorum bipartitionem, quam postremo commemoravimus, adhibitam esse; nonnumquam enim vel posteriore tempore, veluti aevo Antonino, rebus gymnicis oppositae sunt et scenicae et thymelicae; cf. § 20, 1 b.

E ratione praemiorum generaliter duo agones diversi iudicandi sunt: alii coronarii, in quibus de corona certatur, alii pecuniarii, quibus pecunia praemii loco proposita est. Et prioris quidem generis certamina appellabantur sive *στεφανῖται*[2]) sive *φυλλίναι*[3]) vel *φυλλῖται*. Magni ludi Graeci communes, Basilia Lebadeae post Leuctricam pugnam instituta[4]), Soteria Delphis acta[5]), sacri qui vocantur agones antiquioris et inferioris aetatis[6]) pauca certamina minorum oppidorum, alia ad coronaria referenda sunt. — In altero genere usurpata sunt nomina: *ἀργυρῖται*[7]) sive *θεματικοί*[8]) vel *θεματῖται*[9]) sive *χρηματῖται*.[10]) Et de thematicis ludis Waddingtonius accuratissime, ut solet, disputavit,

ad Le Bas-Waddington nr. 1209 p. 297.[11]) — Rursus illi „ἀγῶνες ἐπ' ἄθλοις" (Poll. III, 153) pro summae magnitudine, quae victoribus dabatur, discedunt in agones qui vocantur ταλαντιαῖοι aut ἡμιταλαντιαῖοι. Cf. Papers of the american school vol. II (1883—84), 1888, ed. Sterrett, p. 141 nr. 115 vs. 7 (titulus Antiochiae Pisidiae inventus est); Indices ad C. I. Gr. p. 163 s. v. ταλαντιαῖος; C. I. A. III, 128. — ἡμιτ.: C. I. Gr. nr. 2810 et nr. 3676.

Intervalla singulorum certaminum diversa fuerunt. Audimus de festis anniversariis sive amphietericis: Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 133 vs. 28; lapis est Ptolemaidos, urbis Aegypti, continens decretum sodalium Dionysiacorum, tertio a. Chr. n. saeculo: ὁ πρὸς τοῖς ἱεροῖς τῆς τριετηρίδος καὶ ἀμφιετηρίδος. Suid. s. v. ἑορτὴ κατ' ἔτος γινομένη. Mitteil. Inst. Athen IX (1884) p. 31 vs. 10 sq., ed. Lolling, Ποιμανηνόν prope a Cyzico: ἐν τοῖς κατ' ἐνιαυτὸν τιθεμ[έ]νο[ις εὐχ]αριστηρίοις ἀγῶσιν Ἡρώοις κ. τ. λ. — Alii ludi tantummodo tertio, quarto seu quinto quoque anno acti sunt; periodici igitur fuerunt: ii qui duobus annis exactis redibant, appellabantur τριετηρικοί, „trieterici", qui quattuor annis confectis instaurabantur, vulgo πενταετηρικοί. „quinquennales", aut — id quod valde respiciendum est in titulis inferioris temporis — τετραετηρικοί, „tetraeterici", designabantur; cf. Indices ad C. I. Gr. s. v. πενταετηρικοί, p. 158.

Celeberrimi agones ii habebantur, in quibus victor corona ornabatur (vide supra), inter quos εἰσελαστικοί, „iselastici", praecipuum locum obtinent[12]): victores cum magna pompa, coronati, quadrigis, diruta murorum parte inducebantur (εἰσελαύνειν, invehi, ingredi) quisque in patriam suam. Cf. Wood, Inscriptions from the great theatre (Ephesus) p. 54 nr. 8: νεικήσας μεγάλα Ἐφέσηα ἱερὰ ἰσελαστικά. C. I. Gr. nr. 2932: Pythia Tralliana ad eandem classem pertinent. Necnon si ad eos homines ex toto qui tunc habitabilis existimabatur orbe terrarum confluebant, ἀγῶνες οἰκουμενικοί nominabantur. Etiam ἀγῶνες ἱεροί[13]), certamina sacra, dicuntur; cf. Mommseni hist. Rom. vol. V p. 265. Thematici vero et talantiaei agones minore celebritate et auctoritate usi sunt; cf. quae explicuit Waddingtonius, porro Wood, inscriptions from the great theatre p. 54 nr. 8.

Uti auctoritatem diversorum agonum exemplo explanem, Aphrodisiensis athleta aut artifex summum putavit esse, si factus erat Ὀλυμπιονείκης[14]) vel Πυθιονείκης vel Νεμεονείκης (C. I. Gr. nr. 4359). Gradu, exiguo sane, minor est Ἀκτιονείκης, Καπετωλιονείκης, insequitur proxime Ἀσιονείκης[15]), sic descensus continuatur inde a certaminibus Asiae communibus[17]) Ephesi, Laodiceae, Cyzici, aliis in urbibus actis usque ad speciales agones urbis Aphrodisiadis aut iussu populi[16]) aut ab hominibus privatis institutos praemiisque pecuniariis instructos.

Denique πολιτικοὶ ἀγῶνες inde nomen traxerunt, quod solum cives filiive eorum ad certamen admittebantur, peregrini a petitione praemiorum prohibebantur; cf. nr. XXXVII meae sylloges, C. I. Gr. nr. 5805, nr. 1586 vs. 29.

Adnot. 1) Bull. de corr. hell. V (1881) p. 300 sq.

2) Pollux III, 153.

3) l. c. et Hesychius s. v. φυλλίναι.

4) Diodor XV, 53.

5) Bull. de corr. hell. V (1881) p. 300 sq.

6) Veluti inter honores Attalo regi Pergameno (159—138 a. Chr. n.) a Cretensi oppido Aptera decretos invenitur: καρυχθῆμεν ἔν τινι τῶν ἀγώνων στεφανιτῶν, Bulletin de corr. hell. III (1879) p. 425 nr. 2 vs. 9, ed. Haussoulier.

7) Pollux l. c.

8) Pollux l. c. — Indices ad C. I. Gr. s. v., p. 149. — Archaeol. Zeitung XXXV (1877) nr. 68 p. 100, ed. Dittenberger.

9) C. I. Gr. nr. 5913 vs. 33 sq.

10) C. I. Gr. nr. 2374, 53.

11) Praeterea de thematibus nonnulla disces ex libris hisce: Revue numismatique XIV (1869/70): Médailles relatives aux θέμιδες de l'Asie mineure, ed. H. de Longpérier. — Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 359 nr. 22, ed. Radet; ibid. p. 464 nr. 29; III (1879) p. 340 nr. 15, ed. Collignon. — Benndorf, Reisen (1884) p. 143 nr. 118 vs. 12 sq., 119—121. C. I. A. III[1] (1878) Add. nr. 758 a (Kaibel, nr. 933).

12) Plin. Ep. X, 119 et 120.

13) Dio Cass. l. 51 cap. 1 § 2: ἀγῶνά τέ τινα καὶ γυμνικὸν καὶ μουσικῆς ἱπποδρομίας τε πεντετηρικὸν ἱερόν, οὕτω γὰρ τοὺς τὴν σίτησιν ἔχοντας ὀνομάζουσι, κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. Cf. l. 66 c. 9.

14) Cf. Cicero pro Flacco XIII, 31: Quid, si etiam occisus est a piratis Adramytenus homo nobilis, cuius est fere nobis omnibus nomen auditum, Atyanas pugil Olympionices? hoc est apud Graecos, quoniam de eorum gravitate dicimus, prope maius et gloriosius quam Romae triumphasse.

14) Perrot, Explor. I (1872) p. 48 nr. 26: Claudiopolis, Bithynium. Cf. etiam titulum Trallianum, Le Bas-Waddington nr. 1652 b: *βιολό-γ[ο]ν Ἀσιονείκην*.

15) Wood, Inscriptions from the great theatre, p. 60 nr. 14; p. 54 nr. 8. Vide § 7 adnot. 1.

16) *ἀγῶνες δημοτελεῖς*, cf. Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 46 nr. 1, ed. G. Cousin et F. Durrbach, in lapide Lemnio vs. 11: *προεδρίαν ἐν τοῖ[ς] ἀγῶσιν τοῖς δημοτελέσιν*.

Nr. XX, XX a, XX b.

Nr. XX.

Post alios ed. A. Boeckhius, C. I. Gr. II p. 496 nr. 2741.

Ἀγαθῇ τύχῃ
Μάρκος Οὔλπιος Ἀππουλήϊος Εὐρυκλῆς, ἀρχιερεὺς Ἀσίας ἀποδεδειγμένο[ς
ναῶν καὶ τῶν ἐν Σμύρνῃ τ[ὸ] β̄, Ἀφροδισ[ιέ]ων ἄρχουσι, βουλῇ, δήμῳ χαίρειν.
Βουληθέντων ὑμῶν πρόνοιαν ποιήσασθαί με καὶ τῶν κατὰ τοὺς ἀγῶνας
διά τε τὴν πρὸς τὸν μέγιστον Αὐτοκράτορα εὐσέβειαν Μάρκον Αὐρήλιον
Κόμοδον Ἀντωνῖνον Σεβαστόν, καὶ διὰ τὴν πρὸς τοὺς διαθεμένους
μνήμην, καὶ διὰ τὴν τῆς πόλεως δόξαν, ἤδη καὶ τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου π[ολ-
λάκις ἐντυχόντων μοι, οὐδὲ τοῦτο τὸ μέρος κατέλιπον ἀδιάκριτον,
ἑπόμενος τῇ κατὰ τὴν λογιστείαν τά[ξ]ε[ι] καὶ προθυμίᾳ, μέχρι νῦν τῆς περὶ
τοὺς ἀγῶνας καταστάσεως ἐνλειπούσης διὰ τὴν τᾶν χρημάτων πα-
ρασκευήν, ὀφειλόντων συναυξη[θῆ]ναι κατά τε τὰς τῶν τελευτησάν-
των γνώμας καὶ κατὰ τὸ ἀξίωμα τοῦ πόρου, ἀφ' οὗ [χ]ρὴ τοὺς ἀγῶνα[ς] ἐπιτελεῖσθαι.
ἀγὼν μὲν δὴ ὁ ἐκ τῶν Φλαβίου Λυσιμάχου διαθηκῶν προελήλυ-

θεν εἰς ἀρχ[α]ίου πόρου μυριάδας δώδεκα, ὡς δύνασθαι ἀπὸ τούτων παρὰ ἔτη τέσσερα πληροῦσθαι τὸν μ[ο]υσικὸν ἀγῶνα καθὰ τῷ διαθεμέν[ῳ] ἔδοξεν. αἱ δὲ μετὰ τὰς δώδεκα μυριάδας ο[ὖ]σαι ἐν ἐκδανεισμῷ καὶ ὁ προσγεγ[ο]ν[ὼ]ς τούτοις τόκος μέχρι ἀρχῆς [τοῦ ἔ]τους ποιεῖ κεφαλ[α]ίου δηναρίων μυριάδας τρεῖς δηνάρια χείλια ὀκτ[α]κόσια τριάκοντα ἐννέα. δ[ύ]νασθε οὖν ἀρχομένου τοῦ ἔτους τούτου τὸν ἀγῶνα ἐπιτελεῖν ἀγαθῇ τύχῃ· ἐπὶ ἄθλοις ταλαντιαίοις καὶ ἀγωνίσμασιν κατὰ τὰ ἆθλα. προθεσμία δὲ εἰς τὸν ἑ[ξ]ῆς χρόνον καὶ τὴν ἐπιοῦσαν τετραετηρίδα ἔστα[ι] χ[ρόνος] ὁ ἀπὸ [Βαρβ]ιλλήων τῶν ἐν Ἐφέσῳ . . . . Ἀσίας . .

De titulis nr. XX, XX a, XX b cf. § 22.

Nr. XX a.

E manco apographo Boeckhius: C. I. Gr. nr. 2759. Deeringii exemplum religiosius confectum foras edidit Leakius, Transactions of the Royal Society of Literature (1843) p. 244 et 303. Deinde Le Bas-Waddington, inscriptions d'Asie min. p. 382 nr. 1620 d (in commentario).

Ἀγῶνος ταλαντιαίου Φλαβίου Λυσιμάχου πενταετηρικοῦ μουσικοῦ μόνου θέματα τὰ ὑπογεγραμμένα.

Col. I.	*Σαλπικτῇ*	* *φ'.*
	Κήρυκι	* *φ'.*
	Ἐνκωμιογράφῳ	* *ψν'.*
	Ποιητῇ	* *ψν'.*
	Πυθαύλῃ	* *͵α,*
	δευτερείου	* *τν'.*
	Ψειλοκιθαρεῖ	* *͵α,*
	δευτερείου	* *τν'.*
	Παιδὶ κιθαρῳδῷ	* *ψν',*
	δευτερείου	* *σν'.*

Col. II.	*Χοραύλῃ*	* ͵αφʹ,
	δευτερείου	* φʹ.
	Χορῷ τραγικῷ	* φʹ.
	Χορῷ κιθαρεῖ	* ͵αφʹ,
	δευτερείου	* φʹ.
	Κωμῳδῷ	* ͵αφʹ.
	δευτερείου	* φʹ,
	τριτείου	* τʹ.
	Τραγῳδῷ	* ͵βφʹ,
	δευτερείου	* ωʹ,
	τριτείου	* υʹ.
Col. III.	*Κοινῇ κωμῳδῶν*	* σʹ.
	Κοινῇ τραγικῶν	* σ[νʹ].
	Καινῇ κωμῳδίᾳ	* φʹ.
	Ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ	* τνʹ,
	δευτερ[ε]ῖον	* ρνʹ.
	Καινῇ τραγῳδίᾳ	* ψνʹ.
	Πυρρικῇ	* ͵α,
	δευτερεῖον	* τνʹ.
	Ἀνδρ[ὶ κι]θαρῳδῷ	. . . .
	δευτερεῖον	. . . .

Nr. XX b.

Ex Sherardianis et Spanhemianis edidit Boeckhius, C. I. Gr. II p. 519 nr. 2785.

[Μ.] Φλ. Ἀντώνιον
Λυσίμαχον, σο-
φιστήν, ἀρχιερέα,
γυμνασίαρχον,
στεφανηφόρον,
νε[ω]ποιόν, ἀγωνο-
θέτην δι᾽ αἰῶνος
Λυσιμαχήων
ἀγώνων
ἀγωνοθεσίας
Κου(ίντου) Ἀντωνίου
Ἐπινείκου.

Vs. 11 *ΚΟΥ* decurtatum pro *Κουίντου*.

Titulum recentiorem esse quam tit. nr. XXI, qui subsequitur, docet § 22 B, γ.

§ 22.

Temporibus Commodi.

Ludi ab hominibus privatis conditi ac fundati.

1. Lysimachius agon (nr. XX, XX a, XX b).

Sanctiones testamentariae.

Exemplum Tatae, mulieris Aphrodisiensis, iam docuit factum esse interdum, ut cives voluntate sua pecuniam ad res agonisticas suppeditarent.[1]) Quod beneficium nonnullis occasionibus rei publicae dari poterat ac re vera, ut supra vidimus, saepius tributum est. Haec igitur erant munera extraordinaria, quae a liberalitate unius alteriusve exspectabantur, non necessario suscipienda, sed officiosa tantum erant. Aliud est, si sumptus necessarii non modo ad tempus breve tolerantur, sed si quis testamento tantam pecuniam relinquit, quanta sufficit ad certamina in annos celebranda; agones nimirum talibus legatis stabiliebantur atque augebantur splendore. Et tria potissimum exempla luculentissima, quae huc spectant, e latissimo epigraphices Graecae campo, oportet afferri. Cogito enim de institutis Lyciae et Pamphyliae et Pisidiae propriis, quae nominantur θέμιδες[2]), de Corcyraeo documento, C. I. Gr. nr. 1845, copioso rebusque referto, de gravissimis monumentis Aphrodisiensibus, in quibus nunc iuvat mentem aliquamdiu defigere.[3])

Complures[4]) igitur cives rem publicam heredem certae ac definitae summae constituerant, quae postea ad ludos edendos usurpanda esset. Ipsi autem caverant testamento, ne prius celebratio agonum incoharetur quam pecunia morte testatoris praesens usuris usurisque usurarum tantum incrementum cepisset, ut sumptus ex fenore persolvi possent.

Ac primus, quem novimus testamentum id genus conscripsisse, fuit Flavius Lysimachus. Quo tempore id fecerit, accurate memoriae proditum non est; id tantum patet, factum hoc esse inter aetates Flaviorum et Antoninorum; nec minus obscurum

est, quantum primo caput effecerit, ad quod decursu annorum certe magnus anatocismus accessit. Id constat de voluntate mortui nummos cumulandos esse, dum praesto essent denariorum centum et viginti milia, atque ex eius sortis usuris quarto quoque anno exacto certamen dandum esse. Primo pecuniam ad musicos tantummodo agones erogandam esse iusserat nec tamen videtur vetuisse postea etiam gymnica praemia proponi, quae tantisper exclusa esse maluit, quoad facultates ad unum tantum ludorum genus expeditae erant.[5])

Atque haec habeo quae dicam de testamento Lysimachi.

Tandem principatu Commodi imperatoris, nescio quo anno, CXX milia * coacta erant, quae e ratione nummaria Germanica calculata aequant 104412 ℳ.[6]) Sed cives liberam huius legati potestatem minime habebant.

Intercessio logistae.

Iam ineunte saeculo p. Chr. n. altero municipia iure privata fuisse accepimus suas res pecuniarias administrandi. Immo vero logista ab imperatore ipso singulis civitatibus datus est (curator rei publicae, „Vermögenspfleger"), qui rationem acceptorum et expensorum examinabat, de pecuniis collocandis et faciundis versuris consulendus erat, in omni denique re nummaria dominabatur.[7]) De industria peregrinis is magistratus mandabatur. — Nec Aphrodisienses, cum tempus subesset, quo agon Lysimachius primum celebrandus erat, logistae consilio uti non poterant; habebant autem tunc aetatis curatorem rei publicae Euryclem quendam, in quo, quia in rebus agonisticis totius huius aetatis multum apud Aphrodisienses valuit, non inutile erit commorari.

M. Ulpius Apuleius Eurycles.

Nomen et patria huius viri traduntur titulo C. I. Gr. nr. 3833 = Le Bas-Waddington nr. 867, qui provenit ex oppido Aezanitarum: *M. Οὔλπιον Ἀπουλήϊον Εὐρυκλέα τὸν Αἰζανείτην.* Natus igitur erat Aezanis in urbe Phrygiae Epicteti, sita ad Rhyndacum amnem, de qua tota regio vocata est Azanitis. Qui, cum Hadriano principe Athenis notissimum illud commune Panhellenum constitutum esset, a patria urbe Athenas *σύνεδρος* vel *Πανέλλην* (C. I. A. III, 534) delegatus erat. Nec multo post ibi

animos plurimorum, cum res Panhellenum magna cura amplexus esset[8]), sibi conciliaverat, ita ut litterae commendaticiae ad imperatorem, in patriam, ad cunctos denique Graecos Asiam incolentes mitterentur. Casu responsum ab Antonino Pio Caesare redditum conservatum est, unde ratio temporis accuratissime licet computari: C. I. Gr. nr. 3834 = Le Bas-Waddington nr. 866: *Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, θεοῦ Ἀδριανοῦ υἱός, θεοῦ Τραιανοῦ Παρθικοῦ υἱωνός, θεοῦ Νέρβα ἔκγονος, Τίτος Αἴλιος Ἀδριανὸς Ἀντωνεῖνος Σεβαστός, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ κ', αὐτοκράτωρ τὸ β', ὕπατος τὸ δ', πατὴρ πατρίδος, τῷ Πανελληνίῳ χαίρειν. [Ὅτι] οἱ πρὸ ὑμῶν Πανέλληνες Οὔλπιον Εὐρυκλέα ἀπεδέξαντο ὡς ἐπ[ιει]κῆ, ἔμαθον ἐκ τῶν ὑπ' αὐτῶν ἐπεσταλμένων. Εὐτυχεῖτε. Πρὸ μιᾶς Καλανδῶν Δεκεμβρίων, ἀπὸ Ῥώμης.*[9]) Pro certo igitur affirmare possumus datam esse epistolam Romae pridie Cal. Dec. anni p. Chr. n. 157.

Ex aliis litteris[10]), dico ex eis, quas senatus populusque Aezanitarum acceperat ab areopago Atheniensium, compertum habemus Euryclem, quamdiu Athenis versatus est, cum in multis rebus liberalem se praestitisse tum praebuisse „*φιλοτιμίαν περὶ τὴν παιδείαν*“ (cf. etiam „*παιδείᾳ τε ομιλῶν*“). Quam ob causam areopagus sciverat, ut statuae et imagines eius et apud Athenienses et Aezanitas ponerentur. Nec tertia deest epistola[11]), missa ad senatum populumque Aezanitarum, edita ab archonte Panhellenum, pontifice Hadriani Panhellenii, agonotheta magnorum Panhelleniorum, concilio denique universo Panhellenum, in qua magno cum verborum crepitu Eurycles iterum iterumque laudibus extollitur. Paucis annis post — erat annus p. Chr. n. 161, quo M. Aurelius Antoninus et L. Aurelius Verus principatum inièrunt — Eurycles invenitur summus sacerdos Asiae designatus.[12]) Inde vestigia eius per totam M. Aurelii aetatem evanescunt[13]), donec Commodi temporibus rursus apparent. Etenim ipse in litteris[14]), quas ad Aphrodisienses dederat (nr. XX), pietatem suam erga Commodum principem pronuntiat (vs. 5) quod quem in annum regni Commodiani (180—192) incidat, in medio relinquendum est. Accepimus tantum eum tunc sacerdotium summum augustorum templorum Smyrnaeorum obtinuisse iterum atque ad insequentem annum designatum esse sacerdotem

summum Asiae, quo honore iam anno 162 p. Chr. n. functus erat. Eodem autem tempore officialis imperatorius fuit. Cum enim in aula iam pridem, uti supra vidimus, cognitus acceptusque esset, a principe logista constitutus est; num vero res publica complurium oppidorum ei custodienda fuerit, ambiguum est. Certe et tunc et postea etiam curator fuit Aphrodisiensium, id quod titulis huius urbis perspicue comprobatur[15]), nec firmamento[15]) puto destitutos nos esse, si suspicamur eundem simul logistam synodi artificum (nr. XX vs. 7/8) fuisse, quacum Aphrodisienses magistratus rationes tum iunxerant. — Iam pervenimus ad eum locum, unde digredi coacti eramus.

Exsequebamur supra caput a Lysimacho civitati relictum tunc ad eam, quae in testamento praestituta erat, magnitudinem increvisse (nr. XX vs. 13/14), cum legata ab aliis ad similes res destinata sive postea data sive deterius collocata erant, progressum tantum nondum fecerunt (vs. 10/12). Necdum Lysimachius agon, quamquam fundamentum firmum ac fontem redituum uberrimorum nanctus erat, initiari actutum potuit. Etenim cum ex summa CXX mil. * detrahi quicquam vetitum esset itaque sumptus primi ludi ex huius demum capitis fenore pernumerari possent, necessario sollemnia aditialia aliquamdiu[16]) etiam retardabantur. Sic se habebant res, animi civium alii erant. Qui cum opperiri iam nollent, ad Euryclem, curatorem suum, sese convertebant per archontes, uti responsum eius de causa ea agonistica auferrent (vs. 3/4, 19). Quod ante tempus ille de rebus ad certamina instituenda pertinentibus interpellatus ab Aphrodisiensibus non erat, utpote cui ansa intercessionis eo demum puncto temporis daretur, ex quo pecuniae agonisticae primum in procinctu parataeque habebantur (vs. 10/11, vs. 4 *καί!*). Tum igitur petentibus perquam prolixe morem gerens rescriptum ad archontes et senatum populumque misit (nr. XX), quod satis accuratum edictum de apparatu feriarum Lysimachi continet. Inter causas vero quattuor, quibus Eurycles ad res agonisticas constituendas et ordinandas impulsum sese esse in exordio litterarum ait, attingit etiam praeter reverentiam domini sui, quippe cui dignitatem logistae debuerit, piam erga testatores memoriam, famam atque existimationem urbis Aphrodisiadis, incitationem externam, preces sodalium synodi curatissimas

(vs. 5—8). Sine dubio perversum est, quod Menadier de hoc loco inscriptionis obiter protulit[17]), qui credit τοὺς ἀπὸ τῆς συνόδου non artifices fuisse sodalitatis cuiusdam, sed potius Aphrodisiensium gerusiastas. Quod si ita esset, neque perspici posset, cur in allocutione vs. 2 collegium, quod tanti ad rem conficiendam momenti fuit, plane omissum sit — nisi forte alia epistola seorsum ad gerusiastas missa est — neque quapropter elocutio usitata τῶν γερουσιαστῶν seu τῶν ἀπὸ τῆς γερουσίας spreta atque illud τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου adhibitum sit. Multo vero gravius testimonium cernitur in vs. 9 et 14 tituli nr. XXI arctissime cum argumento propositae inscriptionis cohaerentis. Unde manifestum atque apertum est agonistas, non gerusiastas, Euryclem invocasse ad accelerandos ludos Lysimachios, quos quam primum ad effectum adductos fore eorum aeque intererat atque Aphrodisiensium; namque hi suspensis animis nova sollemnia recentesque voluptates exspectabant, illi novos honores atque quaestus inventuros sese sperabant esse. Neutri deerat curator, cum pecunias necessarias sciret movere atque expedire. Etenim concessit, ut aliae pecuniae interim coactae — unde emanaverint, memoriae non proditur —, quae mutuo datae usque ad finem anni atque usuris auctae efficiebant summam 31839 denarium, ad agonem primum edendum consumerentur (vs. 16—19).

Et haec quidem hactenus. Nunc perlustremus, quid de Lysimachiis, quae nascentia conspiciebamus, postea factum sit.

Lysimachia prima et insequentia.

A. Statum tempus ludorum.

Diem illis agonibus dicere potestati logistae permissum erat. Qua de re decreverat, ut sollemnitates post quartum quemque annum redirent et dies earum accommodaretur ad Barbillea Ephesia.[18]) In primis tantummodo ludis agendis exceptionem fieri passus est, cum obsecutus voluntati tam civium quam artificum Lysimachia prima in initium anni post litteras datas proximi constitueret (vs. 19 sq.). Accuratiora de ratione temporum huius certaminis tetraeterici[19]) non comperimus.

B. Genera certandi ac praemia.

Uti conditor voluerat, primis temporibus tantummodo commissio musica dabatur; cuius genera singula quo ordine sese excipere soliti sint, e titulo nr. XXa depromere licet, qui quamquam tabulam victorum non continet, tamen praemia diversis artificibus constituta exhibet ea serie atque continuatione, secundum quam illi in certamen descenderunt. Quodsi indicem eum in classes dividimus, in universum quattuor actus ludi huius eminent: I. exordium, II. thymelici agones, III. scenici agones, IV. clausula.

In unaquaque autem parte varii artifices producuntur. Iam ad singulas quae praestabantur actiones transeamus.

Ac sponte intellegitur coetus ludorum vix posse cogitari, quibus deest, quo et spectatores et artifices ad loca arcessuntur sive mero vocis sonu sive tubae clangore convocantur. Aliquid autem admirationis habet ex nostro quidem sensu, quod eam necessitatem ipsam in certaminis formam redactam intuemur. Qui usus, ex quo Timaeus et Crates Elei magnis Olympiis principes[20]), alter tubicen, alter praeco, in certamine coronati erant, inde ab anno 369 a. Chr. n. (Ol. 96[1]) in fuga tot saeculorum, quamdiu agones Graecorum aut Graeco ex more instituti floruerunt, semper conservatus est.[21]) Quam ob consuetudinem etiam Lysimachia in limine tertii p. Chr. n. saeculi vigentia initium capiebant ab agone et tubicinis et praeconis. Signo tuba dato agonistae ordine suo evocantur, praeco magna voce silentium imperat et nomina patriamque victorum pronuntiat adhibito, si ipse victor discessit, alio praecone, ne sua voce se ipse victorem esse praedicet.[22]) Deinceps insequitur initio ludi laudatio oratione soluta conscripta, recitata, opinor, in piam memoriam manium Lysimachi, fortasse in praedicatione imperatoris regnantis desinens.[23]) Nec vero unum encomium satis putabatur esse, qua re insuper poeta compositis ornatisque versibus eandem materiam pro sua arte declamat.[24]) Sic, ut ita dicam, finitur prologus.

Incipit statim altera pars commissionis, quae composita est ex concentu tripartito et tibiarum et nervorum et vocum. Qua in symphonia, si numerum artificum respicis, cognosces et monodiarios, quos dicunt, et choros. Rursus eorum, qui soli audie-

bantur, tria habes paria. Etenim et pythaulae et citharistae viris ac citharoedo puero bina praemia proposita erant. Iam paucis de singulis generibus loquar. Ac pythaules, *ὁ τὰ Πύθια αὐλῶν,* unde nomen traxerit et qualibus modis tibiam inflaverit, viri docti iam saepius commentati sunt.[25]) Satis habeo brevissime meminisse verborum Pollucis IV, 84: *δήλωμα δ' ἐστὶν ὁ νόμος τῆς τοῦ Ἀπόλλωνος μάχης πρὸς τὸν δράκοντα* et quae subsequuntur. Sane fateor me punctum temporis parum voluisse credere, saeculo tam late provecto tibicinem idem argumentum imitatum esse. Sed tollitur dubitatio, si rationem habemus mirae tenacitatis, qua Graeci in ritibus agonisticis usque ad agones ipsos exstinctos quovis tempore usi sunt. Etiam in Thespiensibus feriis Musarum aequalibus fere Lysimachiis Apollinis contra draconem Pythonem luctatio a tibicine repraesentata est; cf. C. I. Gr. nr. 1585 et 1586.

Posteaquam pythaulae de primo ac secundo praemio tibiis concertaverunt, cithara pulsatur et ita quidem, ut primum citharistae psallant, tum citharoedî pueri canant succinente cithara. Sic enim distinguendi sunt *κιθαριστής* aut, quod plane idem est, *ψειλοκιθαρεύς* et *κιθαρῳδός.*[26]) Nunc cithara et cantus obmutescunt, sed non omnino, cum, uti infra videbimus, in fine totius spectaculi rursus adhibeantur.[27])

Transitus quidam ab actionibus musicis ad scenicas praeparatur sectione proxima, cuius medium locum obtinet certamen chori tragici inclusum tam in initio quam in fine commissionibus musicis. Dum enim chorus introducitur, tibiae concinunt, citharae, dum se recipit. Neutiquam vero existimare licet complures simul tibicines aut citharistas declamationes choricas adminiculasse, immo unusquisque choraules et chorocitharistes suum agonisma habebat. At cum bina praemia thematica his proposita sint, sequitur ut chorus identidem ansam concinendi dederit aut potius pluribus canticis in certamen inierit. Quivis historiae tragoediae peritus concedet elocutionem „*χορῷ τραγικῷ*“ solum intellegi posse de aliquot gregalibus synodi artificum, qui agunt choros exquisitissimos acceptissimosque e fabulis poetarum tragicorum priorum selectos. Nam illo ipso tempore carmina chorica omnino non pacta sunt, versificatores tunc fuerunt, minime poëtae. Et de choro e civium numero composito vel ob eam

causam dubito, quia *πολειτικός* adici in titulis solet, si agon indigenis reservatus est.[28]) Nec — id quod cuipiam in mentem fortasse venit — tibicines et psaltae[29]), qui vocantur *χοραῦλαι*[30]) et *χοροκιθαρεῖς*, merae appendiculae chori sunt; ex contrario propemodum dixerim chorum illorum causa adesse. Quam in partem optime comparatur titulus Deliacus, qui, quamquam anno a. Chr. n. 172 tribuendus est, tamen testimonii vim habet: Bull. de corr. hell. IX (1885) p. 149, ed. P. Paris, vs. 70 sq.: *αὐλ]ητὴς . . . μετὰ χοροῦ — [κι]θαρισταὶ μετὰ χοροῦ.*

Iam histriones comparent, insequitur pars scenica certaminis. At vero de versibus lapidis huc spectantibus magnae oboriuntur difficultates, quas ad expediendas nova atque laboriosa de historia tragoediae et comoediae Graecae studia flagitantur, quibus ut nunc me dedam, deest otium. Satis igitur habeo monuisse lectiones

Significatio notarum.	Praemia: Marcae	Praemia: Denarii	Tragoedus.	Choraules.	Chorocitharistes. (?)	Comoedus.	Pythaules	Citharista
I, II, III = praemium primum, secundum, tertium. Nota '1' significat unum tantummodo praemium propositum esse.	2175,2	2500	I					
	1305,1	1500		I	I	I		
	870,1	1000					I	I
	696,10	800	II					
	652,6	750						
	435,00	500		II	II	II		
	348,04	400	III					
	304,51	350					II	II
	261,03	300				III		
	217,5	250						
	174,02	200						
	130,51	150						
Summa praemiorum:			* 3700 I. II. III.	2000 I. II.	2000 I. II.	2300 I. II. III.	1350 I. II.	1350 I. II.

Denarii 20 250 =

Addenda sunt duo praemia (viri citharoedi),

in nr. XX a datas, quas doleo Ianium effugisse, unice veras esse. — Finitus erat agon, postquam pyrrhicha[31]) saltata est et ad extremum rursus citharoedi[32]), sed tunc viri, exauditi sunt. Utrique arti bina proposita erant praemia.

Ordinem certaminum compertum habemus, restat ut magnitudinem praemiorum cognoscamus. Et aptissimum esse ratus sum rem sub conspectu ponere ita, ut praemia enumerarem non ex ordine agonum, quem ostendit lapis, sed gradatim ex multitudine denarium. Ista enim ratione primo aspectu manifestum est, quibus artificibus plurimum offerri opus fuerit, qui inter se pares fuerint ad praemia, quantae fuerint distantiae. Atque cum eorum artificiorum, quae difficilia et ardua aestimantur, pretium maximum statui soleat, numeri hi demonstrant etiam iudicium hominum tunc temporis.

Πυῤῥίχη.	Encomiographus.	Poëta.	Citharoedus puer.	Καινὴ τραγῳδίᾳ.	Tubicen.	Praeco.	Chorus tragicus.	Καινὴ κωμῳδίᾳ.	Ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ.	Κοινὴ τραγικῶν	Κοινὴ κωμῳδῶν	Citharoedus vir
I												Duo praemia, I et II, sed numerus denarium deperiit.
	1	1	I	1								
					1	1	1	1				
II									I			
			II							1		
											1	
									II			
1350 I. II.	750 1.	750 1.	1000 I. II.	750 1.	500 1.	500 1.	500 1.	500 1.	500 I. II.	250 1.	200 1.	? I. II.

marcae 17619,5.

quorum magnitudo in lapide non iam exstat.

C. Regimen certaminis.
(nr. XXI vs. 3 et XX b).

Rector et arbiter agonis Lysimachii fuit ἀγωνοθέτης. Si principium inscriptionis nr. XXI ad ludos Lysimachi referendum est — id quod vix dubium est —, constat gubernatorem Lysimachiorum primorum a logista nominatum esse (vs. 3). Tantummodo praenomen eius, Flavius, conservatum est, nomen mutilum Waddingtonius supplevit Εὔ[μαχος]. Sed supplementa nominis quaecunque tentantur, parum certa sunt. Waddingtonius suspicatus est Flavium illum fortasse fratrem conditoris fuisse. Postea alius ex familia Lysimachi agonotheta fuit, Marcus Flavius Antonius Lysimachus, quem in titulo nr. XX b nuncupatum videmus: ἀγωνοθέτην δι' αἰῶνος Λυσιμαχήων ἀγώνων (vs. 6—9). Iam docuimus (§ 13) δι' αἰῶνος aliter intellegendum esse atque διὰ βίου, nec non diversa significatio versu huius tituli decimo comprobatur.[33]) Is igitur sine propriis sumptibus obtinuit munus agonothesiae, liberalitate unius ex maioribus in perpetuum tempus conditum. Porro si in lapide cernitur ἀγωνοθέτην iuxta νεωποιόν incisum esse et perpenditur apud Aphrodisienses persaepe neopoeos Veneris moderatores ludorum factos esse, paene pro explorato habendum est agonothesiam Lysimachiorum sollemnium curae neopoeorum demandatam fuisse. Tertius denique, quem novimus praesidem illius agonis, fuit Quintus Antonius Epinicus (vs. 10 sq.), sub quo M. Fl. Antonio Lysimacho statua posita est, quae quo auctore dicata sit, e titulo non perspicitur. In elogio eius statuae Lysimachus vocatur vir doctus, antistes sacrorum, gymnasiarchus, stephanephorus, neopoeus, agonotheta. De gymnasiarchia eius accuratiora indicare nequeo.

Adnot. 1) Cf. etiam titulos Iasios, Le Bas-Waddington nr. 252—299, qui quidem alterius ante Chr. n. saeculi sunt.

2) Cf. Le Bas-Waddington nr. 1233, nr. 1209, nr. 1210. — C. I. Gr. nr. 4198, 4352—57, 4366 b sq., 4380 e sq. — Papers of the american school II (1883—84), 1888, p. 129 nr. 101 ed. Sterret. — Cf. etiam § 21 adn. 11.

3) Multos etiam alios titulos tenemus, in quibus ludi ab hominibus privatis conditi commemorantur. Cf. Bull. de corr. hell. V (1881) p. 439, ed. Mondry Beaudrouin. — Wescher et Foucart, Inscriptions recueillies à Delphes (1863) nr. 436. — Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 318 sq.; X (1886) p. 381 sq. — Ἐφ. ἀρχ. (1883) Sp. 30 nr. 10. — Ar-

chäologische Zeitung XXXII (1875) p. 151 sq. — Journal of hellenic studies VIII (1887) p. 361 sq. nr. 3.

4) Vide nr. XX vs. 11/12.

5) Cf. nr. XX a vs. 1/2. Aliam causam, cur „μόνον" adiciatur, non video. Si omnino non in consilio Lysimachi fuit agonem, capite affatim aucto, amplificatum iri, adpositio *μόνον* plane supervacanea est nec naturam institutionis Lysimachiae clariorem reddit quam usitata et simplex elocutio: *ἀγὼν μουσικός*.

6) F. Hultsch, griech. u. röm. Metrologie² (1882) p. 711: 1000 * = 870,1 Mark.

7) A. W. Zumpt, Commentationum epigraphicarum vol. I (1850) p. 146 sq. — Henzen, Sui curatori delle città antiche, in: Annali dell' instituto archeol. (1851) p. 5—35. — Th. Mommsen, Röm. Staatsrecht II, 2² (1877) p. 1033 („res publica = Gemeindevermögen, nicht Gemeinde", cf. Röm. Gesch. V [1885] p. 325). — J. Marquardt, Röm. Staatsverwalt. I² (1881) p. 162 sq. — J. Menadier, Qua condicione Ephesii cet., diss. Berol. 1880 p. 86—89. — Sterrett, Papers of the american school II (1883—84), 1888, p. 123 nr. 95. — Bull. de corr. hell. XI (1887) p. 216 vs. 5, ed. Kontoleon; p. 348 nr. 5 vs. 6, ed. Clerc; p. 400 vs. 10/11, ed. Radet et Lechat. X (1886) p. 222 nr. 4 vs. 7, ed. Holleaux et Paris; p. 456 nr. 8, ed. Kontoleon. IX (1885) p. 359 et comment. p. 396, ed. Foucart. VIII (1884) p. 389 nr. 8. II (1878) p. 523 nr. 6, ed. Tissot. — Benndorf, Reisen (1884) p. 67 nr. 42 vs. 7. — Journal of hellenic studies VI p. 348. — Mitteil. Inst. Athen III (1878) p. 56 nr. 1. — *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη* 1885 nr. 484 p. 76; 1878 nr. 230/31 p. 29, nr. 237 p. 33; 1875 nr. 17 p. 118. — Franz, 5 Inschriften und 5 Städte in Kleinasien p. 15 sq. — Revue archeol. VII (1863) p. 373 et 377. — Compares *ἐγλογιστής* in titulo Bull. de corr. hell. X (1886) p. 311 nr. 4 vs. 34, ed. Diehl et Cousin (= Le Bas-Waddington nr. 405).

8) Cf. Le Bas-Waddington nr. 867.

9) Cf. Stobbe, Die Tribunenjahre der römischen Kaiser, in Philolog. vol. XXXII (1873) p. 1—91.

10) C. I. Gr. nr. 3831 = Le Bas-Waddington nr. 868.

11) C. I. Gr. nr. 3832 = Le Bas-Waddington nr. 869.

12) C. I. Gr. nr. 3836 Add. p. 1065 = Le Bas-Waddington nr. 871. Ergo in magistratu ipso fuit a. 162.

13) Nisi quod nr. XX vs. 2 efficitur, ut Eurycles annis intersummum sacerdotium templorum Smyrnae a communi Asiae administratorum primum gesserit.

14) Rursus litterae sunt, quibus memoria eius ad posteritatem propagata est.

15) Cf. nr. XX vs. 9, nr. XXII vs. 18—20. — Sententia igitur Boeckhii nunc caduca est (adnot. ad C. I. Gr. nr. 2741). De priore loco: *ἑπόμενος τῇ κατὰ τὴν λογιστείαν τάξει καὶ προθυμίᾳ* compares

etiam Bulletin de corr. hell. II (1878) p. 523 nr. 6, ed. Tissot: *Τι. Κλα. Φροντωνιανὸν . . . . β' τῆς Ἀσίας ἀρχιερασάμενον καὶ ἀγωνοθετήσαντα καὶ πόλεων ἐπιφανεστάτων λογιστείας εὑράμενον* (sic) . . . . . . *ἡ λαμπροτάτη Μηλίων πόλις κ. τ. λ.* — Magistratus igitur logistae appellatur *λογιστεία*. Porro hoc testimonio cognoscimus saepius *λογιστείαν* et *ἀρχιερωσύνην Ἀσίας* penes eundem fuisse (cf. etiam Bulletin de corr. hell. XI [1887] p. 216 nr. 8, ed. Kontoleon, Passala? Cariae, vs. 5: *ἐπὶ λογιστοῦ Τ(ίτου) Φλ(αβίου) Δημητρίου Ἀσιάρχου*). — Officia scilicet prorsus diversa sunt. Nunquam pontifex Asiae — id quod Boeckhius errore sibi finxit — similem potestatem habuit atque curator rei publicae. Ceterum Boeckhius videtur optionem duarum explicationum fecisse, cum paucis versibus post pergat commentari: „*τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου πολλάκις ἐντυχόντων μοι*, hoc est sodalitio artificum urgente; habebantque eiusmodi synodi etiam *λογιστήν*, ut in Tralliano titulo C. I. Gr. nr. 2933." Id sane constat nec vero minus constat (nr. XXII vs. 18—20) Euryclem logistam urbis Aphrodisiadis fuisse. Hoc tenendum est, iure autem ac merito conici licet illum simul res pecuniarias synodi tuitum esse, quae opinio non caret testimonio. Etenim alius quoque logista urbis Aphrodisiadis, C. Iulius Philippus, eius nominis alter, Trallianus, e iudicibus selectis, procurator Augustorum (L. Veri et M. Aurelii aut M. Aurelii et Commodi), simul fuerat logista synodi [*τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν*] *τῶν ἀπὸ Ἰωνίας κα[ὶ] Ἑλλησπόντο[υ]*, cf. Le Bas-Waddington nr. 605 = C. I. Gr. nr. 2933, Le Bas-Waddington nr. 1609 = C. I. Gr. nr. 2790 (Boeckhius rationem temporum non perspexit). Paene pro explorato habeo Euryclem Aezanitam in locum C. Iulii Philippi Tralliani successisse tam apud Aphrodisienses quam apud sodales synodi musicae, quod ad aetatem titulorum huc spectantium egregie quadrat. Quam in partem conferendae sunt inscriptiones: Bull. de corr. hell. X (1886) p. 456 nr. 8, ed. Kontoleon, cum adnotationibus, quibus Foucart p. 457 titulum instruxit. — Le Bas-Waddington nr. 1652 c. — Papers of the american school I (1882—83), 1885, p. 100—104 nr. VI, ed. Sterrett et Ramsay. — Archäolog. Zeitung 1880 p. 62 nr. 353, Dittenberger. — Waddington, Fastes des provinces Asiatiques (Le Bas-Waddington III) p. 729. — Bull. de corr. hell. V (1881) p. 346.

16) Quibus conditionibus usurae pendendae fuerint, ignari sumus.

17) Qua condicione Ephesii cet., diss. Berol. 1880 p. 58.

18) Quae sollemnia in quod anni tempus incidant, ignoramus. Ceterum legas Dio. Cass. LXVI 9: *τούς τε ἀστρολόγους ἐκ τῆς Ῥώμης ἐξώρισε* (Vespasianus) *καίτοι πᾶσι τοῖς ἀρίστοις αὐτῶν χρώμενος, ὥστε καὶ διὰ Βάρβιλλόν τινα ἄνδρα τοιουτότροπον ἀγῶνα τοῖς Ἐφεσίοις ἱερὸν ἄγειν συγχωρῆσαι. ὅπερ οὐδεμιᾷ ἄλλῃ πόλει ἔτειμεν.* Vide § 19. — C. I. Gr. nr. 2810. — Bulletino dell' instituto archeol. (1877) p. 109: iscrizione atletica Neapoletane. — Archaeolog. Zeitung XXXV (1877) p. 100 nr. 68, ed. Dittenberger.

19) *τετραετηρίς* et *πεντετηρίς* tunc aetatis frequenter promiscue habentur. Significationem diversam non esse monstrant tituli nr. XX vs. 22 et XX a vs. 1 inter se collati.

20) Eusebi chronic. Ol. 96: *προσετέθη σαλπιγκτὴς καὶ ἐνίκα Τίμαιος Ἠλεῖος — προσετέθη καὶ κῆρυξ καὶ ἐνίκα Κράτης Ἠλεῖος.*

21) Cf. locos inscriptionum apud Müllerum, Bühnenaltert. p. 403 adnot. 2 et 3.

22) Cf. Pollucis onomasticon IV, 85—91. — Ciceronis Epist. ad famil. lib. V, ep. 12 § 8.

23) C. I. Gr. nr. 1585.

24) Cf. Müller l. c. p. 405 adn. 2. — Nomina poëtarum istius generis, qui ineunte saeculo in urbibus Cariae noti fuerant, exstant in titulo Nysaeo: Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 124 sq., ed. Clerc, vs. 65: *Ἀριστείδου τοῦ Ἀριστείδ[ου] Γαίου Περγαμηνοῦ, ποιητοῦ παραδόξου*; alius contextor carminum sollemnium, simul vates lyricus et, venia sit verbo, archipoëta Hadriani comparet in eodem titulo vs. 1 sq.: *Ποπλίου Αἰλίου Πομπη[ια]νοῦ . αιονος Σιδήτου καὶ Ταρσέ[ως] καὶ Ῥοδίο[υ ποιη]τοῦ πλειστονείκου μελοποιοῦ καὶ ῥαψ[ῳδοῦ θε]οῦ Ἀδριανοῦ, θεολόγου ναῶν τῶν ἐν Π[εργάμῳ, ἀγ]ωνοθέτου ἀποδεδειγμένου τῶν Σεβ[αστῶν Πυ]θίων*; cf. etiam vs. 60 sq.

25) Müller, Bühnenaltertümer p. 404 adnot. 4, commemorat dissertationes priorum. — Modo accessit: Jan, Die musischen Festspiele in Griechenland, in: Verhandlungen der XXXIX. Versammlung deutscher Philologen in Zürich (1888) p. 71—90. Vide adnot. 27.

26) Cf. Le Bas-Waddington nr. 281, titulus est Iasius, vs. 15: *αὐλητὰς δύο, τραγῳδοὺς δύο, κωμῳδοὺς δύο, κιθαρῳδόν, κιθαριστήν.* — Eadem ratione *αὐλητής* et *αὐλῳδός* seiungendi sunt. Cf. etiam Waddingtonii animadversiones ad tit. nr. 252—299, p. 88/89. Ian, Kitharodik, in: Ersch und Gruber, Encyklopädie.

27) Valde dolendum est, quod Jan, Die mus. Festspiele, p. 78 not. 5 et aliis locis commentationis suae optimum tituli propositi apographon, a Waddingtonio promulgatum, praeteriit. Quo efficitur, ut tabula certaminum musicorum a viro doctissimo conspectus causa adiecta imperfecta sit et, quod quidem ad Lysimachia attinet, emendatione indigeat.

28) C. I. Gr. nr. 1586 et § 26.

29) Waddingtonius in editione sua praebet *χόρῳ κιθαρεῖ*, ubi *χόρῳ* pro *χορῷ* mendum est. Sed *χορῷ κιθαρεῖ* errori quadratarii deberi puto. Nam in titulo nr. XXXVII sylloges meae compluries exhibetur *χοροκιθαρεῖ*, et omnia verba substantiva cum voce *χορός* composita, veluti *χοροδιδάσκαλος*, *χοροποιός*, *χορολέκτης*, *χοροστάτης*, ostendunt vocalem omicron.

30) Quotiens nonnulli choraulae prodierint, luculenter docet titulus Cyzicenus: Mitt. Inst. Athen VII (1882) p. 255 nr. 26, ed. Mordt-

mann: *Γ. Ἰούλ(ιος) Ἀχιλλεὺς χοραύλης Μάγνης ἀπὸ Σιπύλου καὶ Κυζικηνὸς καὶ Σμυρναῖος καὶ Ἐφέσιος καὶ Περγαμηνὸς καὶ ἄλλων πόλεων πολλῶν πολείτης ἐνεικάτους ὑπογεγραμμένους ἀγῶνας Σμύρναν Ὀλύμπια Ἔφεσον Ἐφέση[α] Κυζικὸν Ὀλύμπια, Σμύρναν κοινὸν Ἀσ[ίας] ἐν Περγάμῳ Αὐγούστεια Πέργαμον Τραιάνηα τοὺς δὲ λοιποὺς ἀγῶνας θεματικοὺς ΡΚΔ.* (= CXXIV!). — De choraulis cf. etiam Jan, l. c. p. 83.

31) Cf. Friedlaender, Sittengeschichte II^5 (1881) p. 418 sq., p. 574: „Die kleinasiatische Pyrrhiche". Praeterea titulos Teios: C. I. Gr. nr. 3089 vs. 7, nr. 3090 vs. 4.

32) Citharoedum inclutum aetatis Hadrianeae commemorat titulus Nysaeus, Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 124, ed. Clerc, vs. 6: *Ποπλίου Αἰλίου . . . . [Κυ]ζικηνοῦ κιθαρῳδοῦ Καπετωλιονείκου Ὀλυμπιονείκου παραδόξου.*

33) Flavius Lysimachus superstes fuit.

Nr. XXI.

Ex apographo, quod Deering a. 1813 sumpsit, ed. Leake: Transactions of the Royal Society of Literature (1843) p. 243 et 302; deinde Le Bas-Waddington, inscriptions d'Asie mineure (1870) comment. p. 381 nr. 1620 c.

. . . .

τῇ τοῦ ἀγῶνος χρείᾳ εὐτρεπίζειν καὶ δη[νάρια? . . . .]
καὶ τὰ ἆθλα καὶ τὰ ἀγωνίσματα ἀκολούθως [τῇ τοῦ τελευτήσαντος γνώμῃ. ἀγω-]
νοθετήσει δὲ τὸν πρῶτον ἀγῶνα Φλάβιος Εὔ[μαχος? . . . . τού-]
των δὲ ὁ ἀπὸ τῶν Καλλικράτου τοῦ Διοτείμου [ἀγὼν ἐπιτελεσθήσεται τοῦ ἐπι-]
όντος ἔτους [π]ερὶ μῆνα ἕκτον πρὸ τῆς εἰς Ῥώμην [καὶ Σεβαστὸν ἑορτῆς, ἔχει δὲ οὗ-]
τος ὁ ἀγὼν τὰ ἆθλα διαγεγραμμένα ἐν τῇ τοῦ κ[τίσαντος διαθήκῃ, τὸ σύμπαν δηναρίων]
μυρίων δισχειλίων ἑξακοσίων, προνοουμένω[ν τῶν ἐν ταῖς Καλλικράτου διαθή-]
κα[ι]ς ἐνγεγραμμένων, τοῦ τε ἱερέως τῆς Ἀφροδίτη[ς καὶ τοῦ πρώτου ἄρχοντος,]
ὑπὲρ τούτου τῇ συνόδῳ ἐπιστέλλειν ἤδη, καὶ κα[τ]α[σκευάσαι ὅπως τοῦτον τὸν]

ἀγῶνα, ὑπὲρ τῆς τοῦ μεγίστου Αὐτοκράτορος Κομμό[δου Σεβαστοῦ σωτηρίας]
καὶ εἰς αἰῶνα διαμονῆς ἐπιτελεσθησόμενον, τῇ ὡρισμ[ένῃ προθεσμίᾳ τελέσωσιν. Τ-]
ὸν δὲ Κλαυδίου Ἀδράστου ἀγῶνα ὡς διατέτακται χ[ρὴ ἐπιτελεῖν οὐδεμίας πε-]
ρὶ αὐτὸν γινομένης ἢ ὀλιγωρίας ἢ ἐνδείας, ἐπιμ[ελεῖσθαι δὲ ὅπως τελεσθῇ]
ἐν τῷ ἐνεστῶτι μηνὶ ἐνάτῳ, διὰ τὸ τοὺς ἀγωνιστὰς [ὕστερον ἀποδημῆσαι
εἰς] Ἡράκλειαν. ἀεὶ δὲ ἐκ περιόδου οὕτως, ὡς ἡ [δ]ι[αγραφὴ σημαίνει. ὁ]
δὲ πολειτικὸς ἀγὼν ἔχει τὸν ἴδιον καιρὸν μετὰ τοῦ[τον . . . . τὴν δὲ δι-]
αγραφὴν πεποιήμεθα τῶν ἄθλων καὶ πρότερον ο . . . . συντεταγμένος.
Ἔ]πε[στι τού]τοις καὶ ὁ Ὀσσιδίου Ἰουλιανοῦ ἀγών, ο μετὰ τὸν
[πολειτικὸν προ]θεσμίαν ἔχων καὶ διαγραφὴν τὴν ἐν ταῖς διαθήκα-
[ις ὡρισμένην· τ]ὸν δὲ χρόνον ἕξει μετὰ Νικηράτεια τὰ ἐν Τρά-
[λλεσι. Ὁ δὲ Φιλήμον]ος? τετράκι Τατιανοῦ ἀγών, οὐδέπω τῶν χρημάτ-
[ων εἰς τὰς δώδ]εκα μυριάδας προεληλυθότων, ἐπιτελεσθ-
[ήσεται ὅταν τὸ κεφά]λαιον συνέλθῃ ὡς τοκοφορεῖν [τὸ] λοιπ-
[ὸν δηνάρια . . . . .]ασθαι τῆς ψήφου ὑμεῖν εὐθὺς δηλοθησ-
[ομένης. Θέματα τραγ]ῳδῶν μόνων, τραγῳδῷ πρ[ω]τείου * ͵αφ.
[ἀγῶνος Κλαυδί]ου Ἀδράστου δευτερείου * ͵χʹ.
τριτείου * τνʹ.

Epistolam hanc logistae (vs. 25) connexam esse cum titulis nr. XX, XX a, XX b, ostendit paragraphus commentationis vicesimus alter.

§ 23.

2. Callicratea (nr. XXI).

Callicrates, filius Diotimi, dives Aphrodisiensis, auctor est ludi cuius de natura, utrum agonismata et musica et gymnica fuerint an alterum utrum solum genus admissum sit, exploratum nihil habemus; ne de amplitudine quidem quidquam investigari potest, quia vis pecuniae ad praemia destinata, unde conclusio de splendore maiore minoreve certaminis derivari fortasse poterat, propter lacunosam testimonii lapidei condicionem valde ambigua est. Id vero certum est Callicratea ad agonas argentarias pertinuisse. Nunc quando celebrari solita sint, videbimus.

Praescriptum tempus.

Ea res non generaliter solum potest definiri. Etenim dies determinata erat triplici ratione, cum et feriae antecedentes et insequentes et mensis indicaretur. Quamquam in medio relinquendum est, quae sollemnia anni superioris fuerint (vs. 5), quibus Callicratea accommodanda erant, tamen duo alia indicia sufficiunt. Traditum enim est in lapide: *περὶ μῆνα ἕκτον*[1]) (vs. 5). Inde efficitur, ut ludi hi medio fere anno praestandi sint. Cum enim apud Asianos[2]) initium anni ab aequinoctio autumnali computatum sit et autumni principium tunc temporis, si nostros fastos subicio, ceciderit in diem 24. mensis Septembris, manifestum est agonem Callicratis certa die, quae nonnisi inter diem 24. mens. Febr. et diem 24. mens. Mart. esse potuit, recurrisse. — Eodem aut proximo mense feriae Deae Romae dedicatae celebranda erant, quae succedebant Callicrateis. — Atque de administratione etiam certaminis pauca e lapide discimus.

Moderatores ludi.

Summa auctoritas penes logistam fuisse videtur, cui, uti de tempore et primo apparatu praecepta dederat, sic postea cura custodiaque credita erat. Praefectura autem sollemnium ipsorum lege testamentaria demandata erat et sacerdoti Veneris et alii moderatori, cuius dignitatem lapide fracto non iam cognoscere possumus. Waddingtonius cogitavit de primo archonte. Unum autem de primis officiis horum duorum curatorum ludi in eo versabatur, quod cum sodalitate artificum agere debebant

(vs. 9). Restat ut perpauca, quae de festis ipsis lapide memoriae produntur, adiungamus.

Celebratio ipsa.

Cum una tantum synodus artificum (*τῇ συνόδῳ* vs. 9) commemoretur, quam rectores, quos supra nominavimus, adire iussi erant, perspicuum est certamen ab sodalibus unius tantum atque eiusdem collegii factum esse. Denique accepimus agonem tum, cum primum editus est, votivum fuisse, actum pro salute et longaeva felicitate regnantis Commodi imperatoris. Quomodo praemia distributa fuerint inter singulos certantes, obscurum est; summa praemiorum fortasse re vera maior fuerat quam nota numerali in lapide conservata indicatur (*μυρίων δισχειλίων ἑξακοσίων*), id quod pro certo diiudicare mutilato versu praecedente (vs. 6) prohibemur. Quamquam nihil obstat suspicari in lacuna fuisse *ΔΙΣ*]|*ΜΥΡΙΩΝ*, quam ad coniecturam ductus sum, cum observassem et in titulo nr. XX caput ludi Lysimachii et in titulo proposito nr. XXI[3]) caput alius agonis aequaliter demensum et ad ∗ 120 000 consummandum fuisse. Quodsi circumspicimus praemia Lysimachiorum, quae efficiebant 20 250 ∗ omissis pecuniis duobus viris citharoedis propositis, quae, cum numeri evanuerint, divinatione tantum restitui possunt, satis probabile fit praemia certaminis Callicratei non exiguam sane summam denariorum 12 600 explevisse, sed 20 000 + 2 600 ∗ = 22 600 ∗ victoribus constituta esse. Eandem autem summam puto Lysimachiis ad praemia erogatam esse, quod demonstrare non difficile est.

In titulo igitur nr. XX a viri citharoedi carent indice praemiorum. Cum autem puer citharoedus primi ordinis ∗ 750, secundi ordinis 250 ∗ acceperit atque praemia virorum musicorum, ut ex catalogo illo clare perspici potest, omnino permagna fuerint, veluti psaltes chori, choraules citharistes 1500 ∗ aut 1000 ∗ reportaverunt, nimis audacter non conclusum est, si differentiam inter 22 600 ∗ et 20 250 ∗, quae efficit 2350 ∗, inter duos citharoedos distribuimus, ita ut maior pars citharoedo primi ordinis, portio minor citharoedo secundi ordinis tribuatur. Ratio igitur numerorum optime quadrat in sententiam meam supra delineatam, ex qua statuo omnibus certaminibus aetate Euryclis

logistae primum celebratis aequale caput firmum subfuisse simulque edicto curatoris imperatum esse, ut in omnibus istiusmodi agonibus tantundem argenti in praemiis ponendis consumeretur. Singillatim vero praemia diversa fuisse sponte intellegitur, cum alias alius artifex rarior et, quo rarior erat, eo maiore praemio alliciendus fuerit atque voluntates etiam testatorum respiciendae fuerint (nr. XXI vs. 6. 20).

Adnot. 1) Menses Aphrodisienses: *Γορπιαῖος*, C. I. Gr. nr. 2843. — *Γορπιῆος*, C. I. Gr. nr. 2840 = Le Bas-Waddington nr. 1637. — *Γορπίεος*, C. I. Gr. Add. nr. 2837 b = Le Bas-Wadd. nr. 1634. — *Δεῖος*, Le Bas-Waddington nr. 1369 = Annal. inst. arch. 1847 p. 114, Trans. R. S. L. (1843) p. 240. — *Ἰουλιῆος*, C. I. Gr. nr. 2817, 2827, 2836 (= Le Bas-Waddington nr. 1633a). — *Καῖσαρ*, C. I. Gr. nr. 2842. — *Ξανδικός*, C. I. Gr. nr. 2829 = Le Bas-Waddington nr. 1630; Le Bas-Waddington nr. 1641a (Trans. R. S. L. [1843] p. 241/300), nr. 1642 (Annal. inst. arch. 1847 p. 115), nr. 1643 (C. I. Gr. Add. nr. 2850 b). — *Τιβέριος*, C. I. Gr. nr. 2817. — *Τραιανὸς Σεβαστός*, C. I. Gr. nr. 2834 = Le Bas-Waddington nr. 1632. — *ἕκτος*, nr. XXI meae sylloges vs. 5. — *ἔνατος* ibid. vs. 14. — *δέκατος*, Le Bas-Waddington nr. 1631 (Annal. 1847 p. 114). — *δωδέκατος*, C. I. Gr. nr. 2826.

2) Cf. Waddingtonii animadversiones III p. 377 et 382.

3) Vs. 23. Supplementum Waddingtonii *δώδ]εκα* sine dubio rectum est; ratio spatii aliud non patitur.

§ 24.

Sollemne publicum.

Feriae Romanae (nr. XXI).

Callicratea excipiebant dies festi numini divo urbis urbium, Romae, consecrati.[1] Publicis autem impensis eos actos esse, satis certum duco. Haec omnia sunt, quae derelicti lapidis indiciis de ea re proferre possumus. Et in paragraphis insequentibus quoque brevitas monumenti epigraphici sentietur.

Adnot. 1) Deam Romam constat iam inde ab anno a. Chr. n. 195. ab Asianis cultam esse; cf. Taciti ab exc. d. A. 4, 65: „At Zmyrnaei . . . . seque primos templum urbis Romae statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem iam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus.“

§ 25.

3. Agon Claudii Adrasti (nr. XXI).

Tribus mensibus post ferias, quas postremo nominavimus, concelebrabatur ludus ortus legato Claudii cuiusdam Adrasti; fuerat autem periodicus et diem suam habebat inter d. IX a. Kal. Iun. et d. VIII a. Kal. Iul. Sciscitanti de singulis rebus non ita multum praeberi potest. Memorabilis sane est levis de conditionibus peculiaribus significatio, quibus praeparatio primi ludi subiecta fuerit (vs. 13/14). Etenim logista, cuius arbitrio constitutio diei permissa erat, eo permotus, quod artifices sodalitatis aliam in urbem, Heracleam, profecturi erant, iusserat agonem eodem etiam mense celebrari, quo Aphrodisienses litteras huc spectantes accipiebant. Cum autem timeret, ne propter perexiguum intervallum apparatus minore cura fierent, disertam monitionem utilem esse censuit.

Certantes vero, ut iam in Lysimachiis et Callicrateis apparuit, artifices fuerant synodi peripolisticae quam vocant. Denique relaturus sum, quanta praemia trium tragoedorum fuerint, quae in fine edicti curatoris rei publicae annotata invenimus:

tragoedus I	* 1500.
tragoedus II	* 600.
tragoedus III	* 350.

Ex elocutione *θέματα τρα]γῳδῶν μόνων* iure colligitur solis tragoedis illud certamen primo permissum fuisse. Postea alias commissiones, fortasse etiam gymnicas, accessisse nihil impedit opinari.

§ 26.

Civilis agon (nr. XXI).

Certamen, in quod descendere solis civibus urbis feriatae eorumque pueris licuit, vocabatur *πολειτικὸς ἀγών* (vs. 16). Sed hoc quidem loco agon ille altera etiam de causa *πολειτικός* appellari potest, cum ludus ille tunc communibus impensis civitatis datus videatur esse. Praemia is disposuit, qui facultates urbis optime noverat, dico logistam[1]); quo de iure discessit in ordinandis iis agonibus, qui munificentiae hominum privatorum debebantur, quorum optatis, si fieri poterat[2]), respondebat.

Publica haec sollemnia subsequebantur rursus alia, quorum sumptus aerarium non onerabant.

Adnot. 1) Quid extremo versu 17, ubi hodie lacuna est, scriptum fuerit, in medio relinquendum est.

2) Vide supra.

§ 27.

4. Agon Hossidii Iuliani (nr. XXI).

Nec plus nec minus quam de modis certandi in agone civium usitatis compertum habemus de natura certaminis, quod ab Hossidio[1]) quodam Iuliano nomen acceperat. Is de praemiis quoque caverat in testamento. Tempus logista voluit esse post Niceratia Tralliana[2]) respectu nimirum locationis quam artifices collegii circumvagantis, cum antea facta esset, Trallianis renuntiare non poterant.

Adnot. 1) De Hossidiis Getis Romanis cf. W. Smitt, Dictionary of greek aud roman biography.

2) aut *Νικηράτεια τὰ ἐν Τρα[πεζοπόλει,* Waddingtonius. — De his festis nihil dicere possum.

Nr. XXII—XXVI.

Nr. XXII.

Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 71 nr. 2 (ed. P. Paris et M. Holleaux).

. . . .
[Ἀρτε]μιδώρο[υ τοῦ
[Δη]μοφάντου ν[εική-
σα]ντα παίδων πυ[γμ-
ὴν τῷ ἐ]πιτελεσθέν-
[τι ἀγ]ῶνι τῆς τρίτης
[τετρ]αετηρίδος [Ἀ-
φρ]οδισιήων Φιλ[η-
μ]ονιήων, ἀγωνο-
θετοῦντος Τίτο[υ
Αἰλίου Ἀδράστου,
τὴν δὲ ἀνάστασιν

τοῦ ἀνδριάντος πο[ι-
η]σαμένου Ἀρτεμιδ[ώ-
ρ]ου τοῦ πατρὸς αὐ-
τοῦ, λαβόντος τὸ θέ-
μα παρὰ τῶν κληρονό-
μων τοῦ Φιλήμονος κ-
α]τὰ τὴν Οὐλπίου Εὐρυ-
κλέ[ο]υς τοῦ λογισ-
τοῦ κέλευσιν.

De lapidibus nr. XXII—XVI cf. § 28.

Nr. XXIII.

Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 73 nr. 3 (ed. P. Paris et M. Holleaux).

[τὸν δεῖνα νι-
κήσαντα τῷ ἐπιτελεσ-]
θέντι ἀγῶνι τῆς
πέμπτης τετραε-
τηρίδος Ἀφροδεισι-
ήων Φιλημον(ι)ήων, ἀ-
γωνοθετούντων
τῶν νεοποιῶν τῶν
περὶ Μάρκον Ἀντώ-
νιον Ἀπελλᾶν Σε-
βηρεῖνον. τὴν δὲ ἀ-
[νάστασιν τοῦ ἀνδρι-
άντος ποιησαμένου
τοῦ δεῖνος] κ. τ. λ.

Vs. 8. *ΑΠΕΛΛΑΝ*, quod nomen in apographo maiusculis quae vocant elementis confecto exstat, in verbis transscriptis nescio cuius incuria omissum est.

Nr. XXIV.

Ex Sherardianis ed. A. Boeckhius. C. I. Gr. II p. 528 nr. 2812.

Ἀντ[ώ]νιον Φλαυ.
Μητροδ[ώ]ρου υἱὸ[ν]

Ἀντίοχον, νική-
σαντα παίδων πυ-
γμὴν τῷ ἐπιτελε-
σθέντι ἀγῶνι τῆς
πεντεκαιδεκά-
της τετραετηρί-
δος Ἀφροδεισειή-
ων Φιλημονι[ήω]ν,
ἀγωνοθετούν-
των τῶν περὶ Ἰού-
[λ]ιον Αὐρήλιον, Ζή-
λου υἱὸν, Χαρίδη-
μον, καὶ Ζήλου ἔ[κ-]
γονον, ἀρχιερέων,
κτιστῶν, σοφιστήν,
νε[ω]ποιῶν.
τὴν δὲ ἀνάστασιν
τοῦ ἀνδριάντος ποι-
ησαμένου Ἀντ[ω]νί-
ου Φλαβίου Μητρο-
δ[ώ]ρου τοῦ πατρὸς
αὐτοῦ.

Nr. XXV.

Le Bas et Waddington: inscriptions d'Asie mineure (1870) p. 193 nr. 596 et in commentario p. 199 ad nr. 596. — Apographum sumpsit Lebasius.

[τὸν δεῖνα νικήσαντα]
παίδων στάδι-
ον τῷ ἐπιτελε-
σθέντι ἀγῶνι
τῆς πεντε-
καιδεκάτης
τετραετ[η]ρίδος
Ἀφροδεισιήων
[Φ]ιλημονιήων
αγωνοθετούν-
των τῶν περὶ

Ἰούλιον Αὐρήλι-
ον, Ζήλου ἀρχι-
ερέως υἱόν, Χα-
ρίδημον νεω-
ποιῶν. τὴν δὲ ἀ-
νάστασιν τοῦ
ἀνδριάντος
ποιησαμένου
Ἰουλίου Κρατε-
ροῦ πατρὸς
αὐτοῦ.

Nr. XXVI.

Ex exemplis aliorum edidit A. Boeckhius: C. I. Gr. II p. 527 nr. 2811.

[ἡ βουλὴ?]
[Μένανδ]ρο[ν β̄ vel γ̄ etc.] τοῦ Μενάνδρου],
υἱὸν Μενάν-
δρου τοῦ οἰκο-
νόμου αὐτῆς,
ἀγωνισάμενον
παίδων παν-
κράτιον
ἐνδόξως τὸν ἐ-
πιτετελεσμέ-
νον ἀγῶνα Φι-
λημονίηον ὑ-
πὸ τῶν περὶ τὸν
ἀξιολογώτατον
Ἀντ(ώνιον) Καρ(μίνιον?) Πο. Ἀγέ-
λαον ἀρχινεω-
ποιὸν νεωποι-
ῶν τῆς ἐπιφανε-
στάτης θεοῦ
Ἀφροδείτης.
τῆς ἀναστάσε-
ως τοῦ ἀνδριάν-
τος γεγενημέ-

νης ἐκ τῶν προσ-
όδων πάσης τῆς
βουλῆς,
δι' Ἀντ(ωνίου) Αὐρ(ηλίου) Εὐ-
ελπίστου τοῦ
βουλάρχου.
Ὅστις Μένανδρος
ἐστέφθη νεικήσας
καὶ τὸν ἀγῶνα, καθὼς
καὶ διὰ τοῦ ἑτέρου ἀν-
δριάντος τοῦ αὐτοῦ,
πρὸ αὐτοῦ ἑστῶτος
[. . . . δη]λοῦται.

Variae ligaturae quae dicuntur comparent; vs. 29—33 litterae ceteris minores.

Initium elogii deest, „quippe id in cymatio scriptum esse solebat: quo laeso periit". — Vs. 29: ὅστις abhorret ab usu dicendi bonae aetatis, proprium est pro ὅς sermonis inferioris aetatis; cf. Reinach, Traité (1885) p. 283.

§ 28.

5. Philemoniea (nr. XXI—XXVI).

a) *Quando condita sint.*

In monumento epigraphico nr. XXI inde a vss. 22 nominatur: . . . .]ος τετράκι Τατιανοῦ ἀγών. Perspicuum est supplementum nominis petendum esse a casu nominativo singularis numeri in syllabam -ων exeunte. Quodsi lapidibus quinque (nr. XXII—XXVI) memoriae proditur ἀγῶνα Φιλημονίηον actum esse ab Aphrodisiensibus, simul autem ratio temporum egregie convenit, quod ex disputatione de singulis Philemonieis clare intellegetur, cur coniecturam iam a Waddingtonio tum, cum tria demum testimonia ad Philemoniea spectantia nota fuerunt, pronuntiatam aspernemur? Qui supplevit Φιλήμον]ος adposito signo interrogationis, quod fidenter licet omittere.

Aetate igitur Commodi imperatoris (nr. XXI vs. 10) agon talantiaeus, quem primum anonymum designare volumus, non-

dum ad summam necessariam * 120000 pervenerat, quapropter logista, cui cura dirigendorum certaminum demandata erat, ordinationem huius ludi distulit pollicitus sorte cum fenore coacta sese exordium agonis amplius producturum non esse (nr. XXI vs. 22 sq.). Deinde constat agonem Philemonieum tertiae tetraeteridis incidisse in tempus, quo M. Ulpius Eurycles, certe aetate satis iam provectus, superstes fuit (nr. XXII vs. 18—20), agonem quintae tetraeteridis neutiquam ante primordia regni Septimii Severi celebratum esse (nr. XXIII vs. 8/9). Tribus his inter se comparatis, quid magis in propatulo est quam illum ludum incertae originis, cuius caput aetate Commodi et vivo Eurycle eo progressum erat, ut Aphrodisienses logistam iam consulere possent num liceat agonem aperire, paulo post rescriptum missum (nr. XXI) re vera incohatum esse? Quod si ita est, in dubium vocari non iam potest, quin Philemon, progenies quattuor Tatianorum (nr. XXI vs. 22), molitor fuerit huius certaminis et Eurycles, qui duodecim annis post de Philemonieis tertiis intercessit, tunc etiam cum Aphrodisiensibus egerit de Philemonieis.

Quae cum ita sint, non dubito statuere prima Philemoniea referenda esse ad tempora Commodi Caesaris.[1] Transeamus ad singula de quibus in lapidibus narratur sollemnia, quorum tria numero ordinario insignita sunt, cum duo alia hac nota careant. Una celebratio Philemonieorum duplici testimonio traditur; est autem quinta decima.

b) Tetraeteris tertia (nr. XXII).

Cum ludi tertium repetiti sunt, unus iis praefuit agonotheta: Titus Aelius Adrastus. Certabant autem pueri pugilatu. Nomen eius, qui victoriam reportabat evanuit, patrem tantummodo Artemidorum et avum Demophantem cognoscimus. Praemii loco victori summa pecuniae posita erat, quae quanta fuerit ignoramus, quo modo expensa sit accepimus. Etenim curator imperatorius, Ulpius Eurycles, adhortatus est heredes Philemonis testatoris, ut praemium numerarent. Pater victoris pueri ab his pecuniam partam pro filio accepit. In maiorem vero victoris omnisque familiae gloriam pater statuam filii de suo erexit.

c) *Tetraeteris quinta* (nr. XXIII).

Octo annis post complures fuerant moderatores et arbitri Philemonieorum. Agonothesia tum penes collegium neopoeorum[2]) erat, quibus praepositus erat Marcus Antonius Apellas Severinus. Nec nomen nec praemium nec genus certaminis in cognitionem nostram venit.

d) *Tetraeteris quinta decima* (nr. XXIV et XXV).

Agoni praesidebant neopoei cum praefecto suo Iulio Aurelio Charidemo.[3]) Is nepos fuit viri Marco Aurelio regnante florentis, qua re sententia, quam supra pronuntiavimus de tempore, quo hi ludi orti sint, confirmatur. — Duo certandi modi memoriae proditi sunt: pugilatu puerorum vicit Antonius Antiochus filius Antonii Flavii Metrodori, stadio puerorum praemium tulit ignotus filius Iulii cuiusdam Crateri. Impensis patrum in memoriam utriusque statua posita est.

e) *Duae tetraeterides numero non definitae* (nr. XXVI).

Reliquum est, ut dicamus de duobus ludis Philemonieis, qui quoti fuerint inscriptionibus nequit patefieri. Atque alterum utrum regebant neopoei deae Veneris[4]), quorum principatum tenebat Antonius Carminius Pontius[5]) Agelaus. Tunc pueri in certamen pancratii descendebant, inter quos Menander quidam comparet. Aliqua ex parte mirus videtur titulus esse, qui huius Menandri causa incisus est. Etenim is victoriam alii relinquere coactus erat; nihilo minus senatus consulto laudatur, quia gloriose concertaverit, atque statua honoratur, cuius impendia non privato sumptu singulorum senatorum tolerabantur, sed — quo maius fieret ornamentum atque honor — ex universis reditibus senatus communiter praestabantur, curam agente Antonio Aurelio Euelpisto, qui tunc temporis annuum munus bularchiae administrabat et, quaecunque senatus decreverat, exsequi debebat.[6]) Si senatus victorem ista ratione decorat, nemo offendet; sin animadvertimus aliquem in exercitationibus gymnicis peritissimum quidem, sed non ita excellentem, ut adversarium vincere possit ob meram sollertiam summo honore affici, causam sciscitamur. Nihil invenio aliud, nisi sola erga patrem Menandri observantia

singulare consultum factum esse. Is enim oeconomus senatus erat (vs. 3/4).

Idem puer postea, Philemonieis proximis aut insequentibus, denuo cum pancratiasta contendit et victoriam nanctus est (vs. 30 sq.). Quam ob rem altera statua ei decreta est, quae ante priorem collocata est. Ad titulum autem prioris statuae, ne quem fugiat Menandrum non solum certavisse, sed etiam vicisse, disertis verbis epilogus adiectus est (vs. 29—35). Quod ad singulas res atque conditiones eorum Philemonieorum, quae modo commemoravimus, attinet, plane caligamus. E versu 30 *ἐστέφθη* mea quidem sententia colligi non licet praemium victoris coronam fuisse; verbum generali potius sensu mihi videtur usurpatum esse atque ad praemium in agone talantiaeo partum sine haesitatione posse referri.

Ut eorum, quae de Philemonieis Aphrodisiensibus dixi, summam faciam, liceat pauca repetere.

Aphrodisiade igitur inde a Commodi principis temporibus quarto quoque anno exacto ludi celebrabantur, qui in memoriam conditoris Philemonis appellabantur Philemoniea. In quinque ludis, quorum testimonia exstant, ii, qui certaverunt, pueri fuerunt, orti a civibus urbis. Artibus gymnicis solis hunc agonem dedicatum fuisse nemo ex absentia aliorum documentorum concludet. Genera certandi comparent diversa: pugilatus, pancration, stadion; una inscriptio docet eodem ludo plura horum generum adhibita esse, veluti pugilatum et stadion. Agon thematicus fuit; praeter praemium pecuniarium victoribus omnibus statuae concedebantur, semel etiam ei, qui cum gloria tantummodo contenderat infecta re. Regimen ludorum primis temporibus penes unum agonothetam fuerat, postea numerus agonothetarum augebatur et arbitrium collegio neopoeorum templi Veneris permittebatur. Rei nummariae cura summa ac tutela logistae a Caesare urbi datae demandata erat.

Adnot. 1) Cf. etiam § 28 „d“.

2) Vide § 18 e. — C. I. Gr. nr. 2749 nominantur quinque neopoei Aphrodisienses; C. I. Gr. nr. 2800: *πρ[ῶ]το[ν] νε[ω]ποιόν*, idem quod archineopoeus. — Le Bas-Waddington nr. 1596 bis: *δὶς ἀρχινεωποιὸν τῆς θεοῦ Ἀφροδείτης*; Le Bas-Waddington nr. 1598 b.

3) Avus huius agonothetae comparet in compluribus nummis, qui signati sunt imaginibus Marci Aurelii, Faustinae, Lucii Veri; appellabatur Tiberius Claudius Zelus; cf. Waddingtonii explicationes ad Le Bas III p. 372. Eius filius, pater igitur agonothetae, nominatur in titulis Le Bas-Waddington nr. 1598 (bis) et C. I. Gr. nr. 2845, ubi alia huius familiae membra vocantur. C. I. Gr. nr. 2845 titulus est sepulcralis, in quo plenum nomen agonothetae exstat: Iulius Aurelius Charidemus Iulianus. Sic erit stemma statuendum:

Tiberius Claudius Zelus [summus sacerdos: sacerdos Veneris; urbem exornavit operibus publicis.]	Maiores ad autonomiam civitati parandam contulerant (C. I. Gr. nr. 2737); summi sacerdotes; stephanephori.
|	|
Claudius Aurelius Zelus [rhetor et sophista; summus sacerdos; quaestor; neopoeus; conditor urbis; synegorus.]	Iulia Paula [summa sacerdos.]

Iulius Aurelius Charidemus Iulianus
[sophista, archineopoeus, agonotheta Philemonieorum.]

|

Aurelius Charidemus
[ante patrem de vita decessit.]

4) Vs. 17: *τῆς ἐπιφανεστάτης θεοῦ*, cf. C. I. Gr. nr. 1444, nr. 1392.

5) In lapide vs. 14 scriptum est *ΑΝΤ ΚΑΡΠ*^{o}. Boeckhius adnotavit: „*Πο* quid sit, dificile dictu; praenomen Publius si id esset, alieno foret loco positum; nec verisimile est tribum Romanam hac nota significari. Anne igitur est *Ποπλίου* patris praenomen?" Equidem *Πόντιον* praefero seu *Πόστομον* (Le Bas-Waddington III p. 52 nr. 104).

6) Aliis quoque in urbibus praeses senatus curam habebat statuarum erigendarum, quas bule constituerat. Cf. Philadelphiae Lydiae, Le Bas-Waddington nr. 644 = C. I. Gr. nr. 3430: *ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως . . . . . βουλάρχου.* Menadier l. c. p. 33 enumerat titulos Asianos, in quibus bularchi nominantur. — De suis, non de aerarii pecuniis statuam ponendam curat Philadelphenus bularches, C. I. Gr. nr. 3424 = Le Bas-Waddington nr. 655: *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος . . . . . ἔφηβον πανκρατιαστὴν νεικήσαντα τὰ μεγάλα Σεβαστὰ Ἀναείτεια ἐνδόξως, ἐπὶ . . . . βουλάρχου, στήσαντος τὴν τειμὴν τοῦ ἀξιολογωτάτου βουλάρχου ἐκ τῶν ἰδίων.*" — Sententia Boeckhii de elocutione *πάσης τῆς βουλῆς*, qui de toto senatu in collatione partis eximiae, *γερουσίας*, cogitavit, stare iam nequit, cum natura gerusiae accuratius explorata sit.

D. Saeculum p. Chr. n. tertium.

Nr. XXVII.

Ex apographo, quod Deering anno 1813 in ecclesia quadam fecit, edidit Leake: Transactions of the Royal Society of Literature (1843) p. 236 et 293; deinde Le Bas-Waddington, inscriptions d'Asie mineure (1870) p. 377 nr. 1616 a (in commentario Waddingtonii).

Ζήν]ωνα Ζήν[ωνος το]ῦ Χάρητος το[ῦ Ζή]νωνος Αἰνεία[ν], γένους καὶ
ἀξιώματος τοῦ πρωτεύοντος ἐν τῇ πατρίδι, ἱερονείκην πλειστονείκην
παράδοξον παλαι[σ]τὴν παῖδα, Μενεσθεὺς Ἀπολλωνίου τοῦ Μενεσθέως
Παπ[ί]ου Ἰσόβουνο[ς], ἀρχινεοποιὸς θεᾶς Ἀφροδείτης, τὸν συνγενῆ ἐκ
τῶν ἰδίων, καθὼς ἀγωνοθετῶν ὑπέσχετο.

Longitudinem versuum indicare nequeo, quia Waddingtonius eam non respexit neque editio Leakii praesto mihi fuit.

Ansa temporis definiendi suppeditatur nummis: Waddington, Revue numismatique (1851): Un voyage en Asie mineure au point de vue numismatique (Carie) p. 237, 4 tab. XII, 3 = A. Boutkowsky, Dictionnaire numismatique vol. I (1881) p. 887 nr. 1716. Cf. Mionnet, Carie nr. 144, Supplem. nr. 137, 138: „*ΙΟΥΛΙΑ . ΔΟΜΝΑ . ΑΥΓΟΥΣΤΑ* — caput Iuliae Domnae — *ΕΠΙ . ΑΡ-[ΧΟ .]ΤΩΝ . ΠΕΡΙ . ΜΕΝΕΣΘΕΑ . ΙΣΟΒΟΥΝΟΝ.* à l'exergue: *ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΕΩΝ* — les trois grâces debout, les bras entrelacés. Celles de droite et de gauche tiennent une fleure à la main.“ Hi igitur nummi, ut ex libris, quos laudavi, patet, ad Menesthea Isobunum qui cognominatur referendi sunt eundem, qui aetate Septimii Severi aut Caracallae archon eponymus fuit.

§ 29 (nr. XXVII).

Septimii Severi et Caracallae temporibus (193—217).

a) Puer luctator excellens.

Inusitatum non fuisse filios familiarum genere et auctoritate illustrissimarum peregrinatos esse admodum pueros, ut aliis in

urbibus artem athleticam factitarent et redimiti tempora corona onustique pretiis ad penates redirent, comprobatum videmus exemplo Zenonis Aphrodisiensis pueri, cui cognomen erat Aeneas.[1]) Qui quamquam e pueris nondum excessit, amplissimas tamen honoris appellationes nominibus suis addere iam poterat propter sollertiam in luctando praestitam; coronatus enim in sacris, praemio ornatus in permultis aliis ludis vocabatur hieronices et plistonices celebratus.

b) Agonotheta.

Etiam in certaminibus in urbe patria actis Zenon praemium et honorem eximium tulit. Tunc temporis agonothesia coniuncta fuit cum munere neopoei summi deae Veneris, quem morem iam alio huius enarrationis loco (§ 28) monstravimus. Et Zenoni victoria adiudicata est a Menestheo[2]) Isobuno, qui, cum agoni gymnico, in quem pueri luctantes descenderunt, praesedisset, promiserat se victori propriis sumptibus statuam esse erecturum, quod promissum eo libentius implevit, quod victor puer affinitatis vinculis ipsum contingebat.

His allatis nemo dubitabit, quin ars athletarum ab Aphrodisiensibus optimis liberalis et ingenua habita sit.

Adnot. 1) Zenon — Chares — Zenon — Zenon Aeneas. Cf. C. I. Gr. Add. nr. 2837 b = Le Bas-Waddington nr. 1634. — De usu nominis Ascanii apud Asianos cf. Waddington ad Le Bas III p. 215.

2) C. I. Gr. nr. 2757, nr. 2827.

Nr. XXVIII.

Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 68 nr. 1 (ed. P. Paris et M. Holleaux).

[Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ ἡ γερουσία καὶ οἱ νέοι ἐτ-
είμη]σαν Μαρ. Α[ὐρ. . . .
. . . ον Τειμοκλέου[ς τοῦ
Ἀγα]θόποδος τοῦ Ἀρτε[μι-
δώ]ρου Ἀφροδεισιέα κα[ὶ
Ν]εικομηδέα καὶ Ἀνκυρ[α-
ν]ὸν, βουλευτὴν, δολιχαδ[ρό-
μ]ον, ἱερονείκην, Πυθιο[νεί-

κ]ην, Ἀκτιονείκην, παρά[δο-
ξ]ον, νεικήσαντα δὲ κα[ὶ
ἄ]λλους ἀγῶνας τοὺς ὑ-
π]ογεγραμμένους. ἐν Ἄ[ν-
κ]ύρᾳ τῆς Γαλατίας εἰσ . . .?
Ἀ]σκλήπειον παίδων δόλιχο[ν·
ἐν Ἁδριανῇ τῆς Βειθυνία[ς . . . .
ον Ἁδριάνειον Ἀντινόειο[ν
παίδων δόλιχον. ἐν Ἡρακλε[ί-
ᾳ τῇ πρὸς τῷ Πόντῳ Ἀδρι(ά)νηο[ν
Ἡράκλειον ἰσάκτ(ι)ον πα[ί-
δ]ων δόλιχον. ἐν Χαλκη[δό-
ν]ι παίδων δόλιχον, κατ[ὰ
τ]ὸ ἑξ[ῆ]ς ἀνδρῶν δόλιχον.
ἐν Νεικομηδείᾳ Αὐγούστ[ει-
α Σεβήρεια ἀνδρῶν δόλ[ι-
χον, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ δία[υ-
λον ὅπλον. ἐν Νεικέᾳ Α[ὐ-
γούστειον ἀνδρῶν δό[λι-
χ]ον· ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ πρὸ[ς
τῷ Πόντῳ Ἀδριάνειον Ἡ-
ράκλειον ἰσάκτιον ἀν-
δρῶν δόλιχον, τῇ αὐτῇ ἡμ[έ-
ρ]ᾳ ὅπλον· ἐν Νεικέᾳ Αὐ-
γούστειον ἀνδρῶν δόλ[ι-
χον, τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ δίαυλο[ν
ὅπλον· ἐν Φιλαδελφείᾳ κο[ι-
νὸν Ἀσίας ἀνδρῶν δόλ[ι-
χον.
Προνοησαμένου τῆς ἀνα-
στάσεως τοῦ ἀνδριάντος
Ἀντιδωρίδου τοῦ ἱεροῦ
(ἱεροῦ) θεᾶς Ἀφροδείτης
τοῦ συντρόφου αὐτοῦ.

Titulus repertus est in muro horti, prope a stadio; verba prima non iam exstant; in versibus insequentibus extremae potissimum litterae evanuerunt. Quadratarius in exarando lapide valde

incuriosus fuit. Notandum est: vs. 17 Ἀδρι(ά)νηο[ν. — vs. 18 ἰσάκτ(ι)ον. — vs. 27 littera *N* errore duplicata est. — vs. 39/40 iteratur ἱεροῦ. — ad vs. 15 adnotant editores fortasse in lapide scriptum fuisse *ΩN* pro *ON*.

Monumentum saeculo tertio assignandum est, cf. versum 23. Ludi aut ad Septimium Severum (193—211) aut ad Severum Alexandrum (222—235) referendi sunt.[1])

Ratio verborum scribendorum dispar est, veluti: vs. 17 Ἀδρι(ά)νη[ον], vs. 28 Ἁδριάνειον, vs. 14 ἐν Ἁδριανῇ.

Adnot. 1) Certe Gordianorum temporibus Σεβήρεια acta iam non sunt. Cf. quae G. Dittenberger de Atheniensibus feriis illius aetatis exposuit: C. I. Att. III[1] p. 57 nr. 121.

§ 30.

De cursore incluto (nr. XXVIII).

Modo diximus de artifice gymnico, cuius victoriae singulae ad memoriam posteritatis propagatae non sunt. Aliud est monumentum, quo homo fere aequalis et eiusdem municipii celebratur. Qui non minus superbiens atque celsus longa serie atavorum eundem a puero cursum honorum ingressus erat, cum ad professionem athletarum accessisset. Cuius nomen inscriptione honoraria, qua victoriae omnes accuratissime exhibentur, non iam continetur[1]), quia initium lapidis fractum est; praenomine Marcus, fortasse praeterea Aurelius, appellabatur; filius erat Timoclis, nepos Agathopodis, pronepos Artemidori.

A puero igitur tanto cum successu in currendo sese exercuerat, ut diversis locis palmam auferret; praecipue dolicho spectatus aliis etiam curriculis interfuerat, veluti diaulo armato vicerat (vs. 25 et 33/34). Campum autem et artis et gloriae eius optime delineabo hac descriptione:

	Itinerarium athletae.	Genus certaminis.	Aetas.	
	A. Ludi maiores.			
Graecia.	Delphica Pythia.	dolichus.	?	
	Actiaca.	dolichus.	?	
	B. Ludi minores.			
	Asia.			
Galatia.	Ancyra; Aesculapia.	dolichus.	puer.	
Bithynia.	Hadrianea; Hadrianea Antinoea.	dolichus.	puer.	
	Heraclea; Hadrianea Herculea isactia.	dolichus.	puer.	
	Chalcedon.[a]	dolichus.	puer.	
			puer vicit quater.	
	Chalcedon.[b] Ludis proximis.	dolichus.	vir.	
	Nicomedia; Augustalia Severia.	dolichus eodemque die diaulus armatus.	vir.	bis.
	Nicaea; Augustalia.	dolichus.	vir.	
	Heraclea; Hadrianea Herculea isactia.	dolichus eodemque die dolichus armatus.	vir.	bis.
	Nicaea; Augustalia.	dolichus eodemque die diaulus armatus.	vir.	bis.
Lydia.	Philadelphia; communes ludi Asiae.	dolichus.	vir.	
			vir vicit novies.	

Patet hunc cursorem praecipue agones in Bithynia actos frequentavisse; Nicaeensibus Augustalibus bis interfuit, tres victorias inde reportavit, Heracleam ad Pontum et puer et adultus visit atque inde etiam Hadrianeis Herculeis certaminibus, quae cum ludis Actiacis aequiparabantur[2]), tres palmas tulit; praeterea

semel apud Galatos, semel apud Lydos prospero eventu prodiit. Triumphi, quos festis celeberrimis Graeciae continentis nanctus est, ei honoris vocabula attulerunt, nomina Actionicae et Pythionicae. Vicit omnino: dolicho simplici duodecies, dolicho armatus semel, diaulo armatus bis, duobus diversis certandi modis uno eodemque die[3]) ter. In Asia puer quater, vir novies praemium cursu consecutus est. Honores in eum collati translaticii sunt; namque cives eius Aphrodisienses necnon Ancyrani et Nicomedenses senatorem eum fecerunt; Aphrodisiade autem, qua in urbe incunabula eius fuerunt[4]), statua in stadio posita est cura sacerdotis Veneris, Antidoridis cuiusdam, amici eius.

Pauca de singulis rebus addam.

Et primum memorabilis videtur forma *δολιχαδ[ρόμ]ον* (vs. 6) abhorrens a sermonis usu, quem apud scriptores bonae aetatis invenimus. Plato enim, Xenophon, alii dixerunt *δολιχοδρόμος*; minime vero in lapide proposito *α* in *ο* mutari licet, quia eadem forma aliis testimoniis inferioris temporis constat, veluti C. I. Gr. nr. 3206 vs. 9 titulo Smyrnaeo et titulo Aphrodisiensi nr. XXXVII huius sylloges. Necnon in titulo Thespio, quem edidit E. Curtius in Museo Rhenano, 1843, p. 105/106 nr. 6 (= C. Keil, sylloge inscriptionum Boeoticarum, 1847, p. 51 nr. V, vs. 2): *στ[αδ]ιαδρόμους,* sed in vs. 3: *διαυλοδρό[μους]*.

Contra consuetudinem plerumque in catalogis victoriarum ab athletis partarum observatam duo tantum ordines aetatis distinguuntur; gradus medius, dico classem *ἀγενείων*, in lapide non habetur, cf. vs. 20/21: *παίδων . . . κατ[ὰ τ]ὸ ἑξ[ῆ]ς ἀνδρῶν δ.* Contra legas Bulletin de corr. hell. XI (1887) p. 80 ed. Foucart, nr. 1: *παίδων πάλην καὶ τὰ ἑξῆς ἀγενεί[ων] πάλην.* Hic titulus, Magnesiae ad Sipylum inventus, circa Ol. 229, anno p. Chr. n. 137, incisus est. — In fine versus 12 fortasse suppleri potest: *εἰσ[ελαστικόν.*[5])

Pluribus de festis, quae in lapide vocantur, commentari huius loci non est. Satis habeo singula quaedam eximere. Ad vs. 13 adnotandum est Aesculapia[6]) in multis regionibus celebrata esse, veluti, praeter Ancyram Galatiae: Epidauri, Athenis, Carthaeae (Ceae), Pergami, Lampsaci, Nicomediae, Coi, Thyatirae, Termessi, in insula Carpatho.[7]) — Ludi memoriae Antinoi dedicati (vs. 15) non solum in patria eius urbe, Claudiopoli, quae

antea Bithynia, postea *Ἀδριάνεια* nominabatur, agebantur, sed etiam Mantineae Arcadiae.[8]) Unum agonem titulus praebet, qui antea incognitus fuerat: certamen Hadrianeum Heracleum celebratum Heracleae Ponticae. Sed exempla ludorum, qui Herculis nomen gerunt, non desunt, veluti Tralliani habebant *τὸν ἱερὸν ἀγῶνα τῶν Ἡρακλείων.*[9]) — De Actiis disseruit Friedlaender, Sittengeschichte II^5 (1881) p. 434 et 574 [II^6 (1889) p. 478 et 629], ubi hoc novum exemplum addendum est. Cf. etiam Oberhummer: Acarnanien, Ambracia, Amphilochien, Leucas im Altertum (1887) p. 226/7. — De aliis quae in lapide nominantur feriis consulas Indices ad C. I. Gr., ludi, dies festi, p. 42—44, et Eckhelii doctrinam nummorum veterum. — Atque haec quidem de dolichodromo[10]) illo Aphrodisiensi dicenda mihi visa sunt.

Adnot. 1) Suppleri potest *Ἀ[ρτεμί]|δωρον.*

2) Cf. Eckhelii D. N. V. IV p. 424.

3) Cf. Friedlaender, Sittengeschichte II^5 p. 451. [II^6 (1889) p. 495].

4) Cf. C. I. Gr. nr. 3676. Cf. etiam Bull. de corr. hell. IX (1885) p. 303, A vs. 10: *τὸν δὲ γυμνικὸν καὶ ἱππι|κὸν ἰσονέμεον ταῖς τε ἡλικίαις | καὶ ταῖς τειμαῖς.* Agitur de Soteriis Delphicis. Praeterea cf. G. Dittenberger, S. I. Gr. nr. 149, 17; nr. 150, 10. 17. 24. — *ἰσολύμπιος*: nr. 215, 9. 15. — *ἰσοπύθιος*: nr. 149, 16; nr. 150, 9. 16. 24; nr. 215, 9. 15.

5) Cf. Wood, Ephes. inscriptions from the great theatre, p. 54 nr. 8: *μεγάλα Ἐφέσηα ἱερὰ ἰσελαστικὰ ἀνδρῶν πυγμήν.* — Cf. C. I. Gr. nr. 2932; Plin. Ep. X 119.

6) vs. 13: *Ἀσκλήπειον — δόλιχον*; sollemnia fere nominantur *Ἀσκληπίεια.*

7) Cf. Thraemer s. v. Asklepios in: Roscher, Lexikon d. griech. u. röm. Mythologie, p. 631. — Bulletin de corr. hell. X (1886) p. 415 nr. 24, ed. Clerc. — Drexler in: Sallet, Zeitschrift für Numismatik XIV (1887) p. 122 sq. et p. 235. — De Asclepiis Carthaginiensibus cf. Dessau, Bulletino dell' instituto di corr. archeolog. 1881 p. 137.

2) Pausan. lib. VIII cap. IX, 7/8: *τιμὰς δὲ ἐν Μαντινείᾳ κατὰ τοιόνδε ἔσχηκε· γένος ἦν ὁ Ἀντίνους ἐκ Βιθυνίας τῆς ὑπὲρ Σαγγαρίου ποταμοῦ. οἱ δὲ Βιθυνιεῖς Ἀρκάδες τέ εἰσι καὶ Μαντινεῖς τὰ ἄνωθεν. τούτων εἵνεκα ὁ βασιλεὺς κατεστήσατο αὐτῷ καὶ ἐν Μαντινείᾳ τιμὰς καὶ τελετή τε κατὰ ἔτος ἕκαστον καὶ ἀγών ἐστιν αὐτῷ διὰ ἔτους πέμπτου οἶκος δέ ἐστιν ἐν τῷ γυμνασίῳ Μαντινεῦσιν ἀγάλματα ἔχων Ἀντίνου καὶ ἐς τἄλλα θέας ἄξιος λίθων εἵνεκα οἷς κεκόσμηται καὶ ἀπιδόντι ἐς τὰς γραφάς.*

9) Papers of the american school I (1882—83), 1885, ed. Sterrett, p. 110 nr. XI vs. 10 sq. — Apud Iasios agebantur *Ἡράκληα* certamini-

bus gymnicis; cf. Bull. de corr. hell. V (1881) p. 230 nr. 20 vs. 20 = G. Dittenberger, S. I. Gr. (1883) p. 588 nr. 399. — Heraclea Thebana: nr. XXX huius sylloges.

10) Collega eius occurrit: Papers of the american school vol. III (1884—85): The Wolfe Expedition to Asia minor by Sterrett (1888) p. 291 nr. 413: Kara-Baulo. — Alius: Wood, Ephes. inscriptions from the great theatre, p. 74 nr. 24.

Nr. XXIX, XXX et XXX a.

Nr. XXIX.

Ex exemplis Sherardianis et Spanhemianis ed. A. Boeckhius, C. I. Gr. II p. 524 nr. 2801.

. . . .
. συγκλητι-]
κόν,? [υἱὸν]
ὑπατικοῦ,
τὸν ἀγωνο-
θέτην διὰ βίου
τῶν μεγάλων
Γορδιανήων
Ἀτταλήων
[τῆς] λαμπρο[τά-
τη]ς Ἀφροδεισ-
ιέ]ων πόλεως [τετ-]
ελευτ[ηκ]ό[τ]α?
ἐπὶ τῆς β[α-
σ]ιλίδος Ῥώμη[ς]·
διακομίσας
τὸ πτωμάτι-
ον αὐτοῦ κα-
[τ]έθετο τὸν
φίλον Τιβ. Κλ.
Εὐτυχιανός, [καὶ?]
τὴν εἰκόνα αὐτοῦ.

Ligaturae, quae vocantur, in lapide insunt. Ante annum p. Chr. n. 238 titulus exaratus esse nequit (vs. 6).

Nr. XXX.

„Basis lapidis Pentelici, inventa Athenis in ecclesia *Παναγίας Πυργιωτίσσης*. Versus 31 primos edidit Kumanudis in *Ἀθηνᾷ* 1860 *Νοεμβρ.* 26, totum titulum Pittakis Eph. 4096; Kumanudis Phil. I p. 329 nr. 12." G. Dittenberger in C. I. A. vol. III pars I (1878) p. 59 nr. 129.

Ἀγαθῇ τύχῃ.

[Οὐα]λέριος Ἔκλεκτος Σινωπεὺς [βου]λευτὴς καὶ Ἀθηναῖος καὶ Δελφὸς [βου]λευτὴς καὶ Ἠλεῖος καὶ Σαρδιανὸς [βου]λευτὴς καὶ Περγαῖος βουλευτὴς [κ]αὶ Νεικαεὺς βουλευτὴς καὶ ἄλλων πολλῶν πόλεων πολείτης καὶ βουλευτής, κῆρυξ δισπερίοδος, νεικήσας ἀγῶνας ἱεροὺς οἰκουμενικοὺς τοὺς ὑπογεγραμμένους. Ὀλύμπια ἐν Πείσῃ β', Πύθια ἐν Δελφοῖς β', Νέμεια ἐν Ἄργει γ', Ἴσθμια δ', Παναθήνεια δ', Πανελλήνια, τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα, Καπετώλια ἐν Ῥώμῃ γ', Ἀθηνᾶς Προμάχου ἐν Ῥώμῃ γ', τὸν χειλιετῆ ἐν Ῥώμῃ, ἐφ' ᾧ ἐτειμήθην χρυσῷ βραβείῳ μόνος καὶ πρῶτος τῶν ἀπ' αἰῶνος κηρύκων, Εὐσέβεια ἐν Ποτιόλοις δ', Σεβαστὰ ἐν Νεαπόλει δ', Ἄκτια ἐν Νεικοπόλει, Ὀλύμπια ἐν Ἐπιδαύρῳ β', Ἡράκλεια ἐν Θήβαις γ', Τροφώνεια ἐν Λεβαδείᾳ β', Ὀλύμπια ἐν Βεροίᾳ β', Πύθια ἐν Φιλιπποπόλει β', Κεντρείσεια ἐν Φιλιπποπόλει, Σεβαστὰ ἐν Βυζαντίῳ, Σευήρεια ἐν Νεικομηδείᾳ β', κοινὸν Βειθυνίας ἐν Νεικομηδείᾳ β', Σευήρεια ἐν Νεικέᾳ γ', Χρυσάνθινα ἐν Σάρδεσιν, κοινὸν Ἀσίας ἐν Σάρδεσιν, Πύθια ἐν Τράλλεσι, Ὀλύμπια ἐν Ἐφέσῳ β', Βαρβίλληα ἐν Ἐφέσῳ δ', Ἀδριάνεια ἐν Ἐφέσῳ, Ὀλύμπια ἐν Σμύρνῃ β', Ἀδριανὰ Ὀλύμπια ἐν Σμύρνῃ β', κοινὰ Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ, Αὐγούστεια ἐν Περγάμῳ, Ὀλύμπια ἐν Κυζίκῳ, Διδύμεια ἐν Μιλήτῳ β', Πύθια ἐν Ἱεροπόλει, Ἄκτια ἐν Τύρῳ, Σεβάσμεια ἐν Δαμασκῷ β', τὸν περιπόρφυρον ἐν Σειδόνι β', Ἀττάληα Καπετώλια ἐν Ἀφροδεισιάδι.

Ὑπὸ φωνασκὸν Μ. Αὐρ. Μουσαῖον τὸν καὶ Ἑορτάσιον, Σαρδιανὸν γερουσιαστήν, Δελφὸν βουλευτήν, καὶ Ἠλεῖον καὶ Ἀφροδεισιέα ἀρχιγραμματέα, τειμηθέντα ὑπὸ Ἠλείων καὶ Δελφῶν, ἀνδριᾶσι μόνον καὶ πρῶτον τῶν ἐπὶ φωνασκίᾳ.

Nr. XXX a.

G. Dittenberger: Inschriften aus Olympia, Archaeologische Zeitung vol. XXXVIII (1880) p. 165 nr. 369 fragm. b.

Initium deperiit.

...... *βουλευτὴς καὶ Σμυρναῖος βουλευτὴς καὶ Φιλαδελφεὺς βουλευτὴς καὶ Ἱεραπολ[εί]της βουλευτὴς καὶ Τριπολείτης βουλευτὴς καὶ Περγαῖος βουλευτής, κῆρυξ, τρισπεριοδος ἄλειπτος νεικήσας ἱεροὺς ἀγῶνας τοὺς ὑπογεγραμμένους. Ὀλύμπια δ' Ολ. σνσ', σνη', σνθ',* σ[ξ'] *Καπετώλια ἐν Ῥώμῃ γ', Ἀθηνᾶς Προμάχου ἐν Ῥώμῃ γ', Ῥώμης αἰών[ια].*

Adnotationes adiecit G. Dittenberger.

§ 31.

Gordianorum temporibus.

Magna Gordiana Attalea. Attalea Gordiana Capitolia. (nr. XXIX et XXX).

Eckhelius in „Doctrina nummorum veterum“, vol. IV p. 435, foras dedit tres nummos Aphrodisienses, quorum una exhibet: *ΑΤΤΑΛΗΑ,* altera: *ΑΤΤΑΛΗΑ . ΓΟΡΔΙΑΝΗΑ,* tertia: *ΑΤΤΑΛΕΙΑ . ΓΟΡΔΙΑΝΕΙΑ . ΚΑΠΙΤΩΛΙΑ.* Unde perspicuum est easdem ferias varie cognominatas, unum nomen mutatum non esse.

Quodsi interrogamus, qua de causa hi ludi appellentur *Ἀττάλῃα* sive *Ἀττάλεια,* responsum non difficile est reddere. Nemo alius nisi Attalus rex Pergamenus auctor nominis fuit; cuius memoriam apud Aphrodisienses exstinctam non esse vel ex eo

intellegitur, quod Ἄτταλος et Ἀτταλίς in historia nomenclationis in hac civitate usitatae inde ab aetate celeberrimi huius nominis per seriem complurium saeculorum usque ad tempus Gordianorum valde vulgaria sunt.[1]) Ambiguum autem est, quo tempore Aphrodisienses ludis his nomen Attaleorum indiderint, cum neque nummis neque lapidibus inscriptis documenta vetustiora saeculo p. Chr. n. tertio exstent.[2]) Itaque simplex designatio mansit, quoad Gordianus tertius regnare coepit. Etenim tunc Aphrodisienses una cum pia memoria regis Attali numen Caesaris dominantis hoc agone venerabantur[3]); quocirca duplicabant appellationem, id quod praeter inscriptionem nummi etiam titulo lapideo (nr. XXIX) indicatur. Nec vero lectio plane eadem est: in nummo praecedit nomen primarium Ἀττάληα Γορδιάνηα et deest additamentum τὰ μεγάλα, in lapide habemus (vs. 5) τῶν μεγάλων Γορδιανήων Ἀτταλήων, praemisso nomine Caesaris. Num forte, quia magna Gordiana distincte nuncupantur, initio regni Gordiani tertii constitutum est, ut quotannis ludi minores, tribus aut quattuor annis exactis maiores in honorem imperatoris concelebrarentur, in medio relinquendum est. Certe Γορδιάνηα abrogata iam sunt, postquam Philippus Arabs anno 244 p. Chr. n. solium conscendit. — De natura huius agonis nihil traditum videmus; ceterum de administratione aliquantulum comperimus (nr. XXIX). Namque moderator magnorum Gordianorum Attaleorum certaminum in perpetuum dictus erat; vir fuerat ordinis senatorii, filius consularis patris; nomen autem huius agonothetae una cum primis versibus lapidis deperiit. Memorabile sane est, quod de ceteris casibus eius cognoscimus. Procul enim a patria, Romae, in „regia"[4]) urbe, vita defunctus est; cadaver autem Tiberius Claudius Eutychianus, amicus demortui, Roma transduxerat Aphrodisiadem et in sepulcro condiderat; imagine posita memoria eius propagabatur. Sed redeamus ad ludos ipsos. Tertium quoque nomen Attaleis principatu Gordiani fuisse constat; etenim in nummo legimus: Ἀττάλεια Γορδιάνεια Καπιτώλια. Sponte intellegitur nomen agonis Capitolini Romae a Domitiano imperatore anno 86 p. Chr. n. instituti atque aetate etiam Diocletiani et Maximiani florentis ad sollemnia Aphrodisiensia translatum esse. Quaeritur nunc, utrum discrimen statuendum sit inter magna Gordiana Attalea et Attalea Gor-

diana Capitolia, an feriae hae, quas vix puto plus sex annis nomine Gordiani insignitas viguisse, eaedem habendae sint; hoc duco veri similius, quo rursus incerta coniectura aliqua ex parte commendatur, ludos minores anniversarios et maiores ex exemplo agonis Capitolini quadriennio exacto celebrandos constitutos fuisse. Simulac Gordianus III occisus est anno p. Chr. n. 244, nomen agonis commutatum esse, testimonio epigraphico confirmatur. Inde ab hoc tempore ludi omisso nomine imperatoris appellabantur *Ἀττάληα Καπετώλια* (nr. XXX vs. 31).

Adnot. 1) Testimonia e titulis Aphrodisiensibus composita: C. I. Gr. nr. 2781 = Le Bas-Waddington nr. 1600. — C. I. Gr. nr. 2781 b Add. p. 1111 = Le Bas-Waddington nr. 589 et 1596. — C. I. Gr. nr. 2805; C. I. Gr. nr. 2805ª = Le Bas-Waddington nr. 1615. — C. I. Gr. nr. 2819 b Add. p. 1115 = Le Bas-Waddington nr. 1597. — C. I. Gr. nr. 2820 = Le Bas-Waddington nr. 1602. — C. I. Gr. nr. 2826; C. I. Gr. nr. 2829 = Le Bas-Waddington nr. 1630. — C. I. Gr. nr. 2831; C. I. Gr. nr. 2837 b Add. p. 1117 = Le Bas-Waddington nr. 1634. — C. I. Gr. nr. 2840 = Le Bas-Waddington nr. 1637. — Le Bas-Waddington nr. 1609 a; nr. 1623; nr. 1639.

2) Eckhelius sumpsit ludos illos Attalorum temporibus conditos et usque ad aetatem Gordiani tertii conservatos esse, quam opinationem non praefracte abnuam, quamquam de Attaliis festis aliorum locorum tale quid ignoro. Boeckhius (C. I. Gr. Add. 2139 b, 2758) putat illos ludos ex cive Aphrodisiensi appellatos esse, quam sententiam suam fecit Poland, de Graecorum sollemnibus ex regum diadochorum et epigonorum nominibus appellatis, in: Commentationes philologae Ottoni Ribbeckio dedicatae (1888) p. 456 adnot. 5. Sed certam causam non video, cur Attalea non referamus ad regem Pergamenum. Cf. quae dixi § 34 p. 165/166. — Attalea Delphica denominata sunt de Attalo II Philadelpho (159—138 a. Chr. n.), cf. Bulletin de corr. hell. V (1881) p. 157, ed. Haussoulier; G. Dittenberger, S. I. Gr. nr. 233 vss. 41. 58. 65. — In titulo Teo, Le Bas-Waddington nr. 93, legimus: *ἐν τῷ ἀγῶνι, τῷ τεθέντι Ἀττάλῳ.*

3) Athenienses quoque Gordianorum festa habebant; cf. C. I. A. III¹ (1878) nr. 1197, p. 421 col. III vs. 26: *ἀγωνοθέται . . . . . Γορδιανείων*, item nr. 1198 p. 427 col. I vs. 19.

4) nr. XXIX vs. 12/13: *ἐπὶ τῆς β[ασ]ιλίδος Ῥώμη[ς]*; cf. C. I. Gr. nr. 5910: *ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ.* — Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 128 vs. 37, titulus est Nysaeus, ed. Clerc: *ἐν τῇ βασιλευούσῃ Ῥωμαίων πόλει.* — In titulo Gortynae, in urbe Cretensi, invento, C. I. Gr. nr. 2595 vs. 2/3: *ἔπαρχον τῆς βασιλευούσης Ῥώμης.* — In lapide Puteolis reperto, C. I. Gr. nr. 5853 vs. 31: *ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ.*

§ 32.

Attalea Capitolia.

In magna inscriptione Athenis reperta occurrunt *Ἀττάληα Καπετώλια ἐν Ἀφροδεισιάδι* (nr. XXX vs. 31) ita quidem, ut numerentur inter *ἀγῶνας ἱεροὺς οἰκουμενικούς*. Ac primum agitur de tempore, quo Attalea primum cognominata sint Capitolina. Quaestio in inopia testimoniorum, quae antiquiora annis Gordianorum sint, solvi non potest. Contra id exploratum est, sollemnia in titulo proposito (nr. XXX) commemorata ab Aphrodisiensibus non post annum 257 p. Chr. n., certe non prius anno 244 p. Chr. n., celebrata esse, cum, ut infra exponendum erit, monumentum annis 253 et 257 ortum esse constet, atque, si ludi vivo Gordiano acti essent, nomen eius neutiquam in accuratissima illa descriptione victoriarum silentio praetermissum esset. At opponat mihi quispiam: unde scis hanc victoriam referri non posse ad Attalea Capitolia ante regnum Gordianorum acta, praesertim cum in indice vs. 21 et 22 alii ludi inveniantur, qui (propter additamentum *Σευήρεια*) nequaquam post annum 237 editi esse possunt. At qui ordinem in tabula illa agonistica observatum paulo accuratius inspexerit, is libenter concedet, optionem nonnisi inter annos 244 et 257 fieri posse.

Tempus, ad quod *Ἀττάληα Καπετώλια ἐν Ἀφροδεισιάδι* (vs. 31) pertineant, adumbravimus; nunc qualis agon fuerit, intueamur. Qua de re duobus indiciis docemur, quae ad conclusiones viam muniunt. Certamen enim vocatur et sacrum oecumenicum et Capitolinum. Luce clarius est cives urbis, qui ad id tempus ludis minoris auctoritatis contenti non esse non potuerant, nescio quo anno saeculi tertii magnum agonem nanctos esse, institutum simili ratione atque Capitolinum Romanum, cui artifices totius orbis terrarum intererant et iura privilegiaque sacrorum certaminum concedebantur. Qua cum re arte cohaerere puto argumentum titulorum nr. XXXI—XXXV huius sylloges, quorum sensus antea parum poterat comprehendi. Dicturus sum de hac quaestione in § 34.

Praeterea accepimus certamen praeconum cum Attaleis Capitolinis coniunctum esse (vs. 8) nec victores longe lateque percelebratos inferius maiestate sua duxisse, Aphrodisiade concer-

tare. Talis fuit Valerius Eclectus, natus Sinopae, cuius vitae et honorum cursum duobus monumentis et Athenis et Olympiae erectis cognoscere possumus. Quae cum ad illustranda tempora Attaleorum Capitolinorum et aestimandam auctoritatem, quam habebant, nonnullius momenti sint, nunc liceat mente circumspicere.

§ 33.

Valerius Eclectus Sinopensis, praeco[1]) plistonica, prodit in Attaleis Capitoleis.

Artifex hic vocis tamquam suus ipse praeco fuit, cum praeconium victoriarum suarum duobus[2]) donariis inscribendum curaverit, quae deinceps primum Athenis, tum Olympiae dedicavit. Quorum titulorum argumentum reddo hac forma:

Synopsis commissionum praeconiarum.

I.

Eclecti victoris itinerarium usque ad Ol. 258/259 = 253/257 p. Chr. n.

Agones (sacri oecumenici)				Victoriarum numerus.	Indicia temporis.
Terra	Regio	Urbs	Nomina.		
Graecia	Elis	Pisa	Olympia.	2	Ol. 256 = 245 p. Chr. n. et Ol. 258 = 253.
	Phocis	Delphi	Pythia.	2	
	Argos	Argos	Nemea.	3	
	Isthmus		Isthmia.	4	
	Attica	Athenae	Panathenaica.	4	
			Panhellenia.	1	
	Argolis	Argos	τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα.	1	
Italia	Latium	Roma	Capitolia.	3	
			Ἀθηνᾶς Προμάχου.	3	

Agones (sacri oecumenici) Terra	Regio	Urbs	Nomina.	Victoriarum numerus.	Indicia temporis.
Italia.	Latium	Roma	Saecularia, quibus millesimus annus urbis celebrabatur.	1	a. u. c. 1000 = 248 p. Chr. n. χειλιετὴςἀγὰν = Ῥώμης αἰώνια.
	Campania	Puteoli	Εὐσέβεια.	4	
		Neapolis	Augustalia.	4	
Graecia.	Acarnania	Nicopolis	Actia.	1	
	Dalmatia	Epidaurus	Olympia.	2	
	Boeotia	Thebae	Heraclea.	3	
		Lebadia	Trophonia.	2	
	Macedonia	Beroea	Olympia.	2	
	Thracia	Philippopolis	Pythia.	2	
			Κεντρείσεια.	1	
		Byzantium	Augustalia.	1	
Asia.	Bithynia	Nicomedia	Severia.	2	ante 237 p. Chr.
			κοινὸν Βειθυνίας.	2	
		Nicaea	Severia.	3	ante 237 p. Chr.
	Lydia	Sardes	Chrysanthina.	1	
			κοινὸν Ἀσίας.	1	
		Tralles	Pythia.	1	
	Ionia	Ephesus	Olympia.	2	
			Barbillea.	4	
			Hadrianea.	1	
		Smyrna	Olympia.	2	
			Hadriana Olympia.	2	
			κοινὸν Ἀσίας	1	
	Mysia	Pergamum	Augustalia.	1	
	Propontis	Cyzicus	Olympia.	1	
	Ionia	Miletus.	Didymea.	2	
	Syria	Hierapolis	Pythia.	1	

Terra	Regio	Urbs	Nomina.	Victoriarum numerus.	Indicia temporis.
		Agones (sacri oecumenici)			
Asia.	Phoenice	Tyrus	Actia.	1	
	Coele-Syria	Damascus	Σεβάσμεια.	2	
	Phoenice	Sidon	τὸν περιπόρφυρον ἀγῶνα	2	
	Caria	Aphrodisias	Attalia Capitolia.	1	Non post Ol. 258/9 = 253/57 p. Chr. n.

II.

Eclecti victoriae post Ol. 258/9 = p. Chr. n. 253/7.

Graecia	Elis	Pisa.	Olympia.	2	Ol. 259 et 260 = 257 et 260 p. Chr. n.

Conspicati igitur sumus Attalia Capitolia in tabula illa postremo loco nuncupata esse. Quid iudicemus? Putandumne est Aphrodisiadem eam fuisse urbem, cuius festa Eclectus, antequam Athenis monumentum sibi ponendum curaverat, postremo frequentaverit, an existimemus Attalia Capitolia ceteris undequadraginta sacris certaminibus, quae in elogio lapidis praegrediuntur, postposita esse ratione maioris minorisve auctoritatis et famae ludorum? Quantum video, Eclectus intuens gloriam feriarum victorias ita digerendas esse iussit, ut initium fieret a quattuor summis Graeciae ludis, deinde novem insequerentur et Graeciae et Italiae agones[3]), qui in existimatione hominum secundum obtinebant locum. In enumerandis vero ceteris commissionibus simplex terrarum ordo conservatur. Certe victoriae singulae ad spatium temporis non ita multo maius annis viginti quattuor distribuendae sunt. Itinera Asiana[4]) videtur praeco intermisisse quotienscunque unus alterve de tredecim magnis agonibus actus est. Diversa sollemnia iterum ac saepius visit veluti sex agonibus quater, quinque ter, tredecim bis, sedecim semel interfuit.

Quibus intervallis redierit, tantummodo de magnis Olympiis accepimus, ad quae revertit, posteaquam Ol. 256 = 245 p. Chr. n. primum prodiit, Ol. 258, Ol. 259, Ol. 260. — Victoriarum summa efficit unum et octoginta, quarum postremas esse cognovimus duas Olympicas. Non ita multo antea puto praeconem Aphrodisiade aemulum superavisse.

Neque fieri poterat, quin admirationem aequalium haberet summam. Neque enim parvo honori plurimae civitates sibi tribuerunt eum civem et senatorem suum asciscere; Eclectus ipse satis habet paucas urbes attulisse, velut Sinopen, Delphos, Athenas, Elidem, Sardes, Pergam, Nicaeam; in monumentum posterius curaverat paucas alias inscribendas esse, quae, praeter Pergam, antea nominatae non erant, Smyrnam, Philadelphiam, Hierapolim, Tripolim, quae civitates exemplum aliarum tardius imitatae sunt. Amplissimus vero honor ei obvenit Romae, cum Philippus Arabs imperator millesimum urbis conditae annum concelebraret; tunc enim solus primusque aureo caduceo donabatur (cf. C. I. Gr. nr. 3674 vs. 14/15). — Atque haec de Valerio Eclecto, cuius praesentia in certamine Aphrodisiade instaurato splendorem eius non modice auxit. Sed praeter agonistam ipsum habemus notitiam eius quoque, cuius adminiculo praeco meditans suam artem usus est.

Eclecto adest phonascus Musaeus.

Marcus Aurelius Musaeus, cui cognomentum etiam erat Heortasius, vocem praeconis exercebat.[5]) Qui cum vir esset spectatae facultatis, ubicunque, quo Eclectum comitabatur, honorificentissime excipiebatur. Etenim a gerusia Sardiana socius adhibitus, a Delphis senator factus, ab Eleis et Aphrodisiensibus scriba summus appellabatus est atque ad singulare etiam ornamentum pervenit, quo nemo antea phonascus gloriari potuerat, cum et Elide et Delphis statua ei erigeretur.

Adnot. 1) Cf. Ostermann, de praeconibus Graecorum, diss. Marburg. 1848. Ad agonem praeconum referendus est titulus Metropolitanus, quem edidit Ramsay, Mitt. d. arch. Inst. VIII (1882) p. 142, recte restituit Brinck, Inscriptiones Graecae ad choregiam pertinentes, Diss. Hal. Philol. vol. VII (1886) p. 248 in „Addendis et Corrigendis“:

Ἀγαθῇ τύχῃ.
Ἀθλοφόρ[ο]ν κ[ήρ]υκα, | τὸν [ἠ]ϊθέω[ν] ὄχ' ἄ[ρι]στ[ον]
Ἐπαγάθο[ν] πένπτον | [ν]ίέα Λυσί[μα]χον
Στέψε πάτρη ξυνπᾶσ[α] | Δίκης ὑπ' ἀρείονι βώ[μῳ]
Τᾷ μεγάλᾳ φονᾷ κ[ῦ]δος ἐνενκάμενον.

2) Nr. XXX et XXX a.

3) *τὴν ἐξ Ἄργους ἀσπίδα*, cf. Boeckhii Explicat. in Pind. p. 175. — Bulletino dell' instituto arch. (1877) p. 109, vs. 19, inscriptio athletica Neapolitana.

4) *Ἀδριάνεια Ὀλύμπια* apud Smyrnaeos acta (C. I. A. III [1878] nr. 127; Philostrat. vit. soph. 1, 25, 1) habebant etiam nomen simplex *Ἀδριάνεια*, Archaeol. Zeitung 1877 p. 100 nr. 68; *Ὀλύμπια* Smyrnaea (vs. 27) confundi non licet cum Hadrianis Olympiis Smyrnaeis.

5) vs. 32: *ὑπὸ φωνασκόν*. Idem exhibetur in inscriptione Olympia anni 137/8 p. Chr. n.: Dittenberger, Archaeologische Zeitung XXXV p. 100 nr. 68: *Π. Αἴλιος Ἀρτεμᾶς Λαοδικεὺ[ς νική]σας Ὀλυμπιάδι σκν Ὀλύμπια κήρυκας καὶ τοὺς ὑπογεγραμμένους ἀγῶνας . . . . ὑπὸ φωνασκὸν Δ. Τυρρώνιον Λόνγον Εἰκονι[έ]α τὸν καὶ Λαο[δι]κέα.* — In titulo Smyrnaeo, qui victorias citharoedi cuiusdam continet, habes (C. I. Gr. nr. 3208 vs. 22 sq.): *ὑπὸ φωνασκὸν Π. Αἰλ. Ἀγαθήμερον Ἐφέσιον καὶ Σμυρναῖον καὶ Περγαμηνόν, κιθαρῳδὸν ἱερονείκην καὶ μελοποιὸν ἔνδοξον, περὶ πάντα εὔνουν γενόμενον ὡς φύσει πατέρα.* — In lapide Argi reperto (Bullettino dell' instit. [1873] p. 142, ed. Lüders) legimus: *ἡ πόλις ἡ τῶν Ἀρ]γείων . . . . . . Μ. | Οὔλπιον Διοδώρου υἱὸν Ἡλιόδω|ρον τὸν ἴδιον πολείτην, νεικήσαν|τα Νέμεια δ', Ὀλύμπια γ', Πύθια, Ἴσθμι|α, Ἄκτια β', Νέαν πόλιν β', τὴν ἐξ Ἄρ|γους ἀσπίδα γ', κοινὸν Ἀσίας β', Οὐράνια δ' καὶ τοὺς κατ' ἐπαρχείαν ἀγῶ|νας ὅσους οὐδεὶς τῶν πρὸ αὐ|τοῦ κιθαρῳδῶν ὑπὸ φωνασκὸν | Μ. Οὔλπιον Θεόδωρον τὸν ἴ|διον ἀδελφόν.* — Officium phonasci discere possumus ex Suetonii Augusto c. 84: „Pronuntiabat dulci et proprio quodam oris sono, dabatque assidue phonasco operam. Is enim vocem intorquere, remittere, lenire, exasperare docebat."

Nr. XXXI—XXXV.

Nr. XXXI.

C. I. Gr. II p. 510 nr. 2761, ed. A. Boeckhius.

Ὁ δῆμος τῆς λαμ-
προτάτης Ἀφρο-
δεισιέων πόλε-
ως τὸν λαμπρό-

τατον δῆμον
Ἀπολλωνιατῶν
τῶν ἀπὸ Σαλβά-
κης συνθύσαν-
τα ἐπὶ τῇ δεδομέ-
νῃ τοῦ ἱεροῦ ἀγῶ-
νος δ[ω]ρεᾷ,
προνοησαμένου
Μ. Ἀντ. Νε[ικ]ομάχου
Βλάστου, πρ[ω]τολόγου
ἄρχοντος τὸ $\bar{γ}$.

De titulis nr. XXXI—XXXV cf. § 34.

Nr. XXXII.

C. I. Gr. II p. 510 nr. 2762, ed. A. Boeckhius.

Ὁ δῆμος τῆς λαμ-
προτάτης Ἀφρο-
δεισιέων πόλε-
ως τὸν λαμπρό-
τατον δῆμον τῶν
Ἡρακλ[ει]ωτῶν
συνθύσαντα
ἐπὶ τῇ δεδομέ-
νῃ τοῦ ἱεροῦ ἀγῶ-
νος δ[ω]ρεᾷ, προ-
νοησαμένου Μ.
Αὐρ. Ἀντ. Νεικομά-
χου Βλάστου, πρ[ω]-
τολόγου ἄρχον-
τος τὸ $\bar{γ}$.

Nr. XXXIII.

C. I. Gr. II p. 510 nr. 2763, ed. A. Boeckhius.

Ὁ δῆμος τῆς λαμ-
προτάτης Ἀφρο-
δεισιέων πόλε-
ως τὸν λαμπρό-

τατον δῆμον
῾Ιεραπολειτῶν
συνθύσαντα ἐπὶ
τῇ δεδομένῃ τοῦ
ἱεροῦ ἀγῶνος δω-
ρεᾷ,
προνοησαμένου Μ. Αὐρ.
Παπίου τοῦ Παπίου, δ̄ τοῦ
Διογένους, τοῦ πρ[ω]το-
λόγου ἄρχοντος τὸ β̄.

Nr. XXXIV.

C. I. Gr. II p. 511 nr. 2764, ed. A. Boeckhius.

῾Ο δῆμος τῆς λαμ-
προτάτης ᾽Αφρο-
δεισιέων πόλε-
ως τὸν λαμπρό-
τατον δῆμον
Κιβυρατῶν
συνθύσαντα ἐπὶ
τῇ δεδομένῃ τοῦ
ἱεροῦ ἀγῶνος δω-
ρεᾷ,
προνοησαμένου Μ. Α[ὐ]ρ.
Παπίου τοῦ Παπίου, δ̄. τοῦ
Διογένους, τοῦ πρ[ω]το-
λόγου ἄρχοντος τὸ β̄.

Nr. XXXV.

C. I. Gr. II p. 511 nr. 2765, ed. A. Boeckhius.

῾Ο δῆμος τῆς λαμ-
προτάτης ᾽Αφρο-
δεισιέων πόλε-
ως τὸν λαμπρό-
τατον δῆμον
Ταβηνῶν συν
. . . .

Vs. 6: „συνθύσαντα, ceteri ut in praecedentibus", sic Boeckhius. Quaeritur, utrum archon idem fuerit necne.

§ 34.

Sacer agon (nr. XXXI—XXXV).

Modo disseruimus de eo certamine urbis Aphrodisiadis, quod pertinebat ad *ἀγῶνας ἱεροὺς οἰκουμενικούς*. Nunc sermo erit de inscriptionibus, in quibus mentio fit *ἱεροῦ ἀγῶνος*, et quaestio proponetur, quae ratio ac necessitudo inter duo haec instituta demonstrari fortasse possit.

Et argumentum titulorum quinque brevissime sic exprimitur: populo Aphrodisiensium sacer agon dono datus erat, quo singulari beneficio adducti supplicationem et gratulationem indixerunt, ad quam cives oppidorum vicinorum publice invitati sunt. Necnon ad sacrificia et caerimonias concelebrandas venerunt; in lapidibus autem nominantur quinque civitates: Apollonia, quae Salbacia cognominabatur, Heraclea, Hierapolis, Cibyra, Tabae, quibus propter studium et societatem per summum magistratum Aphrodisiensium gratiae aguntur.

Et Apolloniatae quidem atque Heracleotae eo anno publice laudantur, quo M. Aurelius Antonius Nicomachus Blastus tertium archon eponymus est, Hierapolitani, Cibyratae, Tabeni, quo anno Marcus Aurelius Papias, filius Papiae[1]), iterum collegio archontum praeest.

Quae ut planius intellegantur, ad coniecturas necesse erit confugere. Primum interrogabimus, cui Aphrodisienses commodum illud debuerint. Puto non nisi imperatoris ipsius gratia atque consensu privilegium agonis modo ac ratione aliorum certaminum sacrorum instituendi datum esse.[2]) Deinde incertum restat, quo tempore Aphrodisiensibus id concessum sit. Neutiquam cogitari posse de aetate exitu saeculi p. Chr. n. alterius vetustiore duo quos commemoravi viri satis docent. Certe floruit agon saeculo p. Chr. n. tertio neque cum Aphrodisienses vix plus unius magni certaminis privilegio usi sint, dubito veri simillimum existimare illud donum *ἱεροῦ ἀγῶνος* referendum esse ad illos ludos oecumenicos, qui in aliis lapidibus vocantur *Ἀττάλῃα Καπετώλια*; sacer vero agon *Ἀττάλῃος* nomi-

nabatur, ut antiquitatem redoleret, postea cognomine *Καπετώλιος* ornabatur, quia temperatus compositusque erat ad normam ac rationem agonis Capitolini Romani.[3])

Urbes finitimas in novam hanc sedem ludi sacri convenisse, non est, cur miremur, quia manifestum est incolas totius regionis circumiacentis e sollemnibus tantae celebritatis ingentem utilitatem et fructus varios percepisse. Aliud istius generis exemplum ex aetate Antoninorum cognitum habemus, cum maiores ludi Aphrodisienses a femina opulenta editi conterminas civitates alliciebant.[4])

Adnot. 1) Diogenes — Diogenes — Diogenes — Diogenes — Papias — M. Aur. Papias. — Papiam quendam Aphrodisiensem, qui floruit aetate Hadriani, novi ex: Overbeck: Die antiken Schriftquellen zur Geschichte der bildenden Künste bei den Griechen (1868) p. 441 nr. 2286 (= C. I. Gr. nr. 6140): Inschriften an den Plinthen zweier Centaurenstatuen im Capitolinischen Museum: *Ἀριστέας καὶ Παπίας Ἀφροδεισεῖς* = E. Loewy: Inschriften griechischer Bildhauer (1885) p. 260 nr. 369. Cf. etiam Baumeister, Denkmäler des klassischen Altertums I (1885) p. 127 r. o.: Aristeas und Papias, Bildhauer aus Aphrodisias. — Nicomachus Blastus rursus occurrit C. I. Gr. nr. 2760: *ἄρχοντ[ε]ς οἱ περὶ Αὐρήλιον Ἀντ[ώ]νιον Νεικόμαχον Βλάστον πρ[ω]τόλογον ἄρχοντα τὸ τρίτον*, et C. I. Gr. nr. 2799: *ἐπὶ ἀρχόντων τῶν περὶ Μ. Ἀντ. Νεικόμαχον Βλάστον ἄρ[ξ]αντα τ[ρὶς] τὴν πρώτην ἀρχήν.*

2) Quis pecuniam necessariam largitus sit, sciri nequit.

3) Donum agonis commemoratur apud Tertullianum: adversus Gnosticos scorpiace, cap. VI (Patrologiae t. II p. 133): „Sed si certaminis nomine Deus nobis martyria proposuisset, per quae cum adversario experiremur . . . . . . Agonas istos, contentiosa sollemnia et superstitiosa certamina graecarum et religionum et voluptatum quanta gratia saeculum celebret, etiam Africae liquit. Adhuc Carthaginem singulae civitates gratulando inquietant, donatam pythico agone post stadii senectutem.“ De Pythiis Carthaginiensibus cf. H. Dessau: Bulletino dell' instituto di correspondenza archeologica (1881) p. 137.

4) Analoga affero haec: Le Bas-Waddington nr. 1743 f.: *Ἰλιεῖς καὶ αἱ πόλεις αἱ κοινωνοῦσαι τῆς θυσίας καὶ τοῦ ἀγῶνος καὶ τῆς πανηγύρεως κ. τ. λ.*, titulus ex aetate Augusti. — C. I. Gr. nr. 3602—3604. — Bull. de corr. hell. X (1886) p. 319 nr. 3, ed. Holleaux et Paris, titulus Termessi prope ab Oenoandis Lyciae repertus est, vs. 20 sq.: *συστησάμενον εἰς πάντα τὸν αἰῶνα πανήγυριν ἀγώνων θυμελικοῦ καὶ γυμνικοῦ ἐκ πάντων Λυκίων, καλέσαντα καὶ τὰς λαμπρὰς πόλεις Τερμησσὸν τῆς Παμφυλίας τὴν ἀνέκαθεν συγγενίδα καὶ τὴν Καισαρέων Κιβυρατῶν τῆς Ἀσίας πόλιν κ. τ. λ.* — Cf. etiam Revue archéologique 1887 p. 61, tit. Alexandriae Aegypti, ed. Néroutsos-Bey. — Cf. Hom. Il. XXIII, 633.

Nr. XXXVI.

Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 74 nr. 4 (ed. P. Paris et M. Holleaux).

[῾Η β]ουλὴ καὶ ὁ δῆ[μος
καὶ ἡ γερουσία καὶ οἱ
νέοι :·: ἐτείμησαν
ταῖς καλλίσταις τει-
μαῖς Ἄδραστον Ἀδράσ-
του, πέμπτον ἱερονε[ί-
κην, ἀπὸ συνόδου, ἄν-
δρα γένους πρώτου,
ζήσαντα πρὸς ἀρετὴ[ν
καὶ εὐδοξίαν.

Lapis ductibus magnis et ornatis inscriptus prope a stadio repertus est. — In versu 3 interpunctio adhibita est: :·:

§ 35.

Hieronica. *Οἱ νέοι* (nr. XXXVI).

Adrastus, filius Adrasti, in lapide nr. XXXVI appellatur *πέμπτος ἱερονείκης*, sed nomen ludorum deest. Quem ad finem numerus ordinalis adiectus sit, non video nisi quintum civium Aphrodisiensium significat, qui ex institutione sacri agonis, de quo modo diximus, victores discesserunt. Quam artem agonisticam calluerit, in titulo honorario silentio praetermittitur, traditur solum glorioso genere[1]) eum ortum et sodalem fuisse collegii artificum.[2])

Honores ei obtigerunt „pulcherrimi“[3]), decreti a senatu populoque, a gerusiastis et iuvenibus; quod interdum apud Aphrodisienses observavimus, id rursus confirmatur: etenim *οἱ νέοι*[4]) coniuncti cum ceteris corporibus urbanis constituendarum statuarum participes sunt.

Adnot. 1) De diversis Adrastis cf. Indices.

2) *ἀπὸ συνόδου* editores de collegio artificum Dionysiacorum intellectum volunt esse. Sed respiciendum est fuisse synodos tam thymelicas quam xysticas. Cf. Benndorf, Reisen (1884) p. 123 nr. 96 vs. 8—11: *τειμηθέντα καὶ ὑπὸ | τῶν ἱερῶν ξυστικῆς τε καὶ θυμελικῆς συνόδων κ. τ. λ.* (lapis Xanthi Lyciae inventus est). — In titulo Aphro-

disiensi nr. XX vs. 7 legimus: *τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου*, idem nr. XXXVII lap. A. — C. I. Gr. nr. 2759 (= nr. XX a) ab editoribus iniuria laudatur, quia *μόνου*, non *συνόδου* vera lectio est), cf. nr. XX a vs. 1.

3) Vide § 4.

4) Vide §§ 16 et 20, 2.

Nr. XXXVII.

C. I. Gr. II p. 503 nr. 2758, ed. A. Boeckhius. „Aphrodisiade in australi parte urbis, haud procul ab orientali parte.“

I.

Lapis A.

[Ἀγῶνος τοῦδε καὶ τοῦδε πενταετηρικοῦ? μου-]
σικοῦ τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου θέ[ματα τὰ]
ὑπογεγραμμένα.

Col. I.

Σαλπικτῇ	* ρ̅ν̅
κήρυκ[ι]	* ρ̅ν̅
ἐνκωμιογράφῳ	* σ̅
ποιητῇ	* σ̅
παιδὶ κιθαρῳδῷ	* ρ̅ν̅
[Π]υθικῷ [α]ὐλητῇ	* σ̅
[κ]ωμῳδῷ	* υ̅
[τραγ]ῳδῷ	* φ̅
[κυκλ]ίῳ αὐλητῇ	* τ̅ν̅

Col. II.

ἀνδρὶ κιθαρῳδῷ	* φ̅
διὰ πάντων	* σ̅
εἰς δὲ τὸν γυμνικὸν	
τῶν πολειτῶν παί-	
δων ἀγῶνα	* . . .
[σ]ταδιαδρόμῳ ἄνδρ[ας	* . . .]
παλαιστῇ ἄνδρας	[* . . .]
πανκρατιαστῇ ἄνδρας	[* . . .]
πύκτῃ ἄνδρας	[* . . .]

Utrum in fine alterius columnae marmor mutilum sit an tertia etiam columna adposita fuerit, sciri iam nequit.

II.

Lapis B.

ἀνδρὶ κιθαρῳδῷ	* γ,σν
δευτερείου	* α,
ποιητῇ Ῥωμαϊκῷ	[* . . .]
ποιητῇ	[* . . .]
διὰ πάντων	* α,
γραμματεῖ	* φν
πανηγυριάρχῃ	* α,
βήλων καὶ τῶν	* α,
διὰ θεάτρου	

III.

Lapis E et D.

E. Col. I.

Σαλπικτῇ	* φ
κήρυκι	* φ
Πυθικῷ αὐλητῇ	* α,υ
δευτερείου	* υ
κυκλίῳ αὐλητῇ	* [φ?]
δευτερείου	* ρ
κωμῳδῷ	* α,χ
δευτερείου	* φ
τριτείου	* τ
τραγῳδῷ	* β,ψ
δευτερείου	* ω
τριτείου	* χ

„Hic deest lapis, in quo finis musicorum certaminum scriptus erat et initium gymnicorum, fortasse hoc pluribus verbis expressum, ut tit. I col. II: *εἰς δὲ τὸν γυμνικόν κ. τ. λ.*"

Col. II.

ἀνδρὶ	
δολιχαδρόμῳ	* β,
ἀγενείοις	
σταδιαδρόμῳ	* β,
πεντάθλῳ	* γ,ω

παλαιστῇ	* $\gamma,\overline{\omega}$
πύκτῃ	. . .
πανκρατιαστ[ῇ]	* ε,
ἀνδρὶ	
πεντάθλῳ	* $\alpha,\overline{\tau\mu}$
παιδὶ	
σταδιαδρόμῳ	* $\alpha,\overline{\upsilon}$

„Hic deest lapis, qui videtur decem versus explevisse, fere hos:

[ἀνδρὶ
σταδιαδρόμῳ
ἀνδρὶ
διαυλαδρόμῳ
παιδὶ
δολιχαδρόμῳ
παιδὶ
διαυλαδρόμῳ
παιδὶ
πεντάθλῳ]."

Col. III.

παισὶν	
παλαιστ[ῇ	. . . .
πύκτῃ	. . .
πανκρα[τιαστῇ	. . .
ἀνδράσιν	
παλαισ[τῇ	. . .
πύκτῃ	. . .
πανκρα[τιαστῇ	. . .
ὁπλειτο[δρόμῳ	. . .
κέλητι [τελείῳ	. . .
κέλητι [πωλικῷ	. . .
συνωρίδ[ι τελείᾳ	. . .
συνωρίδι [πώλων	. . .

D.

δευτερείου π[ώ]λ[ων?]	* $\overline{\tau\nu}$
ἅρματι τελείῳ	* $\alpha,\overline{\varphi}$
ἅρματι πωλικῷ	* α,

ἅρματος [τ]ελείου τὸ β — * φ
[ξ]υστάρχῃ [ε]ἰς ἀναπ[λήρωσιν] — * ψμε
εἱμαντοπαρόχῳ — * τα
ἀφετ[η]ρίας μαγγάνων — * τ
σκάμματος καὶ . . . . ματος[1]) — * υ
εἰς ἔλαιον — * β,
ἀγαλματοποιοῖς — * [α,]φ

Adnot. 1) σκάμματος καὶ . . . . . ματος supplevit Fedde sic: καὶ [πληρώ]ματος (?). („Der Fünfkampf der Hellenen. Wissenschaftliche Beilage zum Osterprogramm 1888 des Breslauer Gymnasiums zu St. Elisabeth“, p. 39 Anm. 1.)

IV.

Lapis G.

Col. I deficit. Fuit fere hoc loco:

[Σαλπικτῇ
κήρυκι
ἐγκωμιογράφῳ
ποιητῇ
πυθαύλῃ
κωμῳδῷ
τραγῳδῷ]

et similia, interpositis fortasse δευτερείου, τριτείου, ut alibi.

Col. II (vulgo I).

χοροκιθαρ[εῖ] — * φ
χοραύλῃ — * ψν
κιθαρῳδῷ — * α,φ
δευτερ[ε]ίου — * υ
πυῤῥίχῃ — * φ
Σατύρῳ — * ρν
διὰ πάντων — * φ
Θέματα γυμνικά
παιδὶ δολιχαδρόμῳ — * φ
παιδὶ σταδιαδρόμῳ — * [φ]κε
παιδὶ [δ]ιαυλ[α]δρόμῳ — * φ
παιδὶ πεντάθλῳ — * σν
παιδὶ παλαιστῇ — * α,

Col. III (vulgo II).

παιδὶ πύκτῃ	* α͵
παιδὶ παγκρατιαστῇ	* α͵[χ]ν
ἀγενείῳ σταδιαδρόμῳ	* ψν
ἀγενείῳ πεντάθλῳ	* τπε
ἀγενείῳ παλαιστῇ	* α͵φ
ἀγενείῳ πύκτῃ	* α͵φ
ἀγενείῳ παγκρατιαστῇ	* β͵
ἀρδρὶ δολιχαδρόμῳ	* ψν
ἀνδρὶ σταδιαδρόμῳ	* α͵σν
ἀνδρὶ διαυλ[α]δρόμῳ	* α͵
ἀνδρὶ πεντάθλῳ	* φ
ἀνδρὶ παλαιστῇ	* β͵
ἀνδρὶ πύκτῃ	* β͵

Col. IV (vulgo III).

ἀνδρὶ παγκρατιαστῇ	* γ͵
ὁπλειτοδρόμῳ	* φ
ἀπο[β]άτῃ	* σν
ἱππικῷ	* ψν
σκάμματος καὶ μαγγάνων	* [υν]
εἰς τὸ στάδιον	* φ
[ἱμ]άντων [μ]ισ[θ]ός	* σν
[ξ]υστάρχῃ εἰς ἀναπ[λή]ρωσιν	* χοδ
ἀνδριάντος	* α͵

Notae numerales, quae in hoc lapide desiderantur, lapide V F et C suppleri possunt.

V.

Lapis F et C.

Col. I deficit. Fuit fere hoc loco:

[Σαλπικτῇ
κήρυκι
ἐγκωμιογράφῳ
ποιητῇ
πυθαύλῃ
κωμῳδῷ
τραγῳδῷ]

„interpositis, credo, pluribus usque in longitudinem tredecim versus."

F. Col. II (vulgo I).

χοροκιθαρεῖ	* φ
χοραύλῃ	* ψν
κιθαρῳδῷ	* α,φ
δευτερείου	* υ
πυῤῥίχῃ	* φ
Σατύρῳ	* ρν
διὰ πάντων	* φ
Θέματα γυμνικά	
παιδὶ δολιχαδρόμῳ	* φ
παιδὶ σταδιαδρόμῳ	* φκε
παιδὶ [δι]αυλ[α]δρό[μ]ῳ	* φ
παιδὶ πεντάθλῳ	* [σ]ν
παιδὶ παλαιστῇ	* α,

Col. III (vulgo II).

παιδὶ πύκτῃ	* α,
παιδὶ παγκρατιαστῇ	* α,χν
ἀγενείῳ σταδιαδρόμῳ	* ψν
ἀγενείῳ πεντάθλῳ	* τπε
ἀγενείῳ παλαιστῇ	* α,φ
ἀγενείῳ πύκτῃ	* α,φ
ἀγενείῳ παγκρατιαστῇ	* β,
ἀνδρὶ δολιχαδρόμῳ	* ψν
ἀνδρὶ σταδιαδρόμῳ	* α,σν
ἀνδρὶ διαυλαδρόμῳ	* α,
ἀνδρὶ πεντάθλῳ	* [φ]
ἀνδρὶ παλαιστῇ	* β,
ἀνδρὶ πύκτῃ	* β,

Col. IV. Lapis C.

ἀνδρὶ παγκρατιαστῇ	* γ,
ὁπλειτοδρ[ό]μῳ	* φ
ἀποβάτῃ	* σν
ἱπ[π]ικῷ	* [ψν]
σκάμματος καὶ μαγγάνων	* υν

εἰς τὸ στάδιον	* $\overline{\varphi}$
[ἱμ]άντων μισθ[ό]ς	[* . . .]
[ξ]υστάρχῃ εἰς ἀναπλήρωσιν	* $\overline{\sigma\nu}$
ἀνδριάντος	* ͵α

Haec tabula antecedenti (IV) gemina et simillima est, praeter notas in col. IV vs. 7. 8 (cf. IV, lapis G col. IV vs. 7. 8); fortasse is, qui apographon sumpsit, erravit.

§ 36 (nr. XXXVII).

Tempus incertum.

Feriae Aphrodisienses sine nominibus memoriae proditae.

Compluribus lapidibus inscriptis sollemnia Aphrodisiade agonibus concelebrata innotuerunt, quorum origines et nomina obscuritate involuta latent.

Ordo autem certaminum et praemia quae victoribus data sunt, aliquot catalogis qui casu ad posteritatem pervenerunt, accurate describuntur.

Exstant enim indices praemiorum agonisticorum, in diversis frustis lapidum insculpti, quae sub connexum quendam redigere haud ita arduum est. Boeckhio iam contigit ut septem has reliquias in quinque partes distribueret cum ea quae coniungenda inter sese erant, coagmentaret. Ac rectam esse viam quam B. in copulandis reliquiis dissipatis ingressus est, nemo non concedet, qui paulo diligentius rationes perlustraverit, quae inter diversa praemia in catalogis commemorata intercedunt.

I.

Ludus et musicus et gymnicus (I. Lapis A).

In marmore, quod primum contemplari volumus, agitur de certamine bipartito; etenim prima pars, ad quam verba suprascripta pertinent, continet integram commissionem musicam, altera quae ipsa suum quoque introitum habet (col. II vs. 3—5) ostendit certamen gymnicum.

Utrumque vero agonem et musicum et gymnicum in eadem sollemnitate actum esse certum est.

A. Commissio musica
(I. Lapis A — col. II vs. 2).

Et natura quidem ludi e verbis praescriptis patet: pecuniarius enim erat et ii, qui in certamen descenderunt, sodales adscripti erant collegio musico.

In tabula praemiorum, quae in lapide A. enumerantur, certaminum singulorum mentio eo ordine fit, secundum quem edita sunt. Ac primum indagemus ordinem agonis musici.

a) Ordo commissionis musicae:

Ordo	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Certantes	Tubicen	Praeco	Encomiographus	Poeta	Citharoedus puer	Tibicen Pythicus

Ordo	7.	8.	9.	10.	11.
Certantes	Comoedus	Tragoedus	Tibicen cyclius	Citharoedus vir	Qui certat διὰ πάντων (sc. ἀγωνισμάτων)

Artifices societatis musicae.

b) Praemia victorum:

Denarii *	Certantes
500	1. Tragoedus, 2. Citharoedus vir
400	3. Comoedus
350	4. Tibicen cyclius
200	5. Encomiographus, 6. Poeta, 7. Tibicen Pythicus, 8. Qui certat διὰ πάντων
150	9. Tubicen, 10. Praeco, 11. Citharoedus puer

Ad commissionem musicam data erant: praemia 11
pecunia 3000 *

Adnot.: 1) *διὰ πάντων* (I. Lapis A col. II vs. 2). In explicanda brevi hac elocutione cogitandum non est de supplemento *ἀγωνιστῶν*, sed *ἀγωνισμάτων*. In catalogis agonisticis „*δια πάντων*" semper in fine commissionis musicae nominatur cf. praeter hunc locum II. Lapis B vs. 5; IV. Lapis G col. II vs. 7; V. Lapis F col. II vs. 7. *διὰ πάντων* legitur in titulis C. J. Gr. nr. 1585, 1586, 1719, 1720, 5919. Bulletin de corr. hell. IX (1885) p. 126 vs. 55 sq. (titulus Nysae Caricae inventus est): *τετειμῆσθαί τε αὐτὸν ἀναγορε[ύσει] χρυσῷ στεφάνῳ ἐν ταῖς τοῦ διὰ πάντων ἀγῶ[νος] ἱερουργίαις τε καὶ σπονδαῖς κ. τ. λ.* De significatione notionis cf. Kayser, Jahrbücher der Literatur 1841 p. 166 „Wer in mehreren Productionen zwar nicht den Sieg errungen hatte, aber doch ihm am nächsten gekommeu war, verdiente seiner Vielseitigkeit wegen schon einen Preis". Boeckhius ad C. J. Gr. I p. 355 falsam interpretationem protulit cf. Grasberger, Erziehung und Unterricht im klassischen Altertum III (1881) p. 15.

B. Certatio gymnica
(I. Lapis A col. II vs. 3 sq.).

a) Agon pueris civium reservatus
(cf. pag. 135 § 2 b).

Cum commissione musica coniunctus erat agon gymnicus, ad quem peregrini admissi non erant; is reservatus erat pueris civium urbis Aphrodisiadis. Quanta vis pecuniae ad hanc partem sollemnitatis assignata fuerit, ignoramus cum notae numerales in lapide incisae evanuerint; neque exploratum habemus, quibus in artibus gymnicis pueri tum sese exercuerint. Deinceps certamina virorum subsecuta sunt quibus utrum indigenae soli interfuerint necne, in obscuro manet.

b) Agon virorum.

Ordo certaminis:

Ordo	1.	2.	3.	4.
Certantes	Stadiodromus	Luctator	Pancratiastes	Pugil

Cives Aphrodisienses aut peregrini.

Praemia, quae victores abstulerunt, in lapide non iam legi possunt.

Adnotatio. De forma *σταδιαδρόμῳ* (I. Lapis A col. II vs. 6) cf. p. 150.

II.
Ludus musicus
(II. Lapis B).

Fragmento alterius marmoris introducimur in extremam partem commissionis musicae. Quae antecedunt, perierunt omnia.

a) Ordo certaminis:

Ordo	?	?	?	Cetera?	Quartus ab ultimo	Tertius ab ultimo	Proximus ab ultimo	Ultimus
Certantes	?	?	?	?	Citharoedus vir	Poeta Romanus	Poeta	Qui certat διὰ πάντων

Artifices synodi musicae?

Ordo huius certaminis et eius quod sub I tractavimus, inter se differunt.

b) Praemia victorum:

Denarii*	Certantes
?	
?	
?	
3250[1])	1. Citharoedus vir I.
1000	2. Citharoedus vir II., 3. Qui certat διὰ πάντων
?	
?	
?	

Pecunia et poetae Romano et poetae data in lapide non iam indicata est. Ad ludum musicum data erant:

praemia: ? + 5
pecunia: ? + 5250*

[1]) I et II significat duo praemia proposita esse.

c) *Apparatus ludi*
(II. Lapis B vs. 7 sq.):

Homines	Pecunia iis data	
1. Scriba	* 550	
2. Praefectus sollemnitatis (*πανηγυριάρχης*)	* 1000	
	Summa:	1550 *

Res	Pecunia necessaria	
Vela et res per theatrum necessariae (*βῆλα καὶ τὰ διὰ θεάτρου*)	* 1000	
	Summa:	1000 *
	Summa:	2550 *

Ex eis, quae attulimus, intellegitur Aphrodisienses tunc permagnam vim argenti ad magnificos ludos musicos edendos expeditam habuisse; etenim sola ea pars ludi, de qua perpauca ad posteritatem pervenerunt, constitit * 7800.

Adnot.: 1) *Ποιητῇ Ῥωμαϊκῷ* (II. Lapis B vs. 3). Manifestum igitur est incolas eius urbis tunc temporis magna ex parte latinam linguam scivisse. — „Ob die Zahl gerade der Romanen jemals gross gewesen ist, die an den musischen und gymnastischen Kämpfen der Griechen sich beteiligten, steht wol dahin", sic Hertzberg, Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer III (1875) p. 62. Pater Statii poetae, P. Papinius Statius Neapolitanus, florens primo p. Chr. n. saeculo, et in patria urbe et in civitatibus Graecis poeta vicerat. cf. Stat. Silv. V 3, 133—145. 195—208. 233—238.

2) *διὰ πάντων* (II. Lapis B vs. 5) cf. pag. 176 adnot. 1. Haec quoque certatio musica finitur agone *διὰ πάντων*.

3) *γραμματεῖ* (II. Lapis B vs. 6) cf. C. J. Gr. nr. 3201 (titulus est Smyrnaeus), *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτείμησε Κλ. Παυλεῖναν θυγατέρα Κλ. Παυλ[ε]ίνου, ἱππάρχου, πρυτάνεως, ἀγορανόμου, ταμίου, βουλάρχου, γυμνασιάρχου, στρατηγοῦ, ἐπὶ τῶν ὅπλων, νεωκόρου, γραμματοφύλακος, δεκαπρώτου, γραμματέως Ὀλυμπίων κ. τ. λ.* (De Olympiis Smyrnaeis cf. Philostrat. vit. Sophist. 1, 25, 3. 1, 25, 9.)

4) *βήλων* (II. Lapis B vs. 8); cf. titulum Pataris Lyciae inventum, C. J. Gr. nr. 4283 vs. 15 sq. *ἀνέθηκεν καὶ καθιέρωσεν τό τε προσκήνιον ...... τὸ δὲ ἐνδέκατον τοῦ δευτέρου διαζώματος βάθρον καὶ τὰ βῆλα τοῦ θεάτρου κατασκευασθέντα ὑπό τε τοῦ πατρὸς αὐτῆς.*

III.

Ludus musicus, gymnicus, equester, curulis
(III. Lapis E et D).

A. Commissio musica
(III. Lapis E col. I).

a) Ordo certaminum:

Ordo	1.	2.	3.	4.	5.
Certantes	Tubicen	Praeco	Tibicen Pythicus	Tibicen Cyclius	Comoedus

Ordo	6.	7.	8.	finis certaminum
Certantes	Tragoedus	?	?	musicorum incognitus est

Artifices synodi musicae.

Ordo huius commissionis et earum quas sub I et II tractavimus, inter se differunt.

b) Praemia victorum:

Denarii *	Certantes
2700	1. Tragoedus I
1600	2. Comoedus I
1400	3. Tibicen Pythicus I
800	4. Tragoedus II
600	5. Tragoedus III
500	6. Comoedus II, 7. Tubicen, 8. Praeco, 9. Tibicen cyclius I (?)
400	10. Tibicen Pythicus II
300	11. Comoedus III
100	12. Tibicen cyclius II

Ad commissionem musicam data erant:

praemia 12 + ? (finis certaminis in lapide deest)

pecunia 9900* + ?

Adnot.: Tragoedis et comoedis terna praemia proposita esse, invenitur etiam in inscriptionibus sylloges meae nr. XXa et XXI; cf. p. 116, 124, 131, 135.

B. Certamen gymnicum.

a) Ordo certaminum.

Ordo	Certantes	Aetas Certantium
1	?	?
2	?	?
3	?	?
Initium	Certaminis deest in lapide	
	Dolichodromus	Vir
	Stadiodromus	Imberbes
	Pentathlus	
	Luctator	
	Pugil	
	Pancratiastes	
	Pentathlus	Vir
	Stadiodromus	Puer
	Qui insequuntur, in lapide desunt	?
	Luctator	Pueri
	Pugil	
	Pancratiastes	
	Luctator	Viri
	Pugil	
	Pancratiastes	
	Hoplitodromus	

Valde memorabilis est hic ordo, respice quem ad modum aetates sese excipiant.

b) Praemia victorum:

Denarii *	Certantes
?	Tabula in lapide incisa non incolumis est
?	
5000	1. Pancratiastes imberbis
3800	2. Luctator imberbis, 3. Pentathlus imberbis
2000	4. Stadiodromus imberbis, 5. Dolichodromus vir
1400	6. Stadiodromus puer
1340	7. Pentathlus vir
?	cf. supra
?	cf. supra

Ad certamen gymnicum oblata sunt: praemia: 15 + ?
pecunia: 19340 * + ?

Adnot.: 1) δολιχαδρόμῳ cet. cf. p. 150.

2) ἀγενείοις (III Lapis E col. II vs. 3) cf. Grasberger, Erziehung und Unterricht III (1881) p. 5 sq., 11, 201 sq., 315, 413.

3) πεντάθλῳ (III. Lapis E col. II vs. 5). cf. F. Fedde, Der Fünfkampf der Hellenen. Wissenschaftliche Beilage zum Osterprogramm 1888 des Breslauer Gymnasiums zu St. Elisabeth. (Priores dissertationes de quinquertio Graecorum loc loco indicantur.) p. 19: „Unsere eingehende Untersuchung hat also die Reihenfolge: Lauf, Discos, Sprung, Speerwurf, Ringen ergeben, dieselbe Reihenfolge, welche Artemidorus (Onirocr. I c. 57 p. 55 Hercher) beobachtet". p. 20—38: „Bedingungen für den Gesammtsieg". p. 39—40: „Bild von dem gesammten Verlaufe des Fünfkampfs".

C. Certamen equestre et curule

(III. Lapis E col. III vs. 10 — D col. III vs. 4).

a) Ordo certaminis:

Ordo	1.	2.	3.	4.	5.	6.
Certant.	Celes *τέλειος*	Celes pullus	Biga *τελεία*	Biga pullorum	Currus *τέλειος*	Currus pullorum

b) Praemia
possessoribus equorum curruumque data:

Denarii *	
?	Aliquot notae numerales in lapide non iam exstant.
1500	1. Currus τέλειος I
1000	2. Currus pullorum
500	3. Currus τέλειος II
350	4. Biga pullorum II
?	cf. supra

Ad certamen equestre et curule data sunt:
praemia: 8
pecunia: 3350 * + ?

Adnot. 1) τέλειος cf. Thes. ling. Gr. s. v.
2) De ludis equestribus curulibusque Graecorum cf. in primis: Georg Graf von Lehndorff, Hippodromos. Einiges über Pferde und Rennen im griechischen Altertum. Mit 8 in den Text gedruckten Holzschnitten. Berlin, Wiegandt, Hempel u. Parey. 1876. V u. 83 p. (Rec. Philolog. Anzeiger VIII, 1877, p. 356—59.) cf. etiam Grasberger III (1881), 254 sq. C. J. Gr. nr. 1591, 2820, 4039, 4366 f. cet. Bull. de corr. hell. IV (1880) p. 274, IX (1885) p. 410 nr. 22.

D. Apparatus ad ludum illum quadruplum pertinens
(III. Lapis D col. III vs. 5—10).

Homines	Pecunia iis data	
Xystarches	* 745 „εἰς ἀναπλήρωσιν“ ad compensandos sumptus quos ipse toleravit	
Fabricatores statuarum (ἀγαλματοποιοί)	* 1500	
εἱμαντοπάροχος	* 301	
	Summa:	2546 *

Res	Pecunia necessaria		
oleum	*2000		
scamma et explementum	* 400		
ἀφετηρία μαγγάνων	* 300		
		Summa:	2700*
		Summa:	5246*

Adnot.: 1) *ξυστάρχης* cf. Grasberger III, 483.

2) *εὐμαντοπαρόχῳ* (III. Lapis D col. III vs. 5), de loris in certaminibus usitatis, cf. Krause, Gymn. u. Agon. 502, Grasberger III, 211.

3) De scammate cf. Fedde l. c. p. 13. Krause I, 393. Petersen, Das Gymnasium der Griechen p. 21, 52. Grasberger I, 306 sq. et 395 sq. „über den Springgraben". cf. etiam C. J. Gr. nr. 5910 vs. 10: *περιοδ(ονείκ)ον τελείον ἀνδρῶν ἐν τοῖς σκάμμασιν* et |C. J. Gr. nr. 5913 vs. 14 sq.: „*μήτε κατὰ χάριν βασιλικὴν ἀγῶνα ἔχων μηδὲ καινὸν ἀγῶνα νεικήσας ἀλλὰ πάντας, οὓς ποτε ἀπεγραψάμην, ἐν αὐτοῖς τοῖς σκάμμασιν στεφανωθεὶς κ. τ. λ.*

4) *ἀγαλματοποιοῖς* (III. Lapis D col. III vs. 10) cf. Annales Fleckeiseni, Suppl. XIV p. 309 (Kuhnert).

Ex omnibus quae supra protulimus, apparet, ferias, quibus quattuor illi agones acti sunt, splendidas fuisse et valde sumptuosas. Etenim quamquam non parva pars praemiorum quae in marmore descripta erant, cognitioni nostrae nunc detracta est, tamen sumptus ei quos cognitos habemus, iam magnam summam *37836 efficiunt.

IV.

Ludus musicus, gymnicus, equester
(IV. Lapis G).

A. Commissio musica
(IV. Lapis G. col. II — vs. 7).

a) Ordo certaminum:

Ordo	Certantes
1.	?
2.	?
3.	?
Initium	et maior pars certaminis in lapide desunt.
	Chorocitharistes
	Choraules
	Citharoedus
	Pyrrhicharii
	Σάτυρος
	Qui certat *διὰ πάντων*

b) Praemia victorum.

Denarii *	Certantes
?	Tabula praemiorum non integra est
?	
1500	1. Citharoedus I
750	2. Choraules
500	3. Chorocitharistes, 4. Victor pyrrhiches 5. Qui certavit *διὰ πάντων*
400	6. Citharoedus II
150	7. *Σάτυρος*
?	vide supra
?	

Ad commissionem musicam data erant: praemia: 7 + ?
pecunia: 4300* + ?

Adnot.: 1) χοροκιθαρεῖ (IV. Lapis G col. II vs. 1) cf. nr. XX[a] sylloges meae p. 116, 123, 125.

2) Πυῤῥίχῃ (IV. Lapis G col. II n. 5). cf. L. Friedländer, Sittengeschichte II[5] p. 418 sq., 574 [II[6] (1889) p. 462, 629]; Grasberger II, 393 sq., III 297 sq. cf. etiam nr. XX[a] syll. meae p. 116, 125, 130 adnot. 31.

3) Σατύρῳ (IV. Lapis G col. II vs. 6). cf. C. J. Gr. 1584 et 1585.

4) διὰ πάντων vs. 7. cf. p. 176 adnot. 1.

B. Certamen gymnicum

(IV. Lapis G col. II vs. 8 sq. III, IV — vs. 2).

a) Ordo certaminis.

Ordo	Certantes	Aetas Certantium
1.	Dolichodromus	Pueri
2.	Stadiodromus	
3.	Diaulodromus	
4.	Pentathlus	
5.	Luctator	
6.	Pugil	
7.	Pancratiastes	
8.	Stadiodromus	Imberbes
9.	Pentathlus	
10.	Luctator	
11.	Pugil	
12.	Pancratiastes	
13.	Dolichodromus	Viri
14.	Stadiodromus	
15.	Diaulodromus	
16.	Pentathlus	
17.	Luctator	
18.	Pugil	
19.	Pancratiastes	
20.	Hoplitodromus	

Tabula in marmore insculpta integra est:

Pueri	sese	exercent	in	7	diversis	artibus	gymnicis
Imberbes	„	„	„	5	„	„	„
Viri	„	„	„	8	„	„	„

Pueri et viri easdem exercitationes habent eodem ordine; sed ad certamen virorum accedit hoplitodromus. Imberbes non habent dolichodromum et diaulodromum; ceteroquin ordo idem est.

b) Praemia victorum.

Denarii*	Certantes
3000	1. Pancratiastes vir
2000	2. Luctator vir, 3. Pugil vir, 4. Pancratiastes imberbis
1650	5. Pancratiastes puer
1500	6. Luctator imberbis, 7. Pugil imberbis
1250	8. Stadiodromus vir
1000	9. Diaulodromus vir, 10. Luctator puer, 11. Pugil puer
750	12. Dolichodromus vir, 13. Stadiodromus imberbis,
525	14. Stadiodromus puer
500	15. Dolichodromus puer, 16. Diaulodromus puer, 17. Pentathlus vir, 18. Hoplitodromus vir
385	19. Pentathlus imberbis
250	20. Pentathlus puer

Ad agonem illum gymnicum, cuius „θέματα γυμνικά“ (IV. Lapis G col. II vs. 8) accurate cognovimus, data erant:

praemia: 20
pecunia: 22560*

C. Certamen equestre
(IV. Lapis G col. IV vs. 3. 4).

a) Ordo certaminis.

Ordo	1.	2.
Certant	ἀποβάτης	ἱππικός

b) Praemia victorum.

Denarii *	Certant	
750	ἱππικός	
250		ἀποβάτης

Ad certamen equestre data erant:
praemia: 2
pecunia: 1000 *

Adnot.: 1) ἀποβάτης. cf. Bulletin de corr. hell. VII (1883) p. 458—62 (Collignon).

D. Apparatus ad agonem triplicem pertinens
(IV. Lapis G col. IV vs. 5—9).

Homines	Pecunia iis data	
Xystarches	674* „εἰς ἀναπλήρωσιν"	
	Summa:	674

Res	Pecunia necessaria	
Statuae	1000 *	
Stadion	500 *	
σκάμμα καὶ μάγγανα	450 *	
Lora	250 *	
	Summa:	2200
	Summa:	2874 *

Ad edendum ludum, quem sub IV tractavimus, 30734 * + ? necessarii fuerant.

V.

Ludus musicus, gymnicus, equester.

(V. Lapis F et C.)

Ordines horum agonum et praemia victoribus numerata prorsus eadem sunt quam ordines et praemia ludi sub „IV“ tractati.

Quod apparatum ludi attinet, discrimen parvum memorabile est. Namque lapis C (V col. IV vs. 7 et 8) praebet:

[ἱμ]άντων μισθ[ός]	[* . . .]	? *
[ξ]υστάρχῃ εἰς ἀναπλήρωσιν	* σν	250

lapis G (IV col. IV vs. 7 et 8) exhibet:

[ἱμ]άντων [μ]ισ[θ]ός	* σν	250
[ξ]υστάρχῃ εἰς ἀναπ[λή]ρωσιν	* χοδ	674

Mihi quidem videtur errorem eius, qui marmora exscripsit, subesse.

Ratione temporum habita ludi, quos modo enumeravimus, sic digerendi sunt:

Ludus antiquissimus is est, qui tractabatur sub	I
Recentiores sunt:	IV }
„ „	V }
„ „	III
Novissimus	II.

Id quod efficitur, si intuemur, quibus ludis et certamina fuerint pauciora et praemia minus larga. Etenim ludi posteriores ideo magnificentiores esse poterant, quod caput ad eos destinatum procedente tempore magis magisque increverat.

Restat, ut paucis loquar **de origine titulorum**, de quibus supra disputavimus.

Opinor enim fragmenta illa marmorea pertinuisse ad epistolas a logista imperatoris ad magistratus missas, quae continebant et concessionem ludorum et descriptionem praemiorum pecuniariorum a curatore illo rei nummariae determinatorum. Huic autem coniecturae suffragatur id, quod litterae similis argumenti exstant. Cf. nr. XX—XXI meae sylloges, p. 114—136.

§ 37.

Nonnulla de stadio Aphrodisiensium.

Cives urbis Aphrodisiadis stadium habuisse, commemoratur in titulo nr. XXXVII, IV. Lapis G col. IV, 6 et V. Lapis C col. IV, 6 meae sylloges. De constructione huius stadii cf. Fellows, discoveries in Lycia, 1840, p. 33; Texier, Asie mineure, 1862, p. 647; Jonian Antiquities, III Ch. II Pl. 10 et 11; Guhl et Koner, Das Leben der Griechen und Römer nach antiken Bildwerken, 1882[5], p. 154: „Eine besondere Einrichtung erforderten solche Stadien, welche auf beiden schmaleren Seiten durch einen Halbkreis geschlossen waren. Diese scheinen durchweg einer späteren Zeit anzugehören und mögen in manchen Fällen erst den römischen Amphitheatern nachgebildet worden sein. Ein sehr schönes Beispiel dieser späteren Anordnung bietet das Stadion von Aphrodisias in Karien dar, dessen Grundriss Fig. 168 darstellt (die Länge beträgt ungefähr 895 engl. Fuss). Auch hier ist die natürliche Senkung des Bodens benutzt worden, und man hat, um mehr Platz für Sitzreihen zu gewinnen, den Boden noch tiefer ausgegraben. Der ganze Raum ist, wie dies der Querdurchschnitt Fig. 169 zeigt, von einer Mauer mit reich verzierten Arkaden eingeschlossen, durch welche fünfzehn öffentliche Eingänge in das Innere führten, wogegen einige unterirdische Eingänge Zugang zu der Area gewährten, ohne den Zuschauerraum zu berühren (vgl. den unter Fig. 170 dargestellten Teil des Längendurchschnitts). Solche unterirdischen Eingänge scheinen bei den eigentümlichen Terrainverhältnissen griechischer Stadien nicht selten gewesen zu sein."

---

§ 38.

Epilogus.

Qui usque ad hunc locum me secutus est, is certe fatetur minime sese praesagiisse incolas municipii Asiani ab ora maritima occidentali satis remoti vitam tam lautam vixisse imperatorum aetate, cuius famam historicorum prava narratio obscurare diu potuit; nunc autem lectores admiratione afficiuntur maxima

si cogitant de nitore ac splendore quo omnis civium Aphrodisiensium vita et privata et publica refulsit. Locupletes omnium rerum copia diffluebant, pauperes non parce duriterve vivebant; immo vero alebantur a divitibus et optime delectabantur. Unum enim studium praecipue omnium commune erat; artes gymnicas fovebant omnes singulari amore, spectacula agonistica fere cunctis aliis rebus anteponebantur.

Quoties Aphrodisienses ardorem illum exprompserint, cognovimus; e marmoribus memoriam et recordationem certaminum ab iis actorum redintegravimus. Exemplum autem urbis Aphrodisiadis nos edocuit, Mommsenum, qui primus historiam provinciarum Romanarum inde a Caesare usque ad Diocletianum iusto colore illustravit, non perperam iudicavisse, cum diceret (R. G. V 1885, p. 327):

„Die dauernde Blüte der culturfähigen Landschaften Kleinasiens erstreckt sich nicht blos auf die Städte glänzenden Namens, wie Ephesos, Smyrna, Laodikeia, Apameia; wo immer ein von der Verwüstung der anderthalb Jahrtausende, die uns von jener Zeit trennen, vergessener Winkel des Landes sich der Forschung erschliesst, da ist das erste und das mächtigste Gefühl das Entsetzen, fast möchte man sagen die Scham über den Contrast der elenden und jammervollen Gegenwart mit dem Glück und dem Glanz der vergangenen Römerzeit."

Appendix.

C. I. Gr.	Le Bas-Waddington.	Annal. inst. archeol.	Transactions of Roy. Soc. of Lit.	Bulletin de corr. hellénique.	C. I. A.	Archäologische Zeitung.	Sylloge mea.
Nr. 2739	1621	—	—	—	—	—	—
2741	—	—	—	—	—	—	XX.
2743	1624	—	—	—	—	—	—
2744	1626	—	—	—	—	—	—
2745	593	—	—	—	—	—	—
2746	594	—	—	—	—	—	—
2747	1585	1847, p. 110	—	—	—	—	—
2748	591 et 1587	—	—	—	—	—	—
2751	1590	—	—	—	—	—	—
2753	1589	—	—	—	—	—	—
2755 C. I. Gr. II p. 1109.	1586	—	—	—	—	—	—
2758	—	—	—	—	—	—	XXXVII
2759	1620 d	—	1843, p. 244 et 303	—	—	—	XX a
2759 b Add. et Corr.	—	—	—	—	—	—	V
2761	—	—	—	—	—	—	XXXI
2762	—	—	—	—	—	—	XXXII
2763	—	—	—	—	—	—	XXXIII
2764	—	—	—	—	—	—	XXXIV
2765	—	—	—	—	—	—	XXXV

C. I. Gr.	Le Bas-Waddington.	Annal. inst. archeol.	Transactions of Roy. Soc. of Lit.	Bulletin de corr. hellénique	C. I. A.	Archäologische Zeitung.	Sylloge mea
Nr. 2766	—	—	—	—	—	—	IV
2767	1604	1852, p. 118	—	—	—	—	—
2769	1608	—	—	—	—	—	—
2771	—	—	—	—	—	—	VIII
2772	1613	—	—	—	—	—	—
2774	—	—	—	—	—	—	IX
2776	1633 b	—	—	—	—	—	—
2777	—	—	—	—	—	—	X
2778	—	—	—	—	—	—	XI
2779	1605 b	—	—	—	—	—	—
2781	1600	—	—	—	—	—	—
2781 b Add. p. 1111.	1596	—	1843, p. 236.	—	—	—	—
2782	—	—	—	—	—	—	XIV
2785	—	—	—	—	—	—	XX b
2789	—	—	—	—	—	—	VII
2790	1609	—	—	—	—	—	—
2792	1617	—	—	—	—	—	—
2796	1601 b	—	—	—	—	—	III
2797	1598	—	—	—	—	—	—
2801	—	—	—	—	—	—	XXIX
2805 a	1615	—	—	—	—	—	—
2806	1616	—	—	—	—	—	—
2810 b Add. p. 1112.	1620 b	—	1843, p. 237 et 295	—	—	—	XVI
2811	—	—	—	—	—	—	XXVI
2811 b Add. p. 1113.	1620 a	—	1843, p. 236 et 293	—	—	—	XV

2812	—	—	—	—	—	—	XXIV
2814	—	—	—	—	—	—	XVIII
2816	1605 a	—	—	—	—	—	—
2819	1607	—	—	—	—	—	—
2819 b Add. p. 1115.	1597	—	—	—	—	—	—
2820 a	1602 b	1852, p. 127	—	—	—	—	XVII*)
2825 b Add. p. 1115.	1644	—	—	—	—	—	—
2829	1630	—	—	—	—	—	—
2832 Add. p. 1115.	1636	—	—	—	—	—	—
2834	1632	—	—	—	—	—	—
2836	1633 a	—	—	—	—	—	—
2837 b Add. p. 1117.	1634	—	—	—	—	—	—
2840	1637	—	—	—	—	—	—
2846	1640	—	—	—	—	—	—
2850 b Add. p. 1118.	1643	—	—	—	—	—	—
9272	1650	1847, p. 115	—	—	—	—	—
—	596	—	—	—	—	—	XXV
—	1592	1852, p. 126	—	—	—	—	VI
—	1595	1847, p. 111	—	—	—	—	II
—	1599	1852, p. 126	—	—	—	—	—
—	1601 A	—	—	—	—	—	XII
—	1602 A	—	1843, p. 235 et 230	—	—	—	XIX
—	1603	1852, p. 132	—	—	—	—	—
—	1609 a	—	1843, p. 235 et 291	—	—	—	—
—	1611	1852, p. 120 (1847, p. 111)	1843, p. 239 et 297	—	—	—	—
—	1612	1847, p. 111	—	—	—	—	—
—	1616 a	—	1843, p. 236 et 293	—	—	—	XXVII

*) Cf. Reinach, Traité d'épigraphie grecque (1885) p. 111.

C. I. Gr.	Le Bas-Waddington.	Annal. inst. archeol.	Transactions of Roy. Soc. of Lit.	Bulletin de corr. hell.	C. I. A.	Archäologische Zeitung.	Sylloge mea.
Nr. —	1620	1847, p. 112 nr. 4	—	—	—	—	XIII
—	1620 c	—	1843, p. 243 et 302	—	—	—	XXI
—	1622	1852, p. 136	—	—	—	—	—
—	1623	—	1843, p. 289	—	—	—	—
—	1625	1847, p. 113	—	—	—	—	—
—	1627	1847, p. 113	—	—	—	—	—
—	1628	1852, p. 136	—	—	—	—	—
—	1628 a	1847, p. 114	1843, p. 236 et 291	—	—	—	—
—	1631	1847, p. 113	—	—	—	—	—
—	1635	—	—	—	—	—	—
—	1639	1847, p. 114	1843, p. 240	—	—	—	—
—	1640 a	—	1843, p. 241 et 300	—	—	—	—
—	1641	1852, p. 134	—	—	—	—	—
—	1641 a	—	1843, p. 241 et 300	—	—	—	—
—	1642	1847, p. 115	—	—	—	—	—
—	1643 a	—	1843, p. 234	—	—	—	—
—	1645	1847, p. 115	—	—	—	—	—
—	1646	1847, p. 115	—	—	—	—	—
—	1647	1847, p. 115	—	—	—	—	—
—	—	—	—	IX p. 68 nr. 1	—	—	XXVIII
—	—	—	—	IX p. 71 nr. 2	—	—	XXII
—	—	—	—	IX p. 73 nr. 3	—	—	XXIII
—	—	—	—	IX p. 74 nr. 4	—	—	XXXVI
—	—	—	—	IX p. 75 nr. 5	—	...	I
—	—	—	—	—	III¹ p. 59 nr. 129	—	XXX
—	—	—	—	—	—	XXVIII (1880) p. 156 nr. 360 frg. b	XXX a

Indices.

I. **Nomina:**
   a) Virorum et mulierum.
   b) Imperatorum.
   c) Locorum, regionum, civitatium cum ethnicis.

II. **Res publicae.**

III. **Res sacrae:**
   a) Dei, Deae, heroes cum templis.
   b) Feriae Aphrodisienses.
   c) Feriae extraneae, quibus interfuerunt Aphrodisienses.
   d) Agonistica.

IV. **Varia.**

I. Nomina.

a) Virorum et mulierum.

b) Imperatores.

Octavianus.

Titus.

Nerva.

Hadrianus.

M. Aurelius.

Commodus.

c) **Locorum, regionum, civitatium cum ethnicis.**

II. Res publicae.

III. Res sacrae.

a) Dei, deae, heroes cum templis.

b) Feriae Aphrodisienses.

— *τῆς πέμπτης τετραετηρίδος Ἀφροδεισιήων Φιλημον(ι)ήων* XXIII, 2 p. 137; cf. p. 140 sq.
— *τῆς πεντεκαιδεκάτης τετραετηρίδος Ἀφροδεισειήων Φιλημονι[ήω]ν* XXIV, 6 p. 138; XXV, 3 p. 138; cf. p. 140 sq.
ἀγῶνος ταλαντιαίου Φλαβίου Λυσιμάχου πενταετηρικοῦ μουσικοῦ μόνου θέματα XX a, 1 sq. p. 115; cf. p. 117 sq.
— *τῇ δεδομένῃ τοῦ ἱεροῦ ἀ. δ[ω]ρεᾷ* XXXI, 10 p. 163; XXXII, 9 p. 163; XXXIII, 9 p. 164; XXXIV, 9 p. 164; cf. p. 165.
[ἀγῶνος τοῦδε καὶ τοῦδε πενταετηρικοῦ? μου]σικοῦ τῶν ἀπὸ τῆς συνόδου XXXVII, I. lapis A vs. 1 p. 168; cf. p. 175.
ἀγώνων, Λυσιμαχήων ἀ. XX b, 9 p. 116; cf. p. 117 sq.
amphitheatrales ludi p. 35 sq.
Ἀτταλήων, τῶν μεγάλων Γορδιανήων Ἀ. XXIX, 7 p. 152; cf. p. 154 sq.
Ἀττάλημα Καπετώλια ἐν Ἀφροδεισιάδι XXX, 31 p. 153; vide supra: *ἀγῶνας ἱερούς* cet.
Γορδιανήων Ἀτταλήων, τῶν μεγάλων XXIX, 6 p. 152; cf. p. 154 sq.
Καπετώλια, Ἀττάλημα Κ. ἐν Ἀφροδεισιάδι XXX, 31 p. 153; cf. p. 157.
Λυσιμαχήων ἀγώνων XX b, 8 p. 116; cf. p. 117 sq.
Ῥώμην, τῆς εἰς Ῥ. [καὶ Σεβαστὸν ἑορτῆς] XXI, 5 p. 130; cf. p. 134.
Φιλημονιήων, cf. *ἀγῶνι.*
Menses Aphrodisienses p. 134 adnot. 1.

c) Feriae extraneae, quibus interfuerunt Aphrodisienses.

ἀγώνων, τῶν ἐν Κολωνείᾳ Ἀντιοχείᾳ ἀ. XV, 4 p. 87.
Ἀδριανὰ Ὀλύμπια ἐν Σμύρνῃ XXX, 26 p. 153; cf. p. 162 adnot. 4.
Ἀδριάνειον Ἀντινόειο[ν] παίδων δόλιχον, ἐν Ἀδριανήᾳ τῆς Βειθυνίας XXVIII, 15 p. 147; cf. p. 151 adnot. 8.
— *Ἡράκλειον ἰσάκτιον ἀνδρῶν δόλιχον, ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ πρὸ[ς] τῷ Πόντῳ* XXVIII, 27 p. 147.
Ἀδρι(ά)νηο[ν], Ἡράκλειον ἰσάκτ(ι)ον πα[ίδ]ων δόλιχον, ἐν Ἡρακλε[ί]ᾳ τῇ πρὸς τῷ Πόντῳ XXVIII, 17 p. 147; cf. p. 151.

d) Agonistica.

IV. Varia.

Argumentum.

Corrigenda et Addenda.

p. 15 nr. II, 1: *Ὁ* pro *Ο*.
p. 23. adnot. 4, Friedlaender, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 276; adde: II^{6} (1889) p. 315.
p. 27. adnot. 2, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 557; adde: II^{6} (1889) p. 611.
p. 36. Sittengeschichte II^{5} (1881) p. 557; adde: II^{6} (1889) p. 611.
p. 37. Sittengeschichte II^{5} (1881) p. 557; adde: II^{6} (1889) p. 610 sq.
p. 53. nr. IX pro XI; nr. 2774 pro 2741.
p. 73. adnot. 4, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 446 sq.; adde: II^{6} (1889) p. 491 sq.
p. 73. nr. XIV, 1: *Ὁ* pro *Ο*.
p. 90. nr. XVI, 39 *Καισάρειαν τὴν* pro *τῆς*.
p. 95. Sittengesch. II^{5} (1881) p. 437 sq., adde: II^{6} (1889) p. 481.
p. 98. adn. 7, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 437, adde: II^{6} (1889) p. 481.
p. 99. adn. 17, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 451, adde: II^{6} (1889) p. 496.
p. 110. adn. 2, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 275, adde: II^{6} (1889) p. 314.
p. 130. adn. 31, Sittengesch. II^{5} (1881) p. 418 sq. p. 574; adde: II^{6} (1889) p. 462. p. 629.
p. 151. *Ἁδριάνεια* pro *Αδριάνεια*.
p. 151. adnot. lege 8 pro 2.
p. 153. nr. XXX lege 20 pro 25.
p. 172. col. III vs. 8 lege *ἀνδρὶ* pro *ἀρδρὶ*.

G. KEIL:

DE FLAVIO CAPRO GRAMMATICO QUAESTIONUM CAPITA II.

Inter eos grammaticos latinos, quorum libros praeter pauca fragmenta dispersa periisse summopere lugendum est, non infimum tenet locum Flavius Caper. Nam et nomen eius saepissime a grammaticis inferioris aetatis in testimonium vocatur, ut plurima ex eius libris hausisse videantur, et ipsi a nonnullis magnae doctrinae laus tribuitur, velut, ut uno teste defungar, Priscianus (I 188, 22) doctissimum antiquitatis perscrutatorem eum appellat. Quae cum ita se habeant, mirum est neminem adhuc ea qua par est diligentia de hoc grammatico eiusque scriptis quaesivisse et quae librorum eius exstant fragmenta collegisse. Osannus quidem in ea re operam collocavit [*De Flavio Capro et Agroecio grammaticis*. Gissae 1849], sed etsi ea laude, quod primus rem usque ad illud tempus neglectam tractavit nondum adiutus Keilii editione grammaticorum latinorum, fraudari non debet, tamen commentatio eius vitiis non caret. Neque enim, id quod Christius Philolog. XVIII p. 165 sqq. suo iure reprehendit, quibus locis Caper non addito nomine ab inferioribus grammaticis exscriptus sit, neque qui fontes eius fuerint et qui tandem grammatici ab eo pendeant, indagavit. Maioris pretii sunt, quae Neumannus in dissertatione *de Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus* conscripta Kiliae 1881 et Kirchnerus *de Servii auctoribus, quos ipse laudat* annal. philol. supplem. VIII p. 469 sqq. de Capro attulerunt, sed ut ille id tantummodo egit, ut Pliniana in Capri reliquiis indagaret, ita hic nulla alia fragmenta tractavit nisi ea, quae ad declinationem nominum pertinent. Quorum studia cum etsi plurimas tamen non omnes Capri reliquias complectantur, amplissimus in universitate Halensi ordo philosophorum anno 1888 in certamine litterario quaestionem de Flavio Capro pro-

posuit, non ut multa nova enuclearentur, sed ut in unum congerantur et denuo tractentur, quae de grammatico illo viri docti scripserunt. Equidem hoc opus aggressus in duo capita rem divisi: priore de Capri nomine, aetate, libris disserui et quae scriptorum eius fragmenta nomine apposito apud inferiores grammaticos exstant composui; altero quid Priscianus omisso nomine auctoris ex Capri libris hauserit, quaesivi. Ut quaestio plane absoluta esset, etiam reliqui grammatici aeque ac Priscianus tractari debebant; quod cum longum esset, in aliud tempus distuli. Priscianum vero elegi, quod reliquorum nemo magis Capri doctrinam secutus est.

Caput I.

§ 1.

De Capri nomine, aetate, libris.

De nomine ut primum dicam, praenomen traditum non est, nam ubi exstat grammatici memoria, Caper simpliciter appellatur paucis apud Charisium vel potius apud Romanum, quem Charisius secutus est, locis gentilicio nomine apposito Flavius Caper (velut Charis. gr. l. I 195, 19).

E Flavii nomine aetatem qua vixerit definire studuit Osannus Pompeii testimonium (gr. l. V 154, 13) afferens, qui Caprum magistrum Augusti Caesaris dicit. De Augusto primo imperatore cum nullo modo possit cogitari — nam Caprum e Probi, qui Neronis temporibus floruit, libris hausisse constat —, persuasit sibi Osannus imperatorem illum, cuius magister Caper dicatur, e Flaviorum gente fuisse atque ab eo grammaticum nomen cepisse. Quod utrum recte se habeat necne diiudicari non potest nec quidquam refert: sed cum Flavii nomen usitatissimum fuerit apud Romanos et Pompeii testimonium aperte falsum ad quemvis alium imperatorem referri possit, nisi omnino pro fabula a Pompeio ficta habendum est, assentiri Osanno vix ausim. Nec plus auctoritatis ei testimonio tribuo, unde eidem terminus, ante quem vixerit Caper, videtur posse definiri. Leguntur enim apud Claudium Dausqueium orthogr. I p. 162 haec: Scaurus lib. IX de orthographia: *et raro Capri testimonio s apud Etruscos exprimitur*

et ex latinis elocutionibus nonnunquam evanescit. Ennius: interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursum. Cum vero Dausqueii fides suspecta sit et verba illa Scauro tributa alibi nusquam exstent, fontem autem, unde pleniorem quam quae nobis parata est Scauri cognitionem consequi potuerit, Dausqueius habuisse non putandus sit, Christius non sine veritatis specie coniecit doctrinae illi ex Agroecii libello (gr. l. VII 118, 12 Tusci s literam raro exprimunt) sumptae et exemplo apud Priscianum I 170, 9 reperto illustratae Scauri clarius nomen a Dausqueio per fraudem appositum esse. Ut vero Agroecii doctrinam Capro tribueret, facillime inde fieri potuit, quod Capri [1]) et Agroecii libellos in codicibus plerumque coniunctos confudit.

Haec igitur testimonia, quibus nixus Osannus Capri aetatem intra breve Flaviorum Caesarum imperium constringere voluit, nihil valent; alia eaque graviora cum ego quidem affere non possim, hanc quaestionem in medio relinquo eo contentus, quod constat vixisse Caprum post Probum Neronis aequalem [2]), cuius libris usus est, et ante Iulium Romanum, a quo saepius nominatur. De Romani vero aetate recte disseruerunt Keilius gr. l. I praef. p. XLVII et Christius l. c. p. 123, qui imperatore Marco Aurelio vel Antonino Pio eum scripsisse existimant. Ei certe aetati asserendus est Caper, qua etiam vigebat litterarum studium et qua, qui grammaticis studiis se dederant, ad ipsos veteres scriptores redibant neque inferioris aetatis more in antiquiorum grammaticorum libris exscribendis et compilandis acquiescebant. Hoc vel inde apparet, quod omnia fere, quae ex scriptis Capri servata sunt, amplam doctrinam et diligentissimum veterum scriptorum studium prae se ferunt. Quod si cognoscere volumus, proficiscendum est non ex duobus illis libellis de orthographia et de verbis dubiis (gr. l. VII p. 92—112), qui nomine eius inscripti feruntur, sed ex eis fragmentis, quae inferioris aetatis grammatici saepissime

---

[1]) De his libellis Capri nomen prae se ferentibus vide infra p. 4.

[2]) Steupius de Probis p. 192 Caprum non modo post Probum Berytium, sed etiam post iuniorem quem dicit Probum, quem anno circa quinquagesimo quinto natum esse putat, vixisse autumat. Quae sententia, qua probata terminus post quem vixerit Caper etiam accuratius definiretur, stare non potest, cum iuniorem illum Probum omnino fuisse minime verisimile sit.

Capri copiis usi dispersa ac dissipata tradiderunt. Nam illi duo libri ab uberrimis copiis veteris grammatici et eximia eruditione, quae in aliis fragmentis apparet, ita diversi sunt, ut, etsi in his quoque non solum reliquiae antiquitatis et vestigia doctrinae a bono auctore petitae inveniuntur, verum etiam ipsi Capro quaedam ex iis, quae hic legimus, ab aliis tribuuntur, tamen, quales nunc exstant, ab ipso Capro eos conscriptos esse nemo existimet. Recte de eis iudicavit Keilius gr. l. VII 90, qui eos ex veteris grammatici libris excerptos, sed studiis recentiorum grammaticorum valde obtruncatos et mutatos esse censuit. Quid vero Capro debeatur quidve recentioribus, cum diiudicari plerumque non possit, iam his neglectis ea, quae apud alios grammaticos inventa Capri esse e nomine apposito apparet, colligamus, ut inde quae fuerit eius doctrina cognoscamus. Quod opus priusquam aggrediamur, aptum est de titulis Capri librorum ab aliis aliter prolatis nonnulla praemittere.

Qui inveniuntur tituli, hi sunt:

de latinitate Charis. 194, 31; 207, 31,
de lingua latina Pompei. 175, 30,
libri enucleati sermonis Serv. in Aen. X 344,
de dubiis generibus Prisc. I 171, 14[1]); 212, 15. Pompei. 175, 30,
libri dubii generis Serv. in Aen. X 377,
commentarii Hieron. contra Rufin. II 9,
artes Rufin. gr. l. VI 556, 20,
de orthographia Agroe. gr. l. VII 113, 1. 9. Anon. Bern. gr. l. suppl. 179, 15. 23,
libri dubii sermonis Charis. 77, 20.

Ad hunc, quem ultimo loco posui, titulum adnotandum est loco illo Charisii Capri nomen in codice non exstare, sed per coniecturam in textum receptum esse. Leguntur enim haec:

[1]) E Prisciani verbis et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus colligere quis possit titulum *de dub. gen.* modo ad Probi librum spectare. Sed cum neque de tali Probi libro quidquam traditum sit et Priscianum Probi cognitionem non ex eius ipsius sed e Capri libris hausisse constet, Capri libro illum titulum deberi verisimillimum est. Fortasse res ita se habet, ut Priscianus Capri libri inscriptionem etiam Probo idem tractanti dederit.

Clipeus masculino genere in significatione scuti ponitur, ut Labienus ait, neutro autem genere imaginem significat, sed Asinius pro Urbiniae heredibus imaginis clipeum masculine dixit *'clipeus praetextae imaginis positus'* et Livius in significatione scuti neutraliter saepius et Pomponius in capella, cum ait

clipeum in medium fixum est.

quare * dubii sermonis II indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per i clipeum dicamus, quod est clipeus *ἀπὸ τοῦ κλέπτειν,* id est celare, dictus, imaginem vero per u a cluendo. sed haec differentia mihi displicet propter communionem u et i litterarum.

Post *quare* igitur cum nomen alicuius grammatici excidisse nemo non videat, Fabricius et Keilius (cf. adnot. crit. ad l. c.) *Caper* scripserunt, Neumannus vero de Plinii dub. serm. libris p. 25 Plinio hanc differentiam tribuit. Sane confitendum est Capri librum nusquam omnino *dubii sermonis* appellari et in illo Charisii capite Plinium saepius (sed nullo loco lib. II, qui hic commemoratur), numquam Caprum laudari, sed et alii tituli semel tantum nominantur et sententia hic prolata congruit et cum ea, quae a Servio in Aen. IX 706 Capro tribuitur: lectum est etiam hoc clipeum, ut probat Caper, et cum ea, quae in illorum de quibus supra dixi libellorum altero legitur gr. l. VII 97, 14: clipeum *ἀσπίδα,* clupeum ornamentum dices; etiam Nonius, qui in capite III Capro multum debet, p. 196, 20 sqq. clipeus et clipeum praebet. Gravissimum vero est, quod Plinius n. h. XXXV 3, 4 doctrinam prorsus diversam sequitur, eamque, quam Neumannus ei tribuit, his verbis aspernatur: scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum est, continebantur imagines, unde et nomen habuere clipeorum, non, ut *perversa grammaticorum subtilitas* voluit, a cluendo. Quem etsi in nat. hist. saepius a suis ipsius regulis descivisse Detlefsenus symbol. phil. Bonn. 697 sqq. ostendit, tamen mihi quidem Neumannus persuadere non potest eum de regula, quam ipse protulerit, postea ita iudicasse. Quod vero Neumannus totum locum Charisii corruptum esse et fortasse eam doctrinam, quae initio tradatur, a Plinio commemoratam non comprobatam esse

eiusque iudicium deinceps sequentibus *sed haec differentia* .... contineri suspicatur, assentiri ei nullo modo possum, cum ad corruptelam statuendam nulla alia causa eum movisse videatur, nisi nimium quoddam Plinii nominis restituendi studium.

Hoc igitur Charisii loco Capri nomen excidisse quoniam nobis persuasimus, novem habemus eius librorum titulos, quos supra enumeravi. Quorum unus *de orthographia* omittendus est, cum ad tractatum de orthographia, quem supra dixi[1]), pertineat. Negaverit fortasse hoc quispiam propterea, quod, quae Anon. Bern. 179, 14 Hg.: ab *adolesco* verbo venit participium *adolescens,* ob cuius differentiam docet Caper antiquissimus et doctissimus in orthographia sua, quod per i profertur nomen *adoliscens* et ibid. vers. 23: *adulescens,* ut Caper in orthografia sua testatur, nullomodo est dicendum; venit enim, ut idem evidenter pandit, ab *adoleo* id est *cresco* verbo participium *adolescens* et nomen *adolescens,* e Capro de orthographia se hausisse dicit, diversa sunt ab eis, quae ibi p. 100, 22 exstant, *adulescens* nomen est, *adolescens* participium est. Sed fortasse Anonymo alia lectio praesto erat, cuius vestigia in codice Montepessulano servata esse arbitror, qui praebet adul*is*cens nomen est. Omnino ex Anonymi verbis apud Caprum qui fertur nonnulla excidisse apparet, nisi grammaticus ille ipse aliquid addidisse et Capro per fraudem tribuisse censendus est. Sed utut res se habet, id dubium esse non potest, quin, si omnino ad Caprum, ad illum libellum disputatio Anonymi spectet: nam saeculo nono vel decimo uberior genuini Capri memoria quam nostra aetate non exstitit.

Reliquos titulos si perlustramus, ratio habenda est Pompeii 175, 30: habes hoc in Capro de lingua latina, non de dubiis generibus. Hac enim oppositione satis certo comprobatur duos tantum libros scripsisse Caprum, id quod iam inde conicere licet, quod omnes tituli sine ulla difficultate ad alterutrum

---

[1]) Hunc libellum itemque alterum de dubiis verbis brevitatis causa sub Capri nomine citabo, etsi iniuria hoc nomine eos inscriptos esse supra p. 4 ostendi.

librum referri possunt.[1]) Ex *artium* commemoratione recte iudicavit Osannus concludi non posse artem a Capro compositam esse, cum consuetudo sit recentiorum grammaticorum omnes grammaticorum libros uno artium nomine appellare et comprehendere. Idem videtur valere de titulo *commentarii,* quem Hieronymus contra Rufin. II 9 Capri libris tribuit, nisi quis forte hic testimonium invenisse sibi videtur, quo comprobetur, quod Agroecius 113, 11 tradit, Caprum etiam in commentando Cicerone versatum esse. De hoc aliisque commentariis Capro olim adscriptis infra videbimus, nunc institutam disputationem ad finem perducamus. Restant igitur sex tituli: *de latinitate, de lingua latina, libri enucleati sermonis, libri dubii sermonis, dubii generis, de dubiis generibus.* Quorum trini ad unum librum referri possunt, cum et tituli *de dubiis generibus, dubii generis, dubii sermonis* simillimi sint et quaestiones tractatae, nam etiam eo loco, qui e libris dubii sermonis sumptus esse dicitur, de voce quadam dubio genere prolata agitur. Nolo tamen negare *libros dubii sermonis* per se idem significare posse ac *libros enucleati sermonis* et propterea fortasse ad eundem librum eum titulum pertinere, ad quem reliqui tres tituli referendi sunt. Nam cum *latinitas* sit incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam, non intellego, quid aliud in *libro de lingua latina* vel *enucleati sermonis* tractatum esse quis contendat. Si vero quaerimus, quomodo Caper ipse suos libros inscripserit, ei grammatici considerandi sunt, qui ipsos eius libros in manibus habuerunt. Quorum proximus aetate est Iulius Romanus; is enim in libello de adverbio, quem Charisius 190 sqq. totum fere in suam artem recepit, multa videtur e Capro hausisse, quem quinquies appellat, bis apposito libri titulo: *Caper de latinitate.* Hic igitur titulus genuinus habendus est: qui cum inferioribus non iam esset expeditus, facillime in notiorem *de lingua latina* mutari potuit. Sed notatu

---

[1]) Gräfenhanius histor. philol. IV p. 90 e verbis Servii in Aen. VI 445: Caper, cum de praepositione *ex* tractaret, collegit Caprum dissertationem de sola praepositione *ex* scripsisse. Quod mihi persuadere non possum: videtur potius illud Servii testimonium ad librum de latinitate pertinere, cuius unum caput de praepositione scriptum fuisse videtur, quamquam adnotandum est de hac Capri doctrina praeter illum locum Servii nihil traditum esse.

dignum est, titulum *de lingua latina* non inveniri nisi apud Pompeium 175, 30, in explanatione autem in Donatum gr. l. IV 496, 8, quorum locorum consensus manifestissimus ad eundem Capri locum eos pertinere ostendit, in uno codice (cf. Keilii adnot. crit.) ad Capri nomen adscriptum esse qui scribit *de latinitate*. Qua re Pompeii testimonium valde minuitur. Item e Prisciani testimonio I 212, 15 alterius libri titulum *de dubiis generibus* fuisse colligere licet. Quod apud Charisium 77, 20 exstat *libri dubii sermonis,* nisi ad librum de latinitate spectat, fortasse ex similitudine Pliniani libri ita inscripti ortum est. Hoc verisimilius mihi videtur quam Christii sententia librum vel libros *de dubii generibus* non fuisse nisi partem maioris operis *de dubio sermone.* Hoc enim titulo, *libri dubii sermonis,* Caprum ipsum librum appellare autumat sane coactus falsa de Charisii capitis XV fontibus opinione. Nam cum totum hoc caput e Capro sumptum esse persuasum habeat, p. 77, 20, quem locum supra p. 5 tractavi, Capri nomen inscitia excerptoris excidisse putat, qui Capri verba *quare dubii sermonis II indistincto genere dixi* in tertiam personam transponens nomen auctoris addere oblitus sit. Sed hanc Christii sententiam de Capro illius capitis auctore stare non posse post alios vv. dd. Boeltius nuper demonstravit annal. philol. 1888 p. 401 sqq., cuius argumenta mihi quidem non posse convelli videntur.

§ 2.

De commentariis Capro olim adscriptis.

De grammaticis Capri libris quoniam satis exposuisse mihi videor, restat, ut nonnulla addam de commentariis ei olim adscriptis. Nam cum saepius inveniantur apud grammaticos verba alicuius scriptoris cum adnotatione *ubi Caper dicit,* inde concluserunt has Capri adnotationes e commentariis sumptas esse, quos in illos scriptores composuisset. Et ei quidem scriptores, quorum ratio habenda est, hi sunt: Ennius (Charis. 132, 6), Plautus (Charis. 195, 4), Terentius (Charis. 194, 29), Asellio (Charis. 195, 19), Cicero (Agroec. 113, 11), Vergilius (nam in Servii commentariis saepius nomen Capri exstat). Ex his de solo Cicerone dubitari potest: ceteros enim constat a Capro perpetuis commentariis illustratos non esse. Nam *ubi* Ritschelius parerg.

Plaut. p. 361 ostendit nil significare, nisi locum illum a Capro in testimonium vocatum esse; graeci eodem modo utuntur particula ἔνθα. Quid, quod Charis. 194, 29, ubi post versum Terentii legitur illud *ubi Caper dicit,* appositus est titulus libri, unde hoc petitum sit, ubi Caper dicit de latinitate? Neque quod a Servio saepius commemoratur Caper, argumentum esse potest eum commentarium in Vergilium scripsisse, cum Servius non modo commentarios adhibuerit, sed etiam grammaticos libros, ut ipse dicit, et in eorum numero etiam Capri libros, quorum titulos affert in Aen. X 344 *libri dubii generis,* X 377 *libri enucleati sermonis.*

Aliter vero res se habet de Cicerone, nam aperto Agroecii testimonio comprobatur Caprum etiam in commentando Cicerone praecipuum fuisse. Cui testimonio fidem tribuendam esse alii affirmaverunt, alii negaverunt eo nixi, quod Agroecii inscitia tanta sit, ut libellorum *de orthographia* et *de verbis dubiis* auctorem a vetere grammatico diversum esse non intellexerit. Minoris momenti est, quod Osannus profert, Agroecium, si Caprum laudare voluerit, librorum de latinitate potius quam commentariorum in Ciceronem conscriptorum mentionem facere debuisse: nam Agroecius, si quid video, verbis tam multis praesertim litterarum operibus celebratus grammaticos libros Capri complectitur, quibus commentarios opponit. Nihilo secius tamen Osanno assentior reliquisque, qui Agroecii auctoritati nullam fidem tribuunt. Hieronymi testimonium, qui *Capri commentarios* commemorat, nihil valere iam Suringarus hist. crit. scholiast. lat. I 191, quamvis credulus alias sit, intellexit, cum commentariorum nomine omnes grammatici libri comprehendantur.

§ 3.

De Capri fragmentis, quae nomine apposito apud grammaticos inferioris aetatis exstant.

Quoniam duos libros de latinitate et de dubiis generibus inscriptos Caprum composuisse demonstravimus, restat, ut doctrinae Capri reliquias, quae nomine eius apposito inveniuntur, enumeremus et in hos duos libros dispertire conemur. Qua in re monendum est nonnulla fragmenta ita comparata esse, ut, ex utro libro hausta sint, certo diiudicari non possit. Nam nonnullas

quaestiones in duobus libris tractatas simillimas inter se fuisse et per se verisimile est et Pompeii testimonio comprobatur, qui Capri auctoritate usus addit habes hoc in Capro de lingua Latina, non de dubiis generibus, quod additamentum, si libri plane diversi fuissent, ineptum esset. Duae quae apud Rufinum gr. lat. VI 556, 20 et 565, 5 exstant Capri commemorationes, unde sumptae sint, enucleari non potest; erret vero, si quis inde, quod ad metricam rem eae pertinere videntur, colligat etiam de hac Caprum scripsisse, nam quod altero loco Caper eis accensetur, qui mensuram versuum in Plauti et Terentii et ceterorum poetarum comicorum vel tragicorum fabulis agnoverint, altero versus iambicos Terentii senarios appellasse dicitur, facillime inde fieri potuit, quod Caper locum poetae alicuius scaenici in testimonium vocans scripsit *exemplum habes in versu Plauti vel Terentii* etc. aut quod trimetrum Terentii afferens *senarium* dixit.

His igitur praemissis ut fragmentorum conspectum demus, initium faciendum est ab eis, quae ex clariore eius libro de *latinitate* sumpta sunt. Doctrina, quam ex eis cognoscimus, tam varia est, ut, quod per se conicere licet, in complures libros vel capita materiam dispositam fuisse manifestum sit. Quem ordinem autem Caper instituerit, cum traditum non sit, aptissimum esse censeo ita fragmenta enumerare, ut quae ad singulas orationis partes pertineant coniungamus. Haec igitur sunt orationis partes, ad quas fragmenta spectant: nomen, verbum, adverbium, praepositio. Reliquae a Capro omissae esse videntur, cum nullum testimonium exstet, quo de his quoque eum disputavisse comprobetur; sed certum hoc non est, nam facillime fieri poterat, ut nonnulla eius librorum capita plane perirent.

I. Conspectus fragmentorum.[1]

A. E libro de latinitate.

Incipiendum est, ut supra dixi, ab eis locis, qui doctrinam de nomine exhibent.

1a. Licet Caper in libris enucleati sermonis dicat *femen,* sed non ponit exemplum.

---

[1]) In indice scriptorum in septem corporis grammaticorum voluminibus citatorum s. v. Caper hi loci omissi sunt: II 354, 9 III 44, 9 VII 113, 8; pro I 195, 7 scribendum est I 195, 4.

1b. A *femine,* ut etiam supra diximus, secundum Caprum erit nominativus hoc *femen,* licet nusquam lectum sit, ut ipse commemorat.

2. Nisi forte *quaestionem* et *querimoniam* idem significare putat (Rufinus scil.), quia in Capri commentariis huiusmodi figuram reperit.

3. Fl. tamen Caper *Allecto* monoptoton esse Valerium Probum putare ait.

4. *Hebem* Caecilius in *Ὑποβολιμαίῳ:*

subito res reddent hebem.

Ennius XVI * ubi Fl. Caper: non ut adiunctivo sed appellativo est locutus.

Testimonia[1]:

1a. Serv. in Aen. X 344: *femur* dicimus, quia legitur et declinatur *huius femoris;* illius vero ablativi *laetus eripit e femine* non invenitur nominativus, licet — exemplum.

1b. Serv. in Aen. X 788: a femine — commemorat.

2. Hieron. contra Rufin. II 9: si quaestiones de animae statu in urbe commotae sunt, quae est ista querimonia vel querela, quae utrum recipi debeat, episcoporum iudicio relinquitur? nisi forte — reperit.

3. Charis. 117, 24: *Allecto, hanc Allecto* Maro, luctificam Allecto. nam et nomine Dido Saepe vocaturum eiusdem schematis esse grammatici tradiderunt, non per vocativum *o Dido.* Fl. tamen Caper — ait.

4. Charis. 132, 1: *Hebes, hebetis,* ut *militis, segetis, comitis, teretis;* et omnia, quae *es* correpta terminantur, *tis* syllaba finientur, exceptis .... *Hebem* Caecilius — locutus.

---

[1]) Difficile est plerisque locis diiudicare, quatenus doctrina prolata e Capro sumpta sit, cum non ipsa verba Capri grammatici in textum receperint, sed aliis verbis, quae ille docuerat, expresserint. Quapropter eum modum secutus sum, ut tantummodo ea, quae propter nomen auctoris iuxta positum Capro deberi videntur, in fragmentorum ordinem reciperem, proxima vero, si qua ad sensum intellegendum necessaria erant, testimoniis adsererem: quamquam negari non potest hanc distinctionem interdum satis incertam esse, ut fortasse alio loco nimium, alio parum Capro tribuerim.

5. *Unus:* quia de vocativo quidam dubitant, Caper, doc-ssimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc usum esse Ca-ıllum et Plautum.

Catullus:

> Tu praeter omnes une de capillatis,
> Celtiberosae Celtiberiae fili.

Plautus in Frivolaria:

> o amice ex multis mi une Cephalio.

6a. Veteres declinabant *huius famei,* quomodo *diei.* de ıtiqua declinatione ablativum tantum casum sibi posteri tenu-ːunt. habemus exemplum declinationis antiquae in Capro: ipse ɔnit se legisse *famei;* Vergilius hanc longam posuit, morboque ımeque.

6b. Et quoniam incidi in hunc tractatum, non te fallat lud, quod est ubique: est enim ratio. ubique invenimus nomina ːrtiae declinationis in ablativo singulari esse correpta, ut *ab ɔc patre,* e brevis est; *ab hac matre,* e brevis est; *ab hoc mante,* et nescio quae alia. in ablativo ergo singulari nomina finita e brevem habent. sed invenimus *haec fames, huius fa-is:* quo modo potest fieri, ut inveniatur ablativus e finitus pro-uctus esse? scire debes, quoniam modo ita factum est, ut ita əclinetur. nam apud maiores nostros quintae fuerat declinationis, *ıec fames, huius famei.* et inveniuntur exempla plurima. co-ːervata sunt ista exempla in ipso loco, ubi haec ratio reddita ıt de *fame.* siqui dicat tibi nomen tertiae declinationis quod ıt, semper corripitur in ablativo, et qua ratione hoc invenimus ːoductum? ubiubi enim invenimus *fame,* semper producitur: ab-.tivus si tertiae declinationis est, corripitur. sed scire debemus ıod ita apud maiores nostros declinatum hoc nomen fuerat. ıod enim invenimus e productam in ablativo, non venit a tertia, ːd a quinta venit antiqua. ubique enim apud antiquos sic legimus, *ıec fames, huius famei;* et inde venit *ab hac fame; haec fa-*

---

5. Pric. I 188, 21: Unus — Cephalio.

6a. [Serg.] explanat in Donat. gr. lat. IV 496, 4: haec mes, huius famis, ab hac famē propter antiquam declinationem. ım sic veteres — fameque.

6b. Pompei. 175, 11: Et quoniam — generibus.

mes, huius famei, ab hac fame. habes hoc in Capro de lingua latina, non de dubiis generibus.

7. Legimus in Capro *hic Iovis, huius Iovis;* etiam Naevius, Attius, Pacuvius omnes isti utuntur hoc exemplo. tamen ista de usu remota sunt. ideo dixi, ne putes istum imperitum esse aut te omnia debere dicere. ita enim locutus est, sunt aliqua quorum nominativus in usu non est; non dixit quorum nominativus non est quidem, sed in usu non est. ergo vides quia docuit lecta esse, sed non debere poni.

8a. Etiam *veterrimus* notandum, quod cum in *us* eius desinat positivus, tamen formam in *er* terminantium servat in superlativo; *veterrimus* quasi a *veter* positivo, quod Capri quoque approbat auctoritas et usus antiquissimorum. Ennius: cum veter occubuit Priamus sub Marte Pelasgo. cuius etiam comparativum *veterior* protulit Plautus in Bacchidibus: senem † tibi dedo illum veteriorem, lepide ut lenitum reddas.

8b. Quamvis *veter* etiam analogia exigit ut bene sit dictum. Accius in Hecuba:

Veter fatorum terminus sic iusserat.

pro *vetus.* quod Capro quoque prudentissime videtur, cum comparativus *veterior* et superlativus *veterrimus veter* desiderent positivum. Cato in I originum: Antemna veterior est quam Roma. Plautus in Bacchidibus:

Senem † tibi dedo illum veteriorem, lepide ut lenitum reddas.

9. *Pius, piissimus* duos habet gradus, positivum et superlativum. quamquam et hoc *piissimus* vituperavit Cicero in Philippicis: dicit non potest per rerum naturam dici piissimus. insultabat Antonio, tu ait utere semper hoc verbo piissimus. tamen Caper, ille magister Augusti Caesaris, elaboravit vehementissime et de epistulis Ciceronis collegit haec verba, ubi

---

7. Pompei. 187, 10: Legimus — debere poni.

8a. Prisc. I 97, 5: Etiam — reddas.

8b. Prisc. I 264, 7: Nam *vetus* commune est trium generum et *Ligus* quoque *Liguris* commune . . . invenitur tamen etiam in ur desinens *Ligur* . . . . quamvis veter — reddas.

9. Pompei. 154, 9: Pius — piissimus.

erat ipse Cicero piissimus. scias, quoniam amaritudine rhetorica ; ei obiecerat, ut diceret non potest per rerum naturam ;i piissimus.

10. *Nuperrimus* etiam proferebant antiquissimi, unde ad-'bium posuit Cicero in tertio ad Herennium: et quoniam nuperne dictum facile memoriae mandatur, qui superlativus magis adverbio in *er* desinente videtur nasci. nomen enim positivum *us* desinit, ut Capro videtur, *nuperus,* cuius accusativum Plau-; profert in Captivis:

Recens captum hominem, nuperum et novicium.

bene: ut *super superus,* sic *nuper nuperus* debet esse. Li-ıs in Odyssea:

Inferus an superus tibi fert deus funera Ulixes.

11. Infra. ex hoc derivatur *inferus,* veluti *nuperus,* quod probat Caper, vel *infer,* ut *citer, exter,* et *infernus* et *in-rior, infimus.*

12a. Et a *cis* quidem derivatur *citra,* a *citra* vero *citer, terior et citimus* teste Capro. Cato de agna pascenda: ter ager alligatus ad sacra erit.

12b. Vetustissimi tamen *citer* protulisse inveniuntur. Cato ; agna pascenda: citer ager ad sacra alligatus erit. *citius* quoque dicebant teste Capro.

Hucusque de nomine; sequuntur quae ad verbum spectant agmenta.

13. Vetustissimi autem multa sic protulerunt confusa terinatione teste Capro: *adiutor* pro *adiuto, anclor* pro *anclo,*

---

10. Prisc. I 95, 18: Nuperrimus — Ulixes.

11. Prisc. II 44, 9: Infra — infimus.

12a. Prisc. II 40, 30: Et — erit.

12b. Prisc. I 85, 1: Et sciendum, quod localia sunt haec lverbia sive praepositiones, ex quibus comparativa nascuntur ›mina et paene haec: *extra exterior* .... *citra citerior.* vetuissimi — Caper.

13. Prisc. I 390, 21: Sunt quaedam, quae, cum sint passiva, ne dubio tamen inveniuntur ab auctoribus pro activis prolata, Virgilius ..... vetustissimi autem — delapido.

despoliantur pro *despoliant, deproperantur* pro *deproperant, dispensor* pro *dispenso, delapidor* pro *delapido.*

14. Praeterea plurima inveniuntur apud vetustissimos, quae contra consuetudinem vel *activam pro passiva* vel *passivam pro activa* habent terminationem, ut *testo* pro *testor* et *opino* pro *opinor* et *cuncto* pro *cunctor* et *convivo* pro *convivor* et *contemplo* pro *contemplor* et *consolo* pro *consolor* et *commoro* pro *commoror* et *auxilio* pro *auxilior* et *auguro* pro *auguror* et *auspico* pro *auspicor* et *commento* pro *commentor* et *crimino* pro *criminor* et *molio* pro *molior* et *digno* pro *dignor* et *execro* pro *execror* et *epulo* pro *epulor* et *heiulo* pro *heiulor* et *lucto* pro *luctor* et *luctito* pro *luctitor* et *luxurio* pro *luxurior* et *laeto* pro *laetor* et *ludifico* pro *ludificor* et *misereo* pro *misereor,* unde *miseret* et *miseretur* impersonalia. Cicero pro Ligario: cave te fratrum pro fratris salute precantium misereatur, unde Terentius in Phormione:

Miseritum est.

horto quoque pro *hortor* et *largio* pro *largior* dicebant, quae sunt communia. unde Sallustius in I historiarum: igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis. similiter proferebant *aucupo* et *aucupor, alterco* etiam pro *altercor* — unde Terentius in Andria:

Scio, cum patre altercasti dudum —

medico quoque, ut supra dictum est, pro *medicor* — Vergilius in I georgicon:

Semina vidi equidem multos medicare serentes —

amplexo pro *amplexor* — Quintus Claudius in II annalium: comprehensare suos quisque, saviare, amplexare. Cicero pro Cluentio: auctoritatem censorum amplexato —, *amplecto* quoque pro *amplector* et *complecto* pro *complector.* sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies. passivas quoque pro activis vel neutralibus vocibus ex contrario idem antiquissimi proferebant, *careor* pro *careo* dicentes et *obsonor* pro *obsono* et *copulor* pro *copulo* et *caleor* pro *caleo,* quorum auctores apud Caprum legant, qui eos scire desiderant.

---

14. Prisc. I 392, 4: Praeterea — desiderant.

15. *Medeor, mederis, remedior, remediaris* teste Capro.

16. Caper tamen utrumque in usu esse contendit. Afranius in Brundisinis: equidem nunc resipivi, postquam pectus est laetitia onustum. Plautus in Rudente:

Pol magis sapisset, si dormivisset domi.

17. *Expungo* vero *expunxi* dicimus, at *repungo repupugi et repunxi,* ut Capro videtur. cum ei, qui nos pupugit, talionem, id est vicem a nobis redditam ostendimus, *repupugi* dicimus, quando vero de ratione vel calendario loquimur, *repunxi* dicimus.

18. *Lacesso*, *lacessivi.* sic Probus, et videtur mihi melius dicere, participium enim passivum *lacessitus.* Caper tamen *lacessi* dicit esse, ut *facessi,* et profert exemplum Lucilii, quo usus est in XIIII:

Nam vetus ille Cato † lacessisse appellari quod
Conscius non erat ipse sibi?

19. Unum invenitur in *sco* desinens verbum apud vetustissimos, cuius praeteritum perfectum in *xi* protulerunt teste Capro: *conquinisco conquexi.* est autem *conquinisco* caput inclino.

---

15. Prisc. I 436, 7 (ubi exempla afferuntur verborum in compositione mutatorum): medeor — Capro.

16. Prisc. I 499, 17: *sapio* tam *sapui* vel *sapii* quam *sapivi* protulisse auctores inveniuntur. Probo tamen *sapui* placet dici, Charisio *sapui* vel *sapivi,* Aspro *sapivi* et *sapii* secundum Varronem, quod Diomedes etiam approbat. Nonius tamen Marcellus de mutatis coniugationibus sic ponit: *sapivi* pro *sapui* Novius virgine praegnante:

quando ego
Plus sapivi, qui fullonem compressi quinquatribus.

Terentius similiter:

cum intellego
Resipisse

pro *resipivisse.* Caper — domi.

17. Prisc. I 524, 11: Expungo — repunxi dicimus.

18. Prisc. I 534, 25: Lacesso — sibi?

19. Prisc. I 508, 27: Unum — conspiciunt.

Pomponius in vacca vel marsuppio ait:

Simul intro veni, accessi ad patrem, prendi manum;
In terram, ut cubabat, nudam ad eum ut conquexi, interim
Mulieres conspiciunt.

20. *Ico* praeterea paenultima brevi profertur in praesenti teste Capro, sed producit eam in praeterito perfecto et mutat o finalem in i: *ĭco īci,* unde *ictus.* Cato Censorius de Veturio: hostem num icit? Caelius in I: qui cum is ita foedus icistis. Lucretius tamen etiam in praesenti producit paenultimam:

exim corpus propellit et icit.

Cum disputatione de perfecto praeterito instituta, ex qua fragmenta 16—20 sumpta sunt, simul de participio egit Caper, quapropter fragmenta huc spectantia hic subiungam.

21. A *deleo,* cuius simplex in usu non est, *deletum,* a *delino delitum* nascitur, quod Probus et *Caper* comprobant, usu quoque adiuvante. Vergilius in IIII georgicon:

et paribus lita corpora guttis.

Cicero epistularum ad Calvum I: tuli moleste, quod litterae delitae mihi a te redditae sunt. idem in IIII Verrinarum: tabulae sunt in medio, quae se corruptas atque interlitas esse clamant. Accius in Atreo:

Epularum fictor, scelerum fratris delitor.

22. *Nanciscor* etiam *nactum* facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet. sicut et *pangor pactum* et *fingor fictum* et *tangor tactum.*

23. Caper: ut *sino situs,* sic *nequeo nequitus* corripit paenultimam, quod usus ubique approbat. Cicero pro Cornelio: coeptum igitur per eos, qui agi volebant, desi-

---

20. Prisc. I 509, 22: Ico — icit.

21. Prisc. I 490, 8: A deleo — delitor.

22. Prisc. I 513, 7: Nanciscor — tactum.

23. Prisc. I 530, 14: Et sciendum, quod tam *litum,* quam *situm* et *itum* . . . corripiunt paenultimas, quod in aliis supinis, quae a praeteritis in *vi* terminantibus nascuntur, non invenitur, ut *amavi, amatum* . . . . Caper — situs.

tum est per hunc, qui decessit. ecce hic manifestissime ostendit orator a *desinor* esse *desitum*; sic ergo et a *sinor situm*.

24. Sciendum tamen, quod haec omnia inveniuntur perfectorum declinationem habentia in usu veterum teste Capro: *pigeo, taedeo, pudeo, paeniteo, liqueo, liceo, oporteo,* quomodo *placeo, contingo, evenio, vaco, attineo, accido, iuvo, delecto,* quorum tertiae personae impersonalium vice funguntur.

Iam sequuntur, quae ad adverbium pertinent fragmenta.

25. *Alias* pro *aliter.* Terentius in Andria:

quid alias malim, quam hodie istas fieri nuptias?

ubi Fl. Caper de latinitate: non ausim adfirmare pro aliter dici.

26. *Abhinc* Pacuvius in armorum iudicio: seque ad ludos iam inde abhinc exerceant; Plautus in Mustellaria:

qui abhinc sexaginta annis occisus foret.

ubi Caper utroque casu recte dicimus, quamvis ut sordidum inquit et vulgare quidam improbent.

27. *Artificiose* P. Rutilius Rufus de vita sua libro I: Pompeius elaboravit, uti populum Romanum nosset eumque artificiose salutaret. Asellio quoque rerum Romanarum XL: tam pulchrum opus tamque artificiose factum passus

---

24. Prisc. I 560, 26: Similiter impersonalia deficiunt in supinis et participiis, quae ex supinis nascuntur, ut *piget, pudet* .... sciendum tamen — funguntur.

25. Charis. 194, 29: Alias — aliter dici. sed proximum vero est, ut pro aliter dictum esse fateamur, nam neque pronomen est neque adverbium temporis.[1])

26. Charis. 195, 1: Abhinc — improbent.

27. Charis. 195, 16: Artificiose — malitiosus.

---

[1]) Christium secutus sum, qui l. c. p. 167 verba ita transponenda esse mihi quidem persuasit, cum codex praebeat: *alias — aliter dici. nam neque — temporis. sed proximum — fateamur.* Quod autem totam disputationem Capro tribuit, ei non assentior, neque Keilio, qui tantummodo verba *sed proximum — fateamur* ab illo aliena putat, sed nulla alia verba, nisi quae supra scripsi, e Capri libro sumpta esse existimo, ut omnino neget alias pro aliter dici, cui suam sententiam *sed proximum — adverbium temporis* Romanus opponat.

est dirui, ubi Fl. Caper: quamvis artificiosus dici non possit, ut malitiosus.

28. *Elate* Cicero de optimo genere oratorum: ita fit, ut Demosthenes certe possit summisse dicere et elate Lusias fortasse non possit. idem in Bruto: nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quicquam esset elatius, ut etiam Fl. Caper refert.

29. *Novissime* Tiro in Pandecte non recte ait dici adicitque quod sua coeperit aetate id adverbium, ubi Fl. Caper de latinitate miror inquit id dixisse Tironem, cum Valerius Antias libro II 'mater cum novissime aegrotasset' inquit 'vovisse fertur'; idem XXII: 'quod novissime nobiscum foedus fecissent'.

30. *Indulgens, indulgenter.* ecce *adverbium, quod a participio natum est.* negant omnes, solus Donatus audet hoc dicere, sumpsit consilium a Capro.

Unum denique restat fragmentum ad praepositionem spectans.

31. Ait Ennius:

navibus explebant sese terrasque replebant.

quem Caper secutus, cum de praepositione *ex* tractaret, hoc exemplum posuit.

B. E libro de dubiis generibus.

Haec fragmenta secundum terminationes digesta enumerabo, quoniam hic ordo et aptissimus est et a Capro ipso, ut infra demonstrabo, adhibitus videtur esse.

32. *Testu,* ut *genu,* Fl. Caper veteres ait uti solitos. Mummius in Atellania riuinus[?]: ad spectacula est videre in

---

28. Charis. 199, 6: Elate — refert.

29. Charis. 207, 30: Novissime — fecissent.

30. Pompei. 243, 19: Indulgens — Capro.

31. Serv. in Aen. VI 545: Explebo est *minuam* nam ait Ennius — posuit.

32. Charis. 145, 23: Testu, ut genu — solet testu. At Maro testam dixit.

testu quantum sit caput. Afranius: indignum vero dici solet testu.

33. In c sunt duo generis neutri: *lac, lactis,* quod antiquissimi etiam *hoc lacte* protulisse inveniuntur teste Capro, apud quem exempla invenis (Plautus in Menaechmis:

Neque aqua aquae neque lacte est lacti, crede
mihi, unquam similius),

et *allec, allecis.* sic Martialis:

Capparin et putri cepas allece natantes
Et pulpam dubio de petasone voras.

Horatius in II sermonum:

Pervellunt stomachum siser, allec, faecula Coa.

(est autem *allec* genus piscis). inveniuntur tamen quidam veterum etiam *haec allex* feminino genere protulisse, quod Caper ostendit de dubiis generibus Verrium Flaccum posuisse *hanc allecem* dicens.

34. Perfecta enim eorum inveniuntur apud antiquissimos in *tis* desinentia, *hic et haec primatis, optimatis, Arpinatis,* unde neutra quoque eorum in e desinunt *primate, optimate, Arpinate,* et ablativus in i, more eorum, quae in *is* desinentia, cum sint communis generis et faciant in e neutrum, in i terminant ablativum: *a primati, optimati, Arpinati,* et testis eius Caper, qui diversorum de huiuscemodi nominibus ponit usus auctorum confirmans tam in *is* quam in *as* huiuscemodi nomina solere proferri. Cato Censorius in I originum: sed lucus Capenatis. in II: si quis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur. ibidem: lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Baebius Tusculanus dedicavit dictator Latinus. hi populi communiter: Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis,

---

33. Prisc. I 212, 4: In c — allecem dicens.

34. Prisc. I 128, 23: Sunt alia in *as* denominativa, quae plerumque similia sunt accusativo plurali primitivorum suorum et sunt communia, ut *primâs, optimâs, Ravennâs, Capenâs, Arpinâs, Crotoniâs, Pontiâs, Larinâs,* quae ideo in fine habent circumflexum accentum, quia per syncopam proferuntur. Perfecta enim — Ferentinas.

Rutulus. *Ardeatis* dicit pro eo, quod nunc est *Ardeas.* Titinius in psaltria:

Ferentinatis populus res Graecas studet,

pro *Ferentinas.*

35. In *tis* quoque inveniuntur denominativa, sed antique prolata, paenultimam natura vel positione longam habentia, ut *Samnitis* pro *Samnis,* sicut *Laurentis* quoque pro *Laurens, Tiburtis* pro *Tiburs* teste Capro. Sic *Quiritis* pro *Quiris* et *Caeritis* vel *Caeretis* pro *Caeres,* qui tamen nominativi in usu non sunt. Unde Vergilius in X:

Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis.

Invenitur tamen et correptam i habens paenultimam apud eundem Vergilium:

Est ingens gelidus lucus prope Caeritis amnem,

et Horatius similiter in I epistularum:

Quid deceat, quid non obliti, Caerite cera
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixis,

nisi pro *Caerete*, quod est nomen oppidi, e paenultima in i conversa protulerunt. Livius ab urbe condita XLI: Lanuvini Caeritesque anguem iubatum apparuisse nuntiaverunt.

36. Raro tamen invenitur in e terminans huius nominis ablativus, nec aliam esse causam existimo, ut supra dictum est, nisi eam, quod apud antiquos *hic et haec memoris* et *hoc memore* proferebatur. In quo testis est Caper, antiquitatis doctissimus inquisitor; ostendit enim Caecilium in Epiclero sic protulisse:

Itane Antipho inventus profluvia fide?
Itane est immemoris, itane est madida memoria?

nec mirum, cum et *hic celer* et *hic celeris* et *hic concors* et *hic concordis* protulisse inveniuntur vetustissimi multaque alia in eundem modum.

37. *Torques: hic et haec torques* nominativo, ut *hic et*

---

35. Prisc. I 133, 24: In *tis* — nuntiaverunt.

36. Prisc. I 354, 3: Similiter *memor, a memore vel memori, horum et harum memorum.* Horatius in II sermonum:

Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta.

Raro tamen — modum.

37. Charis. 145, 19: Torques — coronat.

haec canes a Lucilio libro I dictum legimus; itaque dixisse veteres Caper his exemplis docet: Laevius Cypriae Iliadis I:

collum marmoreum torques gemmata coronat.

38. *Hoc cepe, hae cepae*: quamvis antiquissimi in a quoque singulare feminino genere hoc recte protulisse inveniuntur. Naevius in Apella:

Ut illum di ferant, qui primum holitor cepam protulit.

Lucilius in saturarum VI:

Lippus edenda acri adsidue ceparius cepa.

Frequentior tamen usus *hoc cepe* protulit. Naevius in Apella:

cui cepe edundo oculus alter profluit.

Novius in Eculeo:

oleas, cepe, ficus.

Varro de actionibus scenicis III: multifariam in patellis coquere cepe. Caper tamen et *cepicius* et *cepicium* veteres dixisse ostendit.

39a. Asinus pro Urbiniae heredibus imaginis *clipeum* masculine dixit: clipeus praetextae imaginis positus, et Livius in significatione scuti neutraliter saepius et Pomponius in Capella, cum ait:

clipeum in medium fixum est.

quare Caper[1]) dubii sermonis II indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per i *clipeum* dicamus, quod est *clipeus ἀπὸ τοῦ κλέπειν,* id est *celare,* dictus, imaginem vero per u a cluendo.

---

38. Prisc. I 203, 3: In e correptam latina sunt neutra, quae e in *is* conversa faciunt genetivum ..... excipitur unum indeclinabile in singulari numero *hoc cepe, huius cepe* ..... quod in plurali numero femininum est primae declinationis *hae cepae, harum ceparum,* quamvis antiquissimi — ostendit.

39a. Charis. 77, 14: Clipeus masculino genere in significatione scuti ponitur, ut Labienus ait, neutro autem genere imaginem significat. Sed Asinius — cluendo.

---

[1]) Capri nomen in codice omissum sed satis probabiliter coniectura restitutum esse dixi supra p. 5.

39b. Lectum est etiam *hoc clipeum,* ut probat Caper.

40. Caper et Hyginus hoc loco dicunt lectionem esse corruptam: nam Vergilium ita reliquisse confirmant velati limo. limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes prope teguntur pudenda poparum; haec autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est flexuosam, unde et nomen accepit: nam *limum* obliquum dicimus, unde et Terentius limis oculis dicit, id est obliquis.

41. Femininum *haec pecus, pecudis* declinatur, teste Capro neutrum *hoc pecus, pecoris.*

42. *Penus* quoque et masculini et feminini et neutri invenitur teste Donato et Capro. Plautus in Pseudulo:

Nisi mihi annuus penus ab amatoribus congeratur.

Lucilius:

Magna penus parvo spatio consumpta peribit.

Horatius in I epistularum:

Annonae prosit, portet frumenta penusque.

cuius neutri genetivus est *penoris,* ut *pecus pecoris.* Caesar Strabo contra Sulpicium tribunum plebis: propinquos nostros Messalas domo deflagrata penore volebamus privare. *hoc penum* etiam Afranius protulit: in penum erile.

43. Caper in libris dubii generis probat dici et *hic obex* et *haec obex.*

39b. Serv. in Aen. IX 706: (Et clipeum super intonat ingens.) Lectum — Caper.

40. Serv. in Aen. XII 120: (Velati li*n*o et verbena tempora vincti.) Caper tamen et Hyginus — obliquis.

41. Prisc. I 163, 19: In *us* correptam tertiae declinationis nomina neutra sunt, ut *munus, opus.* excipitur *hic lepus, haec Venus . . . . . et pecus,* quod femininum — *pecoris.*

42. Prisc. I 260, 17: Penus quoque — erile.

43. Serv. in Aen. X 377: (Magna claudit nos obice pontus.) et modo usus habet, ut *hic obex* dicamus, unde quidam *magno obice* legunt. antiqui etiam *haec obex* dicebant, secundum quod est *magna obice.* hinc est quod nonnulli vitant generis dubietatem et legunt *magni,* scilicet *maris.* Caper tamen — haec obex, quod, ut diximus, hodie de usu recessit.

44. Vetustissimi tamen etiam *hic et haec et hoc ops* et *cops* pro *opulentus* et *copiosus* proferebant. Accius de Hercule dicens:

quorum genitor fertur esse ops gentibus.

pro *opem ferens et auxilium gentibus.* Sic Caper.

C. **Fragmenta sedis incertae.**

45. Flavius Caper in artibus suis trimetros versus iambicos Terentii senarios appellat.

46. Mensuram esse in fabulis Terentii et Plauti et ceterorum comicorum et tragicorum dicunt hi: Cicero, Scaurus .... Caper .... Iuba.

---

44. Prisc. I 321, 21: In *ops* latinum femininum unum *haec Ops, huius Opis.* eius quoque nominativus in usu frequenti non est, sed illius, quod ex eo componitur, commune omnis *hic et haec et hoc inops, huius inopis.* vetustissimi — Caper.

45. Rufin. gr. l. VI 556, 20: Flavius — appellat.

46. Id. 565, 1: Mensuram — Iuba.

II. Adnotationes ad fragmenta.

Ad 1: Hoc fragmentum certissimum testimonium est, quam constanter Caper analogiae leges secutus sit. Nam cum de ablativo *femine* quaerens eius nominativum non invenisset, secundum analogiae leges ad similitudinem *semen, seminis, a semine* aliarumque vocum *femen* nominativum formavit eumque, etsi non inveniatur, necessario tamen fuisse contendit.

Ad 2: Leguntur apud Rufinum in apologia ad Anastasium episcopum haec (Migne patrol. XXI 626): audio et de anima quaestiones esse commotas; de qua re utrum recipi debeat querimonia aut abici, vos probate. si autem et de me quid sentiam quaeritur, fateor me de hac quaestione apud quamplurimos Tractatorum diversa legisse. legi quosdam dicentes.......... ego vero cum haec singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad praesens certi et definiti aliquid de hac quaestione non teneo, sed deo relinquo scire, quid sit in vero. Quid illud de anima quaestiones sunt commotae; de qua re utrum recipi de-

beat querimonia .... sibi velit, cum non plane intellegatur, suo iure Hieronymus Rufinum vituperat: videtur enim re vera Rufinus notiones *quaestio* et *querimonia* confudisse. Id vero ex Hieronymi testimonio elucet apud Caprum aliquid de his vocibus scriptum fuisse, neque a vero aberrare videtur Osannus, qui ita de hoc loco iudicat: 'notaverat, credo, Caper vocabulum insuetum *questio* iuxta vulgares formas *querimonia* et *questus*'.

Ad 3: Ex hoc loco clarissime elucet Caprum Probi copiis usum esse; ceterum, quid a Probo reliqui dissenserint, nunc non legitur, sed, ut Keilius adnotat, vel a grammatico vel a librario omissum est. Plinii tamen doctrina servata est a Romano apud Charis. 127, 17: Ateius philologus ... *an amaverit Didun Aeneas,* ut refert Plinius, consuetudinem dicens facere 'hanc Callisto, hanc Calypso, hanc Io, hanc Allecto'.

Ad 4: Kirchnerus haec Capri verba ita interpretatur: 'videtur distinxisse inter *hebes*, *hebetis* adiectivum et *hebes, hebis* substantivum', id quod mihi quoque verisimile videtur.

Ad 5: Hos Catulli versus XXXVII 18 et 19 Priscianus etiam p. 305, 11 affert, utroque loco ita, ut pro Catulli codicum lectione *cuniculosae* praebeat *celtiberosae,* quod falsum esse apparet, cum metrum alteram syllabam longam exigat, *celtĭberosus* autem adiectivi syllaba altera brevis sit. Ne sensum quidem praebet lectio Prisciani. Nam quid sibi vult illud *Celtiberosa Celtiberia*? Bis memoria lapsum esse Priscianum cum minime credibile sit, facere non possumus, quin utroque loco ex eodem fonte, i. e. Capro, eum hausisse dicamus. Unde non sequitur, ut ipsi Capro hic error tribuendus sit — nam grammaticum celeberrimum tam foede errasse, ut metrum violaret, verisimile non est — sed id tantummodo, ut in eo Capri codice, qui Prisciano praesto erat, ita scriptum exstiterit, nimirum librarii errore, nisi forte res ita se habet, ut Priscianus priore loco Capri librum properante oculo perlegens vitium illud commiserit, altero suum ipsius librum inspiciens temere et inconsiderate idem repetiverit. Plura de hac quaestione vide apud Baehrensium in commentario ad Catulli carmina p. 217.

Ad 6: En iterum analogiae studium. Nam cum vocis *fames* ablativus esset *famē,* hunc tertiae declinationis esse non posse Caper sibi persuasit et, num apud antiquos quintae declinationis *fames, famei* vestigia inveniret, indagavit, id quod ei contigit.

Ad 7: Manifestum est Pompeium etiam Naevii, Attii, Pacuvii memoriam Capro debere, qui de declinatione nominum *Iuppiter* et *Iovis* disserens antiquam illam et de usu remotam formam exemplis e poetis illis petitis videtur confirmavisse.

Post has adnotationes, quae ad fragmenta de nomine substantivo pertinent, aptum est loci Charis. 123, 18 sqq. mentionem facere, ubi olim Capri de declinatione vocis *bos* doctrina videtur exstitisse, nunc vero evanuit. Ne id quidem certo scimus, num omnino Capri fuerit haec doctrina: nam nomen quoque auctoris dubium est et totus locus ita corruptus, ut certa coniectura emendari vix possit. Keilius Charisii verba ita restituere conatus est[1]: *bos bovis,* non ut *gloris, roris, floris,* quod o ante u consonantem unius temporis habet * * * ut Caper, non magis placet, licet apud Graecos phthongos plures habeat haec littera u vocalis. *bovis* vero, tametsi brevem tantum vocalem gerat * * *, ut et Capri sententia exciderit et in fine de diversa in reliquis casibus quantitate dictum fuerit. Quae coniectura utrum vera sit necne diiudicari non posse apparet; attamen locum silentio praeterire nolui.

Ad 8: Simili ratione, atque in fragmentis 1 et 6 vidimus, in hac quoque quaestione usus est Caper. Nam cum animadverteret formas usitatissimas *veterior et veterrimus,* has non a positivo *vetus* derivari intellexit, sed a *veter,* cuius positivi exempla apud antiquos investigavit. Ceterum notatu dignum est, in Plautino versu qui affertur Bacch. 1150 Plauti codices non *veteriorem* praebere, sed *ulteriorem*: senem illum tibi dedo ulteriorem. Quae lectionis diversitas unde orta sit, nescimus, sed satis antiqua est, cum iam Caper eam noverit.

Ad 9: Constat superlativum *piissimus* apud aurei quod dicitur aevi scriptores non inveniri, apud inferiores autem haud ita rarum esse. Quod vero Caper recte dicit Ciceronem ipsum hac forma usum esse etsi non in orationibus, ut in solemni genere dicendi, at tamen in epistulis, testimonium est eam tum temporis sermoni vulgari propriam fuisse.

---

[1]) cod.: bos, bovis — floris, quod haec r consonantem unius temporis habet, ut cap̄ non magis placet — littera, ut vocalis — gerat.

Ad 10: Analogiae studio ductus Caper *nuperrimus et nuperrime* potius ab adverbio *nuper* quam ab adiectivo *nuperus* derivari censuit. A *nuper* enim secundum analogiam formatus est superlativus *nuperrimus,* cum *nuperus* postularet *nuperissimus.*

Ad 11 et 12: Dubitari poterat, utrum haec fragmenta ad nomen an ad praepositionem pertinerent; sed cum non tam de ipsa praepositione quam de comparatione adiectivorum inde derivatorum agatur, hoc loco posui. Neque in eo offendendum est, quod horum fragmentorum duo (11 et 12a) apud Priscianum in libro XIII de praepositione exstant, nam hi duo loci aperte congruunt cum Prisciano I 95, 18 sqq. (fragm. 10) et I 85, 1 sqq. (fragm. 12b). Quo accedit, quod in illo libro de praepositione praeter hos locos nihil certis argumentis ad Caprum referri potest, ut dubium sit, num omnino Priscianus Caprum de praepositione adhibuerit: nam illas duas commemorationes certe ex tertio libro repetere potuit (cf. p. 7 adnot.).

Ad 13: Apparet haec exempla maioris exemplorum numeri per litterarum ordinem digesti fuisse initium.

Ad 14: Eundem litterarum ordinem etsi valde turbatum cognoscimus. Quae turbatio unde orta sit nescimus: Neumannus l. c. p. 50 partim Prisciano eam dandam esse iudicavit, qui exempla verborum interdum ultro citroque oculis perlustraverit, partim Capro, qui nonnumquam exemplo alicui similia subiunxerit. Tertiam partem librario tribuerim, qui in tali enumeratione facillime singula exempla aut totos versus omittere vel in alium locum transponere potuit.

Ad 16: Fragmenta 16—20 ad perfecti praeteriti formam pertinent, e quibus iterum id egisse Caprum cognoscimus, ut veterum scriptorum usum observaret et, quibus in rebus a novis recederent, doceret. In primo fragmento Priscianus variorum grammaticorum regulas de perfecto verbi *sapio* profert, in quibus etiam Probus est. Huius autem memoria ubi apud Priscianum exstat, aut ex catholicis vel institutis artium, quae feruntur, hausta aut per alios grammaticos et maxime Caprum ad eum perlata est; hoc quoque loco, quod de Probo retulit, Capro tribuendum est, nam in libris, qui Probi nomine supersunt, de perfecto *sapui* nihil exstat. Mirum autem videtur, quod inter Probi et Capri testimonia ex uno fonte sumpta alia compluria inseruntur aliunde

hausta. Diligentius autem considerantes non hanc solam iusti ordinis perturbationem factam esse videmus, sed etiam versus Terentianus Heaut. 843 sine dubio falso loco positus est. Nam post Novii exemplum, quod Nonius 508, 17 posuit *sapivi*: pro *sapui*. Novius Virgine pregnate 'quanto ego
Plus sapivi, quin fullonem compressi quinquatribus', apparet non potuisse dissimile Terentii exemplum: *resipisse* pro *resipivisse*. Terentius: cum 'intellego Resipisse', poni. Itaque Terentii versus videtur potius e Capro sumptus esse, qui utrumque in usu esse contendit, ut post versum Plautinum eum apud Caprum scriptum fuisse censeam. Videtur autem Priscianus singulorum grammaticorum regulas antea collectas in librum suum inseruisse neque rationem habuisse, unde sumptae essent vel quae doctrina inesset.

Ad 18: Lucilii versum (XIV, 17 M.), qui exempli causa affertur:

Num vetus ille Cato lacessisse appellari quod
Conscius non erat ipse sibi?

corruptum esse iam e metro elucet. Quae a Lachmanno et Müllero propositae sunt coniecturae, incertissimae sunt: Hertzius de certa emendatione desperavit. Ad nos hoc nihil refert, cum a Capro versum tam corruptum citatum non esse appareat.

Ad 22: Neumanno adsentior, qui l. c. p. 39 adnot. 1 Hauptium opusc. II 70 secutus Pollionem grammaticum a C. Asinio non segregandum esse dicit.

Ad 25: Cf. Caper 97, 16: alias temporis est adverbium, quod Graeci ἄλλοτε dicunt, aliter ἄλλως. Ad locum Terentianum Andr. 529, in quo explicando cum aliis veteribus grammaticis Caper frustra desudavit, adnotat Spengelius *alias* esse accusativum pronominis, non adverbium, et ita verba esse intellegenda 'quid alias nuptias quam has hodie fieri malim?', id est: 'non alias quaeram nuptias, sed has hodie parabo'; aliae vero nuptiae sunt nuptiae alius virginis. Sed ne haec quidem interpretatio mihi placet: proximum est, id quod Romanus quoque quamvis dubitanter Capri sententiae opponit, *alias* pro *aliter* (= praeterea) dictum accipere.

Ad 26: Disputat Caper de promiscuo usu particulae *abhinc*, plerumque cum accusativo, interdum cum ablativo coniunctae (cf. Kühner, Lat. Gramm. II 215 adnot. 11).

Ad 29: Hic locus vel propterea memoria dignus est, quod inde cognoscimus Caprum Tironis libris grammaticis usum esse. E reliquis grammaticis modo Gellius eius libros inspexit, qui saepius Tironem appellans etiam de studiis eius nonnulla tradit, velut XIII 9, 1: Is (Tiro) libros complures de usu atque ratione linguae latinae, item de variis atque promiscis quaestionibus composuit. In his esse praecipui videntur, quos graeco titulo πανδέκτας inscripsit, tamquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes.

Ad 30: Errat Pompeius, cum dicit solum Donatum putare adverbium a participio nasci posse, nam etiam Diomedes 403, 31 idem docet.

Ad 31: Ex iis, quae Servius ad Vergilii versum Aen. VI 545 adnotat, Capro nihil debet praeter versum Ennianum, quem Caper, cum de praepositione *ex* disputaret, attulerat; certe quae addit ad illustrandum locum, non ex illius libris hausit, sed ipse excogitavit. Caper vero versum Ennii notaverat propter inusitatam verbi *explere* significationem, quod hic non *plenum facere* est, sed *efferre,* addito pronomine reflexivo *se explere* = *se efferre, egredi.* Num etiam Vergilii versum commemoraverit, nescimus, sed cum aliter non intellegatur, qua re Servius adductus sit, ut Ennii versum e Capro sumptum cum Vergilio componeret, verisimile hoc est. Notatu dignum est apud Nonium 298, 12 similia inveniri: explere, minuere. Vergilius VI: Discedam, explebo numerum reddarque tenebris.

Ad 32: Hoc fragmentum poterat libro de latinitate tribui, quoniam potius de dubia terminatione quam de genere nominis agitur. Sed et genus cum terminatione mutatur et fragmentum, quod a Romano continuo subicitur de genere nominis *torques,* aperte e libro de dubiis generibus sumptum est.

Ad 33: Ad vocem *lac* cf. Cap. 95, 13 *lact*: licet quidam negent illud nomen muta posse finiri et ideo dicant *lacte* esse dicendum, non *lac* aut *lact.*

Ad 34 et 35: Haec fragmenta, quae ad eandem quaestionem pertinent, in Capri libro coniuncta fuisse apparet ex iis, quae a Prisciano I 337 de eadem re scripta sunt, quae quoniam eandem doctrinam eademque exempla praebent, ipsa quoque e Capri copiis haud dubie petita sunt. Ibi enim coniuncta sunt,

quae hic Priscianus distraxit. Egit igitur Caper de denominativis, maxime gentilibus, in *s* et *tis* desinentibus et exempla attulit, quibus pleniores nominativos postea non iam usitatos ab antiquis praelatos esse confirmaret. Testimonium autem eius (129, 7) non modo ad nominativum masculini generis adhibetur, sed etiam ad neutrum in *te* et ablativum in *ti* desinentia; nam haec omnia arte cohaerent et praeterea altero illo loco (337) eadem doctrina eodem ordine repetitur, neque in utraque disputatione eodem plane loco in Capri doctrinam regulam aliunde haustam insertam esse credibile est.

Ad 37: Plura exempla a Capro posita fuisse, e quibus unus Laevii versus relictus est, ipse Romanus indicat, qui quamquam unum tantummodo exemplum affert, his inquit exemplis Caper docet. Neque constat, utrum ipsius Charisii neglegentiae an errori librarii tribuendum sit, quod reliqua omissa sunt. Ceterum Lucilii versus, qui commemoratur, exstat apud eundem Romanum apud Charis. 125, 19: canes Lucilius I: inritata canes quam homo quam planius dicit. Quamquam autem ibi de terminatione *es* pro *is* tantum agitur, tamen haec quoque a Boeltio l. c. p. 423 recte Capro tributa esse censeo, nam disputatio de genere facile omitti potuit.

Ad 38: Kirchnerus omnia, quae apud Priscianum 203, 3 sqq. de neutris in e correptam desinentibus dicuntur, Capro tribuit. Quae vero ad confirmandam hanc opinionem profert: 'etenim Caper hoc loco nominis primitivi atque nominis diminutivi genera inter se diversa esse animadvertit, cum alias grammatici ex diminutivorum genere primitivorum genus cognoscere studeant', haec haud dubie tantum ad vocem *cepe* pertinent, cum in antecedentibus de tali distinctione nihil legatur. Quapropter haec sola ad Caprum refero, haec vero eo certius, quoniam ad usum antiquissimorum relegatur et exempla vetustissimorum afferuntur.

Ad 39: De hoc fragmento iam supra p. 5 disputatum est.

Ad 40: Quid de voce *limus* Caper docuerit vel quid ex iis, quae Servius retulit, ei tribuendum sit, non constat. Sed illud apparet eum de hac voce disputantem in versu Vergilii emendationem Hygini *limo* pro *lino* scribentis probavisse. Kirchnerus adnotat: 'Hunc Servii locum libris dubii generis quamvis dubi-

tanter adiecerim, nam Caper, si quid video, cum de *limus* vocis, qua sordes significabatur, quamque teste Prisciano I 169, 13 veteres auctores communi genere enuntiaverunt, et *limus* nominis, vestis pontificalis, et *limus* adiectivi discriminibus generibusque diceret, facillime Vergiliana auctoritate usus lectionum variarum mentionem facere potuit.'

Ad 42: Hunc Plauti versum Pseud. 178 Priscianus etiam p. 170, 15 citat, ubi post vocem *penus* adverbium *hic* insertum est. Apud Servium in Aen. I 703 idem versus sic legitur, nisi mihi annuus penus datur, apud Cledonium gr. l. V 40, 9 sic, nam nisi mihi penus annuus hodie convenit. In codicibus Plauti versus corruptus est, ut, quae vera lectio sit, cognosci non possit; antiquam esse corruptelam iam ex illa testimoniorum varietate apparet. Goetzius in editione sua ex vestigiis codicis Ambrosiani scripsit nam nisi mihi penus annuos hodie convenit.

Ad 44: Osannus ad hunc locum adnotat: 'haec ex dubiis generibus citari ex eo colligitur, quod, ubi Priscianus generis masculini vocis *Ops* breviter mentionem facit eo quinti libri loco, quo generum diversorum rationem habet (p. 168, 11), ea omnia p. 171, 14 vel ex Capro vel ex Probo desumpta dicuntur'. Cui Kirchnerus opponit hic non tam de *ops* vocis generibus, quam de *ops* nomine substantivo et *ops* nomine adiectivo sermonem esse; Priscianum autem *hic, haec*, *hoc* vocibus in articuli modum praefixis grammaticorum more nihil aliud significare nisi tractari nomen aliquod adiectivum communis generis. Quamquam autem Osanni argumentationi non multum tribuo, quoniam neque de masculino genere vocis *ops* quidquam apud Priscianum l. c. scriptum est, neque constat, quid in illa disputatione iis, quae a Capro petita erant, additum sit, tamen non dubito, quin libro de dubiis generibus potius quam libro de latinitate haec tribuenda sint. Nam in hoc, quantum quidem scimus, non videtur dixisse nisi de iis, quorum variae formae apud scriptores in usu fuerunt; in libro de dubiis generibus autem de nomine *ops* disputans adnotare poterat illud per se positum generis feminini, idem cum aliis nominibus adiectivi loco coniunctum generis omnis esse.

Post has adnotationes de loco Prisc. I 171, 14 dici debebat, ubi Priscianus se e Capro hausisse dicit: supra dictorum

tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis. Sed de hac Capri et Probi commemoratione, quoniam longiore disputatione opus est, ut intellegatur, utrum ad totum Prisciani librum de generibus an ad extremam partem tantummodo pertineat, infra dicetur, ubi de Prisciani libri V fontibus agitur.

§ 4.

De Capri commemorationibus, quae apud grammaticos infimae aetatis exstant.

Quae apud grammaticos infimae aetatis e Capro sumpta dicuntur, ea omnia e duobus illis libellis de orthographia et de verbis dubiis, qui nomen Capri prae se ferunt, hausta sunt: nam genuini eius libri iamdudum perierant. Sed ut res absoluta sit, ea, quae quidem in editis illorum grammaticorum tractatibus exstant, hic afferam.

1. Anon. Monac. gr. l. V 327, 4: Quaerendum est, quomodo Donatus dicat barbarismum esse, si quis dicat *salmentum* pro *salsamentum*, cum Caper, antiquissimus doctor, dicat salmenta ne timeas proferre, quia latinum est.

Haec Capri verba leguntur in tractatu de orthographia 101, 8.

2. Anon. Bern. Hg. CLXXVI, 4: Caper vult dicere *coniux* et Beda similiter.

Hoc quidem neque apud Caprum neque apud Bedam exstat. Fortasse grammaticus ille Caprum et Cassiodorium confudit, quod facillime fieri potuit, cum in codicibus hi libri de orthographia plerumque coniuncti sint. Cassiodorius enim gr. l. VII 155, 17, ubi Velium Longum sequitur, haec habet: *coniux* sine n putat Nisus artigraphus esse scribendum. Hagenus illa Anonymi verba ad Capr. 93, 6 refert, ubi post verba thesaurus sine n scribendum, et cetera similia aliquid de nomine *coniux* dictum excidisse existimat. Quod vero ad Bedae auctoritatem relegatur, nescio an hoc ad Albini librum, olim Bedae adscriptum, pertineat, nam ibi (gr. l. VII 299, 24) leguntur haec: *coniunx* secundum analogiam per n scribendum est, sed euphoniae causa n tollitur et dicimus *coniux*.

3. Ars anon. Bern. Hg. 111, 25: Appellativa autem in *al*

desinentia neutralia sunt. Excipitur unum nomen, quod masculinum est et in *al* productam terminatur, ut *hic sal, huius salis, huic sali, hunc salem, o sal, ab hoc sale.* Inde Caper dicit: Ille sale aspersus Musarum. Non erit hoc sal et hae sales, sed ἑνικῶς, idest in singulari, erit, quod edimus. Item hi sales pluraliter urbanitatis alicuius, ut: sales intus ei adhaerescunt.

Cf. Cap. 102, 1: Ille sal aspersus musarum est: non erit hoc sal haeve sales, sed hic sal ἑνικῶς erit, quod edimus, hi sales pluraliter urbanitatis alicuius.

4. Anon. Bern. cod. 83 Hg. 179, 14: Ab *adolesco* verbo venit participium *adolescens,* ob cuius differentiam docet Caper antiquissimus et doctissimus in orthographia sua, quod per i profertur nomen *adoliscens,* unde derivatur *adoliscentia,* diminuitur *adoliscentulus,* propagatur *adoliscentior.*

5. Ibid. v. 23: *Adulescens,* ut Caper in orthografia sua testatur, nullomodo est dicendum: venit enim, ut idem evidenter pandit, ab *adoleo,* id est *cresco,* verbo participium *adolescens* et nomen *adoliscens,* et utrumque per o videlicet, quod ab olendo, id est crescendo, dictum sit; propter differentiam tamen nomen ipsum per i dici debere dicit.

De his locis ad Cap. 100, 22 referendis iam supra p. 6 dictum est.

6. Schol. Bern. ad Verg. Georg. III 311: *Barbas:* nunc de quadrupedibus, nam *barbam* hominum, *barbas* pecudum dicimus; ita dicit Caper.

Cf. Cap. 99, 24: *Barbam* hominum, *barbas* pecudum dicimus, ubi etiam nunc metricam formam cognoscimus, in quam ille tractatus de orthographia vel ab auctore vel ab aliquo posteriore redactus erat, ut multa metri vestigia indicant.

His e Pseudo-Capro, ut ita dicam, petitis subiungam duos locos, ubi ad Capri auctoritatem relegatur, sed ita, ut aut error aut fraus grammaticorum, qui eum citant, statuendus sit, quoniam in illis libellis Capro adscriptis talia non leguntur, genuinum vero Caprum ut illi duo grammatici haberent, fieri non potuit.

1. Cynthius Cenetensis ad Verg. Aen. I 230: *Memini,* ut inquit Caper, iungitur praeterito imperfecto infinitivi, ut memini me condere soles. Tamen poetae usurpant in prae-

terito plusquamperfecto. Vergilius: memini Corytium me vidisse senem.

Recte iudicavit Osannus Capri mentionem fictam esse: nam in duobus illis tractatibus frustra haec quaeruntur neque ampliorem Capri cognitionem quam nos Cynthins, qui saec. XV scripsit, habuit. Petivit autem haec ex Agroecio, qui gr. l. VII 117, 14 hanc doctrinam profert: *memini me facere* dicere debemus, non *memini me fecisse* ..... Vergilius:

cantando memini me condere soles.

..... nisi uno loco:

namque sub Oebaliae memini me turribus altis
Corycium vidisse senem,

quod poetae pro necessitate metri licuit usurpare. — Habes igitur eadem exempla atque apud Cynthium; etiam verbum *usurpare* utroque loco invenitur, ut Cynthius Caprum cum Agroecio confudisse videatur.

2. Dausqueius orthogr. tom. I 162: Scaurus lib. X de orthographia: Et raro Capri testimonio s apud Etruscos exprimitur et ex latinis elocutionibus nonnumquam evanescit. Ennius:

Interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursum.

De hoc loco disputatum est supra p. 2.

Caput II.

De Capro Prisciani fonte.

Quoniam, quae nomine Capri apposito doctrinae eius reliquiae exstant, collegimus atque illustravimus, iam ad alteram propositi partem transeundum est, ut enucleemus, quid omisso auctoris nomine Priscianus ex eius libris petiverit. Qua vero causa commotus e magno numero grammaticorum Capri fontibus hortulos suos irrigantium hunc tractandum elegerim, supra dixi: nemo enim reliquorum tantum Capro debet quantum Priscianus, quem per totos fere libros eius doctrinam secutum esse deinceps videbimus.

Eorum enim, quos habemus, grammaticorum artes non in propriis studiis positae sunt, sed placuit illis scrinia veterum com-

pilare. Quae antiquiores grammatici antea statuerant, ea colligunt, multa saepe omittunt, perpauca addunt, suae aetatis more praecepta veterum grammatica ad usum scholarum accommodantes. Nec tamen omnes ad genuinos illos fontes redeunt, sed doctrina veterum grammaticorum libris a quibusdam deprompta per manus traditur, alius ab alio eam petit. Inter omnes vero Priscianus uberrimam regularum copiam et maximam exemplorum silvam ex antiquis grammaticis collegit. Quae cum ita se habeant, difficilis est quaestio nec semper diiudicari potest, quem auctorem singulis locis grammatici illi inferiores secuti sint. Quapropter cavendum est in eiusmodi quaestionibus, ne nimium scire cupiamus. Nam dum ad eum grammaticum, de quo quaerimus, quam plurima referre studemus, facile eo ducimur, ut argumentis non satis validis nixi multa ei vindicemus, quae alius esse testimoniis haud infirmioribus comprobari potest.[1]) Velut, ut exemplo utar, Charisii caput I. 15 Christius Capro tribuit, Marschallius Palaemoni; Romano magnam partem deberi alii contendunt, negant alii.

Quae cum ita sint, propositum est mihi, ut, quae adhuc de Capro Prisciani fonte scripta sunt, recenseam et componam, quae certis argumentis ei vindicari possunt. Saepe eo contenti esse debemus, ut adhibitum eum esse statuamus, quatenus vero exscriptus sit et quid ei debeatur, scire nos posse negemus. Iam si quaerimus, unde omnino cognoscamus, quid ad Caprum referendum sit, proficiscendum est ab eis, quae nomine apposito servata supra enumeravimus. Inde enim intellegimus Caprum id inprimis egisse, ut quid leges latini sermonis et praecepta artis postularent, quid usus loquendi sibi sumpsisset, doceret et diligenti lectione usum veterum scriptorum observaret et quibus in rebus ab illis novi recederent, indicaret. Propterea antiquitatis doctissimum perscrutatorem Priscianus eum appellat. Ubi ergo antiquae doctrinae et exemplorum ex vetustissimis auctoribus petitorum copiae apud Priscianum — atque id pertinet etiam ad alios grammaticos — exstant vel analogiae magnum pondus tribuitur, de Capro cogitari potest, eodem autem iure de Plinio vel Probo, qui similem

---

[1]) Maxime in hoc genere nuper erravit Marschallius, qui in dissertatione de Remmii Palaemonis libris grammaticis conscripta (Lips. 1887) Charisii primos tres libros totos fere Palaemoni vindicat.

materiam simili modo atque ille tractaverant. Quorum scrinia cum Caper compilaverit, saepe nescimus, utrum ad ipsum Plinium vel Probum an ad Caprum doctrina prolata referenda sit an ad recentiorem aliquem, qui Capri copiis usus sit fortasse etiam illis adhibitis. Quo accedit alia difficultas: parum enim exploratum est, quibus fontibus et qua ratione in eis exscribendis Priscianus usus sit, quod si notum esset, multo facilius procederet quaestio nostra. De Prisciano vero agentes reliquos grammaticos, qui e Capri copiis hauserunt, non neglegemus, sed comparationem instituentes non modo quid Priscianus, verum etiam quid illi communi fonti debeant cognoscemus. Quam comparationem optime ita faciemus, ut de singulis Prisciani libris disserentes eos, qui eandem quaestionem tractantes ipsi quoque Caprum secuti sunt, inspiciamus.

Post Neumannum, cuius dissertationi iam saepius commemoratae quatenus assentiar, infra de singulis locis ab illo tractatis disputans dicam, nuperrime de hac quaestione scripsit Karbaumius *De origine exemplorum, quae ex Ciceronis scriptis a Charisio, Diomede, Arusiano Messio, Prisciano Caesariensi, aliis grammaticis latinis allata sunt* [Wernigerodae 1889]. Quid is sibi proposuerit, iam e titulo elucet: de reliquis grammaticis quid enucleaverit, nil refert ad nos, apud Priscianum vero primarium exemplorum e Cicerone citatorum fontem Caprum esse contendit his verbis: 'Perpauca exempla expressis verbis ad Caprum referri possunt, sed contendo multa Tulliana cum apud omnes fere grammaticos tum apud Priscianum fluxisse ex Capri thesauris. Nam ut Priscianus — atque id pertinet etiam ad alios grammaticos — ex Capro non solum eas res grammaticas mutuatus est, quibus auctoris Capri nomen appositum est, sed etiam alia multa, quae prope eum locum exstant, ubi Caper laudatur, sic ad Caprum etiam ea exempla probabiliter redeunt, quae antecedunt et sequuntur eum locum, quo Capri auctoritatis mentio fit; id quod aliis grammaticis vel aliis eiusdem grammatici locis collatis clarissime patet, ut hunc in modum nonnulla exempla Tulliana ad Caprum referenda esse aut certum aut probabile sit. (sequuntur exempla). Similiter ad Capri doctrinam referre nobis licet exempla comparantibus inter se locos, qui repetuntur a Prisciano et in iisdem libris et in aliis; saepius

enim altero loco appellat auctorem genuinum, quem altero silentio praeteriit. (p. 6) .... Nec minus referri possunt ad genuinos fontes exempla a Prisciano laudata, aliorum grammaticorum libris valde auxilio vocatis.' Hanc viam rectam esse, qua ad grammaticorum fontes perveniamus, ego quoque mihi persuasi. Quapropter in universum Karbaumio assentior, etsi non omnibus locis, quod invenisse sibi videtur, plane certum est, quod quidem ipse intellexit: conferas quaeso, quae de hac re dicit p. 11. 'Nam quoniam recentiores grammatici res grammaticas plerumque vel semper non ex ipsis genuinis fontibus deprompserunt, sed alii per alios grammaticos, luce clarius est doctrinam illam antiquam per manus traditam magnopere commutatam esse; alii nonnulla decurtabant et delebant, alii etiam aliis grammaticis atque recentioribus usi vetustiorem doctrinam additamentis augebant et miscebant. Quam ob rem non equidem contendo certissimum et exploratum esse, exempla apud recentiores ac praecipue apud Priscianum eis locis inventa, ubi manifestum est unum vel compluria exempla veteribus grammaticis desumpta esse, omnia ad illum fontem antiquum referenda esse, sed hoc unum contendo, id quodammodo esse probabile et verisimile. Ac ne quis contra dicat tum nostram disputationem otiosam et inutilem videri, quippe quae vanis contineatur coniecturis: hoc eum reputare velim, nobis contingere, ut nonnulla exempla ad suam originem certissimis argumentis usi revocare possimus, unde etiam ceteris aliquid probabilitatis accedere nemo negabit.'

De Prisciani libris I—IV.

Primum et alterum librum hic plane omittere possumus, cum neque vestigium ullum Capri ibi inveniatur et ipsae res, de quibus Priscianus in his libris disputat, a Capri rationibus alienae sint. Ibi enim disserit de voce, syllaba etc., Caprum autem sua studia in tractando usu loquendi, maxime vetustissimorum, collocasse vidimus.

Aliter vero res se habet in tertio libro, saltem in priore eius parte *de comparativo ac superlativo*. In hac enim ter nominatur Caper (p. 85, 6. 96, 2. 97, 7; fragm. 12 b, 10, 8 a). Et primo quidem loco auctoritas eius non modo ad *citer* videtur pertinere, sed etiam ad ea, quae sequuntur, exempla positivi *exter*.

Nam de omnibus his comparativis *citerior, exterior etc.* eum egisse etiam fragmenta 11 et 12a demonstrant. Qua de causa haud scio an etiam ea, quae de superlativis *extimus*, *citimus* (cf. fragm. 12b), *ultimus etc.* proferuntur p. 98, 4 sqq. et 100, 15 sqq., Capro debeantur, praesertim cum exempla omnia ex auctoribus satis antiquis petita sint, Varrone, Caelio, Sallustio, Plauto. Quod p. 98, 8 Arruntius Celsus in testimonium vocatur, ad solam formam *citer* spectat; sed cum inde cognoscamus etiam illum de his formis quaesivisse, in dubio relinquitur, quid Arruntio, quid Capro vindicandum sit. Inter quos duos quae ratio intercedat, num alter alterum exscripserit, nescimus ac ne illud quidem constat, uter recentior sit: videtur tamen Arruntius paulo ante Caprum scripsisse. — Quae p. 95, 11 de *maturrimus* et *maturissimus* superlativis dicuntur, cognationem quandam cum titulo *veterrimus* prae se ferunt itemque cum subsequente titulo *nuperrimus*. Cum vero hos e Capro sumptos esse ostendat nomen appositum, etiam illum titulum inde derivatum esse verisimillimum est, praesertim cum in eo quoque analogiae ratio habita sit. Etiam Karbaumius l. c. p. 5 testimonia horum superlativorum e Cicerone citata ad Caprum refert.

Praeter hos locos cum aliqua veritatis specie seriem illam exemplorum ex veteribus auctoribus sumptorum (Cato appellatur quinquies, Pacuvius, Gracchus, alii) p. 86, 25 et 87, 15 sqq. Capro vindicare possumus, qua demonstrat Priscianus comparativos illos *industriior, egregiior etc.* et superlativos *egregiissimus, strenuissimus etc.,* quibus quamvis secundum analogiam formatis postea propter cacophoniam non iam utebantur, apud vetustissimos saepius inveniri. Similem in modum p. 91, 25 sqq. de comparativis et superlativis *magnificior, beneficissimus etc.* disputat, exemplis e Catone (ex eadem oratione atque p. 88, 6), Terentio, Accio additis.

His paucis locis exceptis de toto capite nihil enucleare possumus; verisimile quidem est etiam aliis locis, ubi antiqua exempla exhibentur, Caprum Prisciani fontem esse, sed cum pro certo nihil affirmari possit, haec omitto. Idem valet de altera tertii libri parte, quae est *de diminutivo.* In hac enim etsi multa insunt, quae doctrinam satis antiquam redoleant, tamen unum tantummodo vestigium exstat, quod adhibitum esse Caprum

indicare possit. Nam p. 115, 18 Probus appellatur, neque ad eos libros, qui nunc eius nomine inscripti feruntur, in quibus nihil, quod huc pertineat, legitur, sed ad veteris Valerii Probi Berytii doctrinam illud referendum est. Hanc vero Priscianum non ipsius Berytii libris, sed Capro debere iam Hertzius ad Prisc. I 171, 14 recte coniecit, Steupio de Probis grammaticis p. 190 et Neumanno l. c. p. 38 assentientibus. Nam Caprum Valerio Probo usum esse Romanus apud Charis. 118, 1 testatur, et praeterea Priscianus nonnullis locis Capri et Probi nomina una affert ita, ut Probi nomen iam apud Caprum exstitisse appareat.

In quarto, ad quem iam venimus, libro paucae Capri reliquiae exstant, nam praeter duos, ubi nominatur, locos p. 128, 23 sqq. et 133, 24 sqq. (fragm. 34 et 35) omnino non videtur adhibitus esse. Hi enim loci magna exemplorum vetustissimorum copia excellunt, cum in reliqua parte libri scholarum usui nimirum destinati aut nulla exempla inveniantur aut perpauca e recentibus scriptoribus sumpta.

De libris V—VII.

Multo difficilior quam de antecedentibus est quaestio de libro V, de quo aeque ac de sequentibus longiore disputatione opus est. Neumannus huius libri primam partem *de generibus* totam e Capri libris de dubiis generibus exscriptam esse ex subscriptione p. 171, 14, supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis, collegit eamque sententiam disputationis suae de Capro Prisciani librorum VI et VII fonte institutae fundamentum fecit, omnia, quae in illis libris cum quinto consentiant, ipsa quoque e Capro delibata esse ratus. Nam cum in libro VI non solum exempla praeceptaque haud raro eodem ordine digesta repetantur, sed etiam eadem scriptorum testimonia saepius adhibeantur idque ita, ut modo in VI modo in V libro plura exstent, extra dubitationem positum esse arbitratur maximam libri VI partem ex eodem Capri libro exscriptam esse, ad quem in libro V relegamur.

Cui Neumanni sententiae pauca quae opponam habeo: nam etsi concedo maximam libri VI partem Capro deberi, tamen plane incredibile mihi quidem videtur a grammatico aliquo eundem

librum bis deinceps tam continenter exscribi quam Neumannus putat, sed ita potius ea res explicanda est, ut diversos fontes, inter se quodammodo cognatos, eum secutum esse statuamus. Ne intellegitur quidem, qua causa commotus Priscianus ex eodem fonte eadem repetiverit, quae iam antea dixerat. Si vero diversis fontibus eum usum esse credimus, facile fieri potuit, ut de nominativo et genetivo disserens (lib. VI) etiam quae de genere apud auctorem suum invenit exscriberet, quamquam iam supra (lib. V §§ 1—45) de hoc disputaverat. In libro VI quoniam et nominatur saepius Caper et multa, quae cum doctrina eius alibi prolata conspirant, insunt, praeterea quod magna copia veterum exemplorum invenitur, magnam libri partem ei vindicandam esse persuasum habeo, ut supra commemoravi. Quinti ergo libri alius fons primarius statuendus est, qui praeceptorum brevitate et testimoniorum plerumque e recentibus auctoribus sumptorum parvo numero a Capri ratione differt magisque pueris instituendis destinatus videtur fuisse. Sane Capri commemorationes, quae in libro V inveniuntur, ipsi Prisciano dandae sunt, qui brevibus auctoris sui regulis exempla e Capri copiis petita immiscuerit. Exempla enim a Capro petita esse, non ab altero illo auctore non modo ea re mihi persuadetur, quod multa ex iis exemplis alibi Capri nomine apposito inveniuntur vel apud alios grammaticos, qui ipsi quoque Capro usi sunt, exstant, sed maxime propterea, quod certis verbis ei, qui exempla legere velint, ad illum relegantur. Ita enim subscriptio illa interpretanda est: usum i. e. exempla apud Caprum invenies. Ceterum dubitari potest, utrum haec verba supra dictorum tamen nominum usum etc. ad totum caput de genere pertineant an ad ea tantummodo nomina, quae inde a p. 169, 6 secundum ordinem litterarum digesta enumerantur. Haec vero quaestio arte cohaeret cum ea, quae ratio intercedat inter hanc nominum seriem et antecedentia. Certi aliquid pronuntiari posse vix crediderim, sed quid mihi videatur, exponam. Itaque si verum est, quod supra dixi, exemplorum ac testimoniorum magnum numerum e Capri libris petitum esse, per se verisimile est hanc quoque exemplorum copiam ei deberi, praesertim cum plurima insint, de quibus Caprum disputavisse alibi comprobatur, velut *penus* p. 170, 13 = 260, 17, *pecus* 171, 4 = 163, 22, *sal* 171, 8; cf. Cap. 102, 1, permulta

praeterea propter consensum cum aliis grammaticis, qui eo auctore usi sunt, ei vindicanda sint. Fortasse Priscianus postquam iam antea exempla nonnulla e Capro exscripsit, in fine disputationis de genere institutae totum librum eius iterum percurrens magnum nominum numerum excerpsit, de testimoniis autem et ad haec et ad nomina antea commemorata pertinentibus, quae non exscripserat, ad ipsum Caprum legentes relegavit. Hoc vero persuasum habeo, etsi omnia haec exempla Capro debentur, alphabeticum tamen ordinem a Prisciano institutum esse, Caprum autem de dubio nominum genere ita disputavisse, ut terminationes nominum, sicut in Prisciani libro VI fieri videmus, sequeretur. Quod vel inde colligitur, quod multa e nominibus in illa alphabetica serie exstantibus et in V et in VI libro sub singulis terminationibus tractata inveniuntur. Miror Neumannum hoc non intellexisse, sed litterarum ordinem Capro tribuere; ceterum de hoc ordine nonnumquam perturbato recte idem iudicavit in hoc uno tantum errans — sane commotus falsa illa quam dixi sententia —, quod Capro nonnulla tribuit, quae potius Prisciano danda sunt; fortasse etiam librarii errori aliquid deberi supra in adnot. ad fragm. 14 monui.

Sed utut haec se habent, hoc constat, multas Capri doctrinae reliquias inesse in priore[1]) quinti libri parte. Multa enim consentiunt cum Nonii capite III, quod quin potissimum e Capri libris de dubiis generibus ductum sit, dubitari vix posse Luc. Muellerus (adversaria Noniana p. 254) contendit: cf. gram. lat. VII 90 et P. Schmidtii dissertationem de Nonii auctoribus grammaticis p. 148 sqq. Alia in commentario de dubiis nominibus (gram. lat. V 571 sqq.), in quo plurima, quae quidem ex antiquiore doctrina petita sunt, Capro debentur (Keil. V 570), inveniuntur, vel in Capri, qui fertur, tractatu de verbis dubiis, in quo multa vestigia veteris Capri doctrinae relicta esse constat, leguntur vel in Charisii capite I 15, de quo Keilius gr. l. VII 90 sic iudicavit: 'illud certum est in quaestionibus nominum inde a p. 93 incipientibus, quarum pars in excerptis Iulii Romani repetita est, multa Capro deberi'.

---

[1]) Nam de hac tantummodo parte haec quaestio est; de reliqua libri parte inde a § 46 infra videbimus, quoniam ibi res aliter se habet.

Cum eadem, quae de priore libri V parte dixi, de libris VI et VII valeant, disputationem de his instituendam cum libro V §§ 1—45 coniungam neglecta interim altera libri V parte. Iam quae in his Prisciani libris cum illis, quos modo dixi, aliorum grammaticorum libris consentiunt, cum aliqua veritatis specie ad Caprum referre possumus, quem in omnibus his libris adhibitum esse constat. De Nonio quidem dubitari potest, an Probo et Plinio, Capri fontibus, plus debeat quam ipsi Capro, sed hoc neque verisimile est neque ad hanc quaestionem pertinet, quoniam Priscianus certe quae praebet Pliniana ac Probiana Capro debet, qui quid e fontibus suis hauserit quidve addiderit, non semper possumus indagare. Quae ergo et apud Nonium et apud alios, quos dixi, grammaticos Pliniana vel Probiana exstant, Priscianus e Capri potissimum libris sumpsit. De Probo vide quae dixi supra p. 39, de Plinio plane idem valere Neumannus l. c. p. 39 demonstravit.

Sed priusquam hos enumero locos, ei afferendi sunt, quos e Capri libris sumptos esse nomine grammatici apposito constat.

Lib. V	163, 22	pecus,
lib. VI	204, 6	caepe,
	212, 5	lacte,
	212, 15	allex,
	260, 17	penus,
	264, 16	veter,
lib. VII	322, 2	ops,
	354, 9	memoris et memore.[1])

Hoc ultimo loco Capri auctoritatem non modo ad *memoris* pertinere, sed etiam ad subsequentia nec mirum, cum et *hic celer* et *hic celeris* et *hic concors* et *hic concordis* protulisse inveniuntur vetustissimi multaque alia in eundem modum nemo non videt. Quae Capri doctrina etsi ad adiectiva tantum spectare videtur, tamen de substantivis idem eum docuisse conicere licet, quoniam veteres grammatici adiectivum et substantivum, quod nos dicimus, non distinguebant.

---

[1]) Hic locus Neumannum fugit, qui p. 48 dicit in libro VII semel tantum Capri nomen afferri; etiam in indicibus et ad Priscianum et ad totum gram. lat. corpus omissus est.

Accedunt ei loci, qui cum aliis, ubi Caper nominatur, consentiunt:

lib. V 152, 17—153, 17 acer et acris etc. : 354, 9,
155, 14 + 337, 9 + 348, 17 Arpinatis etc. : 129, 7,
163, 11 penus : 260, 17,
171, 4 + 270, 3 pecus : 163, 22,
lib. VI 208, 19 + 325, 2 carnis : 354, 9,
209, 17 Dido, Calypso : Charis. 117, 24,
229, 10 Iovis : Pompei. 187, 10,
229, 20 alacris, acris :
230, 18 Octobris, alacris : } 354, 9,
235, 11 + 341, 3 memoris :
238, 15 femen : Serv. in Aen. X 344,
243, 12 + 349, 13 fames : Pompei. 175, 28,
279, 15 + 324, 24 supellectilis :
282, 12 vecordis, concordis :
lib. VII 341, 18 amentis : } 354, 9.
353, 24 vigilis :

Iam ad eos locos aggrediamur, quibus nomina tractantur, quae vel apud Anonymum de dubiis nominibus vel apud Charis. I cap. 15 et 17 vel apud Caprum qui fertur vel apud Nonium cap. III inveniuntur. Saepe quidem apud Priscianum aut apud illos praecepta veteris grammatici valde mutilata ac decurtata sunt, saepe nihil nisi nomen exstat, quae vero de eo praecepta erant, omissa sunt, sed illud tamen inde concludere possumus, disputavisse de illis nominibus Caprum, certe de eis, quae apud complures illorum grammaticorum repetuntur et ad quae eadem testimonia Priscianus adhibet, atque illorum aliquis. Plane certa ne in his quidem res est, at tamen maxime probabilis. Ea vero nomina, quae apud unum tantummodo illorum repetuntur non additis iisdem exemplis, quae apud Priscianum leguntur, plane omisi, ne inciderem in coniecturas nimis incertas atque vanas. Haec enim Priscianus etiam e Charisii vel Nonii libris, quos eum inspexisse constat, sumere potuit.

Quae praefatus iam enumero locos Capro propter hunc consensum vindicandos, qua in re brevitatis causa Nonium simplici littera N. significabo (paginae sunt editionis Mercerianae secundae), Anonymum de dubiis nominibus signo dn., Charisium Ch.,

Caprum qui fertur Cp. Auctorum nomina interdum addita uncis inclusa indicant testimonia ex eis auctoribus petita utroque loco inveniri.

Lib. V 155, 7 + 170, 2 guttur : N. 207, 14. dn. 579, 27,
157, 2 + 11 hospita, antistita : Ch. 100, 20 (Vergil.),
158, 11 dies, diecula : Ch. 110, 8 (Vergil. Terent.),
160, 11 + 169, 11 clunes : Ch. 101, 4. N. 196, 32. dn. 575, 24. Cp. 108, 17,
160, 17 funes : N. 205, 21. dn. 578, 28,
164, 13 + 167, 7 silex : N. 225, 18. dn. 591, 4,
164, 24 + 167, 7 cortex : N. 199, 25. dn. 576, 7.
168, 6 scrobs : N. 225, 7 (Plaut.),
169, 9 + 206, 10 cardo : N. 202, 15. dn. 575, 22. Cp. 108, 13,
169, 8 + 268, 16 alvus : N. 193, 21. Cp. 107, 12,
169, 9 + 249, 17 cinis : N. 198, 7. Cp. 108, 15,
169, 11 + 269, 16 colus : N. 198, 15. Cp. 108, 17,
169, 15 perdix : N. 218, 16. dn. 587, 1,
169, 16 palumbes : N. 219, 3. dn. 586, 20,
169, 18 vepres : N. 231, 13. dn. 592, 19,
170, 2 murmur : N. 214, 11. dn. 583, 25,
170, 3 dorsum : N. 203, 2. dn. 577, 21. Cp. 109, 9,
170, 3 + 264, 4 fretum : N. 205, 23. dn. 578, 23,
170, 4 gelu : N. 207, 32. Cp. 110, 3,
170, 13 papaver : N. 220, 7. dn. 586, 23,

lib. VI 199, 18 schema : N. 224, 36. Ch. 53, 15; 144, 17,
205, 1 sinapis : Ch. 144, 10 (Plaut.),
206, 14 homo : Ch. 102, 20. dn. 580, 4,
207, 7 nemo : Ch. 97, 8 (Vergil.); 138, 7 (Plaut.),
216, 10 elephantus : dn. 578, 13. Cp. 109, 10,
217, 5 Arabus : Ch. 100, 12 (Vergil); 123, 8 [1] (Vergil.),
218, 15 + 251, 3 cassida : Ch. 103, 16. dn. 576, 22,
242, 16 requies : Ch. 110, 1; 128, 14. dn. 588, 18,
249, 20 impubes : Ch. 141, 3 (Vergil.),
262, 5 artu : N. 191, 10 (Plaut.),
265, 16 grus : N. 208, 16 (Vergil.),

---

[1]) Apud Charisium vel potius apud Romanum Plinius nominatur.

lib. VII 331, 16 mare : Ch. 137, 12 (Varro, Varro Atacinus),
333, 9 gausape : Ch. 104, 9 (Varro, Ovidius, Cassius Severus).

Praeterea etiam inter catholica Probo vulgo adscripta (gram. lat. IV) et Priscianum cognatio quaedam intercedit, cum multa praecepta et scriptorum testimonia apud utrumque auctorem inveniantur. Nonnullis locis (velut p. 241, 10; 249, 19; 259, 17) Priscianus Probum nominatim appellat, quem verum catholicon auctorem neque a vetere Valerio Probo Berytio diversum putat. Sed quamvis Priscianum catholica inspexisse constet, nonnulla tamen, quae in catholicis brevius commemorantur vel indicantur, apud eum uberiora et cum vicinis arte conexa et amplioribus exemplis illustrata exstant. Cum vero Prisciani aetate catholica pleniora, quam nunc sunt, fuisse credibile non sit, communis fons adgnoscatur necesse est[1]), quem accuratius expresserit Priscianus, minus accurate catholicon auctor. Quis hic communis fons fuerit, non constat, quoniam de catholicon origine omnino nihil exploratum est, sed cum et praecepta et exempla optime quadrent in Capri rationem, Priscianum quidem ea, quae ad communem fontem referenda sunt, Capro debere verisimile est. Ad catholicon auctorem quomodo ea delata sint, num re vera, ut nonnulli putant, doctrinae ibi prolatae pars veteri Probo tribuenda sit, diiudicari non potest. Similis quaestio est de locis apud Priscianum et in excerptis Probi de nomine (gram. lat. IV 205 sqq.) consentientibus. Sed cum in his excerptis doctrinae Probianae reliquias inesse haud improbabile sit, consensum illum ad Probum referre possumus.

Iam sequuntur loci propter consensum cum catholicis et excerptis de nomine Capro tribuendi:

lib. V 143, 18 + 201, 18 Turia : cath. 3, 13. 7, 1 (Sallust.),
149, 13 + 223, 3 Nar : 15, 29 (Vergil.),
152, 8 paupera : 16, 13 (Plaut. Terent.),
154, 1 + 234, 10 Gaddir : 13, 29,
163, 2 + 269, 4 alvus : exc. d. nom. 207, 25 (Vergil.) [eadem exempla Non. 193, 21],

---

1) Cf. Neumann. p. 41.

lib. VI 198, 6 pater familias : exc. d. nom. 211, 27
[cf. Charis 107, 9 et 120, 11; altero loco Plinius nominatur],
199, 14 graeca nomina in a : cath. 6, 31 (Plaut.)
[idem exemplum Non. 224, 37; Char. 53, 15. 144, 17],
205, 1 senapis : 8, 16 (Plaut.),
[idem testimonium Char. 144, 10],
206, 22 homo, homonis : 10, 28,
212, 5 lacte : 7, 7,
225, 15 libri, liberi : 12, 1,
236, 15 Pnblipor : 16, 18 (Sallust.),
236, 19 Actor : 12, 21 (Vergil.),
239, 13 + 330, 20 Pallas : 23, 9,
241, 18 apes : 26, 16,
244, 5 Chremes : 22, 24 + 24, 24 (Terent.),
246, 16 Achilles, Achilli etc. : 24, 26,
249, 10 vis : 19, 22 (Lucret.)
251, 3 cassida : 28, 24 (Vergil.)
[cf. Char. 103, 16; de dub. nomin. 576, 22],
253, 3 neptis : 26, 32
[cf. Non. 215, 6],
254, 6 ossum : 18, 33,
256, 12 fastus : exc. d. nom. 211, 17,
268, 11 anuis : cath. 25, 31 (Terent.),
269, 10 domus : 25, 9 (Terent.),
269, 16 colus : 24, 6 (Vergil.),
275, 2 + 8 + 9 virus, vulgus, pus : 21, 5,
279, 12 nix, supellex, senex, nox : 31, 31,
281, 12 fons et lens : 27, 10.

Inter hos locos complures sunt iam supra p. 44 propter consensum cum Nonio aliisque ad Caprum relati, quos repetivi, quo maior et eorum ipsorum et reliquorum fides esset.

Eadem de causa in hunc ordinem etiam ea recepi, quae, ut *lacte* (212, 5), Capri esse aut ex nomine eius apposito elucet aut ex comparatione cum aliis locis, ubi ille nominatur, instituta.

Hac enumeratione locorum, qui Capro argumentis, ut mihi videtur, satis firmis vindicantur, illud demonstrasse me spero, quod mihi proposueram, doctrinae in Prisciani libris V § 1—45, VI, VII prolatae maximam partem Capro deberi. Nam Priscianum

non solum ea, quae certis argumentis ad Caprum referri possunt, sed etiam alia multa, quae prope eos locos exstant, e Capro mutuatum esse probabile est. Maxime hoc valet de libro VI neque multum a vero aberrare mihi videor, si in hoc Caprum primarium fontem, alios praeter eum raro adhibitos esse dico. Utrum omnia, quae in libro V § 1—45 ad Caprum referenda sunt, e libris de dubiis generibus sumpta sint, ut Neumannus persuasum habet, an, ut de libro VI constat, nonnulla e libro de latinitate admixta sint, diiudicari non potest, tamen Neumanni sententia propter subscriptionem illam in paragrapho 45 lectam specie quadam veritatis non caret.

Restat, ut nonnulla addam de eis locis, quos Neumannus (p. 44—46; 49—50) Plinio tribuit; hos quoque per Caprum ad Priscianum pervenisse iam supra commemoravi. Quorum locorum plurimi iam enumerati sunt, cum consentiant maxime cum Charisio I cap. 15 et 17, in quibus capitibus doctrinae Plinianae multas reliquias inesse constat. In VI libro ea tantum addenda sunt, quae propter consensum cum Nonii cap. VIII (cf. etiam Char. 143, 13) Plinio tribuuntur, de genetivis *ornati, quaesti* etc. De libro VII recte animadvertit Neumannus in eis, quae de ablativo sing. III decl. disputentur, multa inesse Pliniana, collato Char. I cap. 17, ubi de hac quaestione multa e Plinio sumpta proferuntur. Quod vero contendit inter locos Prisc. 355, 1 de genetivo *parentium* et Char. 138, 10 cognationem quandam intercedere propter Ciceronem utroque loco laudatum, ei non assentior. Nam altero loco exemplum ex oratione quadam Ciceroniana ad formam genetivi *parentium* comprobandam adhibetur, altero Cicero saepe hac forma usus esse dicitur, quae causa mihi quidem non satis gravis videtur, ut cognationem aliquam horum locorum esse statuamus, praesertim cum regula proposita non eadem sit. Sed alius locus, quem Neumannus omisit, haud scio an Plinio vindicari possit, p. 293, 5 sqq., ubi de formis *deabus, filiabus, natabus* etc. disseritur: cf. Charis. 54, 10 et 129, 13, ubi Plinius appellatur.

Quae quoniam exposui, nonnulla addenda sunt de reliquis auctoribus, quos Priscianus praeter Caprum nominatim affert. Ac Plinii quidem et Probi — exceptis eis locis, qui ex catholicis vel institutis artium sumpti sunt — commemorationes Capro eum

debere iam saepius dixi; fortasse etiam Caesellii Vindicis, qui ter appellatur, 210, 7. 229, 10. 230, 11, notitia per eundem ad eum pervenit. Nam uno loco 229, 10, ubi nomen eius affertur, agitur de declinatione vocis *Iuppiter,* de qua etiam Caprum disseruisse Pompeii testimonio 187, 10 (fragm. 7) probatur. Uterque analogiam secutus est: Vindex enim a nominativo *Iuppiter* casus obliquos *Iuppitris, Iuppitri* etc. derivavit, Caper e casibus obliquis *Iovis, Iovi, Iovem* nominativum *Iovis,* cuius formae exempla ex antiquis scriptoribus attulit. Similiter res se habet alio loco 210, 7, ubi Vindicis auctoritate formae *Didonis, Calypsonis, Ionis* comprobantur, de quorum nominum declinatione etiam Caper disputaverat: cf. Char. 117, 24. Sed cum neque de Caesellii Vindicis neque de Capri aetate quidquam constet, incertissimum est, utrum alter alterius libro usus sit necne. Ne id quidem compertum habemus, uter vetustior sit: videtur tamen Caesellius aut eodem fere quo Caper aut non multo antiquiore tempore vixisse (cf. Keil. gr. lat. VII 139). Si ante Caprum scripsit, non est, cur Karbaumio l. c. p. 13 non assentiamur fieri potuisse dicenti, ut Caper Caesellii doctrina usus eiusdem nomen in libris suis laudaret, unde et praeceptum grammaticum et nomen Caesellii laudatum in sua scripta transtulerit Priscianus.

Etiam Suetonii commemorationem p. 231, 8 vix ipsi Suetonio Priscianus debet. Nam illum librum de institutione officiorum alibi nusquam nominatum ei praesto fuisse vel usque ad eam aetatem permansisse non crediderim, Caprum vero Suetonii copiis usum esse et e Nonio (cf. Luc. Muell. advers. Non. 254) apparet et consensu huius loci cum Prisc. 301, 2 probatur. Ibi enim eadem doctrina profertur, sed ita, ut haec ex superiore loco repetita esse credi nequeat: si quis autem dixerit eum bis Suetonii librum inspexisse, hoc in libro tam ignoto credibile non est, sed multo verisimilius est Caprum huius disputationis utroque loco fontem esse.

Neque Caesaris libros de analogia ipse Priscianus inspexisse putandus est. Duobus locis, ubi illi commemorantur, 249, 18 et 250, 17, Probi nomen iuxta positum est, ut utriusque notitia ex eodem fonte hausta videatur. Tertio loco, 249, 3, Caesaris doctrina cum Capri praeceptis coniuncta est; nam testimonium Naevianum certe Capro debetur (cf. 338, 2 et 128, 23 + 133, 24), item verba

ad cuius similitudinem debet etiam hoc dite dici, et qui antecedit versus Lucani: non illic Libycae etc. (cf. 338, 3). Quae cum ita sint, hoc certe loco Caesaris memoria per Caprum ad Priscianum delata est, quod etiam de duobus locis supra dictis valere probabile est.

Quae denique intercedat ratio inter Arruntium Celsum, de quo dixi supra p. 38, et Priscianum, non constat; quae ex Gellii, Donati, Charisii, Servii, Nonii libris et e catholicis afferuntur, ea sine dubio Priscianus ipse addidit.

Hucusque de libris V § 1—45, VI, VII; restat, ut nonnulla addam de altera libri V parte adhuc neglecta. Haec quoque, ut prior pars de genere, paucis locis exceptis brevia tantummodo praecepta praebet, quorum quis auctor sit, nescimus. Nonnulla sane ad Caprum redeunt, cuius auctoritas semel 188, 22 in testimonium vocatur ad vocativum *une*; etiam quod subiungitur exemplum vocativi *sole* ei deberi videtur et propter similitudinem et quod ea, quae sequuntur verba, Sunt alia — proferebant, certe e Capro sumpta sunt. Hoc enim testimonio Pompeii 187, 8 comprobatur, qui eandem doctrinam (de nominativo *Iovis*) Capri nomine apposito et ipsius grammatici verbis adscriptis profert: ita enim locutus est [scil. Caper] 'sunt aliqua, quorum quidem nominativus in usu non est'; cf. Prisc.: sunt aliqua, quorum nominativus quidem in usu non est. Praeterea propter similitudinem libri VI 226, 8 sqq. et propter antiquorum exemplorum magnam copiam fortasse etiam ea, quae de adiectivis *alteruter* et *plerus* proferuntur 182, 1—14, Capro vindicare possumus.

De libro VIII.

Prisciani doctrina de verbo in tres libros ita divisa est, ut lib. IX et X de praeterito perfecto inprimis agatur, VIII autem libro quaestiones generales ad verbi significationem, speciem, figuram, tempora, modos, coniugationes, personas, numerum spectantes tractentur. Hos omnes e Capri libris de latinitate fluxisse Neumannus contendit; neque tamen, quod uberius se id ostendere velle promittit p. 50, ab eo perfectum esse video, sed paucos locos, qui Capro debeantur, enumerat, de plurimis autem horum

librorum partibus nihil attulit. Videamus igitur, num nobis contingat clariore luce rem illustrare.

Ac primum quidem a libro VIII exorsi Capri nomen quattuor locis prolatum invenimus 391, 1. 393, 9; 13. 436, 7 (fragm. 13—15). Quorum locorum si tres priores, ubi verba apud veteres et active et passive usurpata enumerantur, intuemur, statim cognoscimus in Prisciani fonte verba per litteras digesta fuisse,[1]) quem ordinem a Capro institutum esse (cf. 391, 1) Neumanno concedo, etsi supra, ubi de nominibus a Prisciano 169, 8 sqq. compositis dixi p. 41, ei repugnavi idem de illo ordine affirmanti. Sed nominum plane diversa est ratio. Id quoque suo iure statuit Neumannus, quaecumque in hoc libro litterarum ordinem prodant, ea Capro tribuenda esse. Atque inprimis duo verborum ordines afferendi sunt: alter 396, 10 a littera m incipit, quo ordinem verborum supra inchoatum et in eadem m littera abruptum, quem ipse Priscianus 393, 9 Capro tribuit,[2]) continuari et ad finem perduci nemo non videt; alter 379, 2 sqq., qui usque ad o litteram perductus et in extrema parte perturbatus est. Etiam testimonia, quae ad hanc posteriorem seriem inde a 379, 15 usque ad 387, 10 addita sunt, eundem fere ordinem produnt: quae utrum omnia e Capro sumpta an e compluribus fontibus congesta sint, in incerto relinquitur, cum Priscianus verba illa exempla quae potuimus a diversis colligere libris una cum ipsis exemplis a Capro in suum librum recipere potuerit. Ceterum inter haec testimonia nonnulla sunt, quae ad verba antea non nominata pertinent, *execror, machinor, polliceor* 382, *dignor, detestor* 385, unde intellegimus Priscianum antea non omnia exscripsisse; duo ex his, *dignor* et *execror,* infra 392 in alia verborum serie ipsa quoque e Capro petita reperiuntur. Ordinem illum 379, 4 inchoatum modo usque ad litteram o progredi

---

[1]) Quibus causis factum sit, ut genuinus ordo nonnumquam perturbaretur, dixi in adnot. ad fragm. 14.

[2]) Prisciani verba sed eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies simillima sunt subscriptioni prioris partis libri V. Nam hic quoque modo verba exscripsit Priscianus, de usu vero i. e. de testimoniis ad Caprum et ad Plinium Probumque, quorum memoria apud illum exstabat, legentes relegat.

paulo ante commemoravi; sed etiam ea, quae testimoniis allatis subiunguntur, *tutor*, *vador, venor, velificor, vociferor, veneror* 387, 11, Capro deberi et litterarum ordine et verbis *tutor* et *vociferor* 396, 23 et 24 in serie e Capri libro delibata repetitis confirmatur. Haec series 396, 25 littera u finitur; sequuntur deinde nonnulla verba usque ad 397, 3, quae ex eodem fonte, i. e. Capro, videntur hausta esse; haec fortasse Priscianus omiserat et in fine addidit.

E reliquis huiusmodi verbis sine certo ordine per totum caput dissipatis haec fere ad Caprum referre licet:

399, 12 adsentio(r) : Diom. 381, 27.[1]) Cap. 107, 9,

400, 1 adorio(r) : Prisc. 379, 6 in ordine alphabetico, [*impertio(r)*, quod una cum *adorio(r)* ponitur, ex eodem fonte petitum esse apparet],

433, 2 vilico(r) : Prisc. 396, 23 in ordine alphabetico.

Etiam apud Pompeium, qui ipse quoque Capri, quem quattuor locis nominat, copiis usus est, p. 233 verba enumerantur, quae et activam et passivam significationem habent, in quibus nonnulla sunt, quae Priscianus quoque adhibet in iis, quae a Capro recepit; cf. 379, 11 + 380, 2 adulo(r) : Pomp. 233, 9. 393, 11 obsono(r) : 233, 10. 396, 11 munero(r) et partio(r) : 233, 32. Possumus igitur etiam ea, quae Priscianus extra ordines illos alphabeticos cum Pompeio consonantia praebet, Capro vindicare. Haec sunt:

390, 8 tondeo(r) : Pomp. 233, 5,

ibid. lavo(r) : 233, 25 (cf. Diom. 381, 11),

399, 12 adsentio(r) : 233, 34 (hoc iam supra Capro tribui).

Denique adnotandum est etiam in duobus illis libellis, qui Capri nomen prae se ferunt, huius doctrinae vestigia restare : 93, 10 ructo(r) et nausio(r), 93, 21 suffrago(r), 95, 1 somnio(r), 104, 15 lavo(r), 107, 9 adsentio(r).

Haec igitur, quae enumeravi, Capro tribuenda sunt; etiam alia ex eodem fonte hausta esse nemo negabit, quamquam ea

---

[1]) De communi Prisciani et Diomedis fonte paulo infra dicetur; hoc loco adnotaverim verba *quirito(r)* et *munero(r)*, quae apud Diomedem prope verbum *adsentior* exstant, apud Priscianum certe Capro deberi (cf. Prisc. 396, 18. 11).

certo definiri nequeunt. Illud quoque recte haud dubie Neumannus dicit, Capri copiis nonnulla aliunde sumpta immixta esse, sed exempla, e quibus dilucide hoc apparere sibi persuasit, non apte elegit, *bellor*, *nutritor, praecipitor,* 390, 17 sqq.; cf. Neum. p. 51. Nam *bellor* cum eodem versu Vergiliano etiam Diom. 382, 4 exstat, et ipse Neumannus p. 30 et 54 contendit, quae consentiant apud Priscianum et Diomedem, ea utrumque Capro debere. Karbaumius quoque p. 8 Priscianum ea e Capro hausisse dicit. Praeterea etiam apud Nonium, quem Capro usum esse scimus, eadem leguntur 472, 8. Sed iam hic Prisciani cum Nonio et Diomede consensus nos admonet, ut quaeramus, quae ratio inter hos grammaticos intercedat. Et Nonius quidem quin in capite VII *de contrariis verborum generibus* Caprum potissimum secutus sit, dubitari non posse persuasum habeo. Nam plus quinquaginta lemmata praebent verba, quae etiam apud Priscianum leguntur, qui, cum ea verba in ordinibus alphabeticis, de quibus supra dixi, exhibeat, e Capro ea hausit. Haec igitur apud Nonium quoque Capro tribuo, quoniam eum Capri libris usum esse neque alium quemquam grammaticum de hac quaestione tam copiose quam illum disputavisse scimus. Enumerare haec Nonii lemmata longum est, cum totum fere caput efficiant. Unum hoc addam, quo sententiam meam confirmari existimo, esse inter ea verba compluria, quae rariore in usu erant, velut *ludificor, pigneror, praesagior, ruminor,* quae, nisi ex communi fonte derivata essent, apud utrumque exstare mirum esset.

Difficilior est quaestio de Diomede. Multa enim inveniuntur apud Priscianum cum illo consonantia, quorum nonnulla certe ex ipsa Diomedis, quem appellat, arte sumpsit, multa vero eiusmodi sunt, ut ex communi fonte repetenda sint. Quem fontem Keilius gr. l. I p. LII et Karbaumius p. 11 Probum esse existimant, quem Diomedes ipse legerit, cum Priscianus eius doctrinam e Capri libris desumpserit. Christius vero philol. XVIII 129 dubitat, num Diomedes ipsius Probi libros in manibus habuerit, Steupius de Probis 190 et Neumannus p. 29 Probi notitiam etiam ad Diomedem per Caprum perlatam esse existimant. Neumanni argumenta mihi quidem non satis gravia videntur ad quaestionem difficillimam diiudicandam, quamquam ne ego quidem Probi ipsius librum Diomedi praesto fuisse dixerim. Nam

ex eo, quod nomen Probi appellat, non sequitur, ut ea omnia ab eo receperit: immo vero inde collegerim Probum non esse fontem Diomedis, cum is, quem potissimum auctorem quoque loco sequatur, indicare non soleat. Sed utut de hac re aliquis existimat, illud constat Priscianum certe ea, quae cum Diomede consentiunt, sive e Probo sive e recentiore aliquo ille ea hausit, e Capri libris delibasse, qui et Probum et Plinium, quorum uterque apud Diomedem bis nominatur, adhibuerat.

Iam ad quaestionem institutam redeamus. Priscianus postquam de verbis a veteribus et active et passive usurpatis disseruit, inde a 397, 3 usque ad 398, 15 nonnulla verba addit, quae cum sint activa primae coniugationis, transeunt in neutra absoluta sive reciproca secundae coniugationis. Ex his *albo, albeo, albesco* et *lento, lenteo, lentesco* cum apud Diomedem quoque legantur 344, 2 et 343, 20 iisdem exemplis Vergilianis appositis, Capro vindicanda sunt; quibus reliqua arte cum iis conexa tam similia sunt, ut ex uno fonte, i. e. Capro, totam hanc disputationem Priscianum mutuatum esse appareat.

In reliqua libri VIII parte pauca sunt eaque dispersa, quae Capro deberi cum aliqua veritatis specie probare possumus. Velut, quae 403, 3 de verbo *lavo* proferuntur, consentiunt cum Diom. 381, 12, unde cognoscimus illos 'quosdam', qui secundum Diomedem *lavit* pro *umectat* intellegi velint, Caprum esse eiusque sectatores. De eodem verbo Priscianus etiam 471, 2 disputat, eodem exemplo usus atque 403, 5; reliqua, quae ibi praebet exempla, apud Diomedem quoque l. c. leguntur. Deinde 413, 1 sqq. (gerundia active et passive prolata) propter consensum cum Diom. 342, 13 (cf. Serv. gr. l. IV 412, 22 et Serg. ibid. 504, 41) Capro tribuere possumus; item ea, quae 418, 27 sqq. dicuntur de verbis perfecto deficientibus, ut *ferio, sisto, tollo* (cf. Diom. 372, 4 et 380, 8). Idem Terentii versus ad comprobandum verbum *labasco* adscriptus est a Prisciano 428, 7 et Diomede 343, 7; utroque loco paulo post de verbis *amasco* et *hisco* disseritur. Similitudo denique inter Prisc. 441, 13 et Diom. 402, 23 (nomina in *atus*, ut *paenulatus, togatus etc.*) intercedens atque inter Prisc. 443, 11 et Diom. 372, 22 (*mandare* et *mandere, fundare* et *fundere*) quamquam non tanta est, ut casui

tribui nequeat, tamen cum maiore veritatis specie ad communem fontem refertur.

De libris IX et X.

In his duobus libris, de quibus, cum in utroque de variis praeteriti perfecti formis disputetur, simul disseram, Capri librum de latinitate primarium fontem fuisse probabile est. Nam et nomen eius octiens appellatur et multa insunt, quae certis argumentis ei vindicari possunt; praeterea uterque liber doctrinam amplam et antiquam ostendit et testimoniis a vetustissimis auctoribus petitis refertus est. Quae omnia optime congruunt cum Capri studiis aliunde cognitis. Sed nostrum est accuratius ea enumerare, quae Capri esse demonstrari potest. Et loci quidem, ubi nomen eius exstat, hi sunt:

490, 9 deletus, delitus (cf. Cap. 109, 7),
500, 6 sapio, sapui vel sapivi vel sapii,
508, 28 conquinisco, conquexi,
509, 22 ĭco, îci,
513, 7 nanciscor, nactus (cf. Cap. 95, 19),
524, 12 repungo, repupugi vel repunxi,
530, 18 sino, situs, nequeo, nequitus,
535, 1 lacesso, lacessi.

Praeter Caprum auctores grammatici nominantur hi: Probus quater decies, Charisius duodecies, Diomedes quinquies, Servius, Asper, Asmonius, Celsus, Nisus, Nonius, Papirianus, Phocas, Plinius, Pollio, Scaurus, Velius Celer semel. Charisium, Diomedem, Nonium, Phocam,[1]) Servium, fortasse etiam Asmonium[2]) et Papirianum, Priscianus ipse legisse putandus est; neque, quae cum catholicis Probi quae dicuntur consentiunt, ex his ipsis petita esse negandum est. Pollionis libros ipsos Prisciano praesto fuisse vix crediderim, sed aut Plinio aut Probo aut Capro, qui una cum eo commemorantur, vindicandum est, quod eum appellat; et a Plinio quidem, ut videtur (cf. Boelt. annal. philol. 1888 p. 422), Asinius Pollio in testimonium vocatur apud Char. 134, 3.

---

[1]) Notatu dignum est doctrinam hodie in Phocae arte 433, 24 exstantem diversam esse ab ea, quam Priscianus 515,16 ei tribuit.

[2]) De Asmonio vide Keil. quaest. gramm. (Lips. 1860), de Papiriano Neumann. p. 55 sqq.

Ne Nisum quidem a Prisciano lectum esse puto; de Aspri, Scauri, Velii Celeris commemorationibus quid iudicandum sit, non constat.

Ex his igitur grammaticis nobis de solo Probo quaerendum est, quoniam eius notitiam e Capri libris delibavit Priscianus; de Plinio, de quo idem valet, nihil addendum est, nam uno illo loco, ubi nominatur (513,8), Capri et Probi nomina apposita fontem satis dilucide ostendunt. Probus igitur quattuordecim locis appellatur; e quibus quinque cum catholicis ita consentiunt, ut inde peti potuerint: 469, 13 (cath. 39, 26); 485, 19 (cath. 34, 17); 491, 14 (cath. 38, 6)[1]; 535, 14 (cath. 39, 19); 503, 17 (cath. 37, 15). Postremum locum Hertzius ad Berytium retulit, sed causam non video. Nam etsi in cath. 37, 15 tantummodo *unguo*, *unguis*, *unxi* legitur, cum Priscianus Probo formas *ungui et unxi* tribuat, tamen illius libelli auctorem etiam formam *ungui* agnovisse elucet. Nam et ipse paulo ante dicit: g litterae ante uo positae verbum inveni tertiae correptae *gui* faciens specie perfecta, ut *arguo*, *arguis*, *argui*, *unguo etc.*, et apud Sacerdotem gr. l. VI 489, 17 accurate cum illo consentientem adduntur haec, quae in catholicis desiderari nemo non videt: *ungui; dicimus et ungo, ungis, unxi.* Itaque etiam in catholicis legendum est: arguo, arguis, argui, unguo, unguis, *ungui; dicimus et ungo*, *ungis,* unxi.

Reliquae vero Probi commemorationes Capro tribuendae sunt, cuius nomen saepius cum Probo coniunctum est. Locos, ubi ambo appellantur, omitto, cum iam supra in ordine eorum, quae Capro propter nomen eius appositum debentur, enumerati sint; reliqui sunt hi:

470, 12 neco, necavi vel necui,

---

[1]) Adnotandum est apud Caprum 94, 14 contrariam doctrinam exstare: non est sorbo, sed sorbeo, nec sorbsi, sed sorbui. sic et absorbui, ut Lucanus, cum in catholicis legatur: sorbo, sorbis, sorbui, quamvis et sorbsi lectum sit. Fortasse Caper in Probi libro doctrinam illam invenerat eique suam ipsius sententiam addiderat, ut etiam Prisc. 534, 25 de perfecto verbi *lacesso* vidimus. Quod si ita se habet, Probi commemorationem e Capro potius hausisse Priscianus videtur, quam e catholicis; sed cum, quantum in tractatu de orthographia Capro debeatur, minime constet, incertum est, num re vera Caper id de verbo *sorbeo* docuerit, quod nunc ibi legitur.

529, 6 occini,
535, 21 quaesivi,
539, 2 fulsi,
541, 18 aio (cf. 494, 15).

His accedunt ei loci, qui cum Diomedis congruunt doctrina, sed ita, ut non ex eius arte sed e communi fonte eos haustos esse appareat, quos Priscianum quidem a Capro mutuatum esse supra dixi. Quorum locorum plurimos iam Neumannus in dissertatione sua p. 54 enumeravit, ut pauci supersint; sed ut quaestio sit absoluta et perfecta, ordinem illum hic repeto additis iis, quae ab illo omissa erant, numeris quoque interdum correctis[1]):

Prisc. 469, 5 applicui et applicavi : Diom. 372, 18,
[cf. Prisc. 473, 1],
470, 6 necto, nexui vel nexi : 369, 16 (ead. testim.),
[cf. Cap. 93, 9],
470, 21 necatus et nectus : 366, 5,
471, 2 lavere et lavare : 381, 12 (ead. testim.),
[cf. Prisc. 403, 3],
489, 1 adolui et adolevi : 373, 18 (ead. testim.),
494, 15 + 541, 18 aio : 374, 4 (Naevius),
[Apud Prisc. 541, 18 Probus de dubio perf. laudatur],
495, 5 mingo et meio : 369, 11,
497, 9 allicui et allexi : 367, 11,
500, 20 parĕre et parīre : 383, 5 (Ennius),
[cf. Prisc. 401, 5 et 540, 8],
509, 15 parsi : 368, 3 (Terentius),
511, 23 parsurus : 368, 10 (Varro in Later.),
[Apud Diomedem ad Plinium provocatur],
512, 24 experrectus et expergitus : 376, 11 (Lucil.),
518, 23 de reduplicatione : 368, 13,
519, 22 passus : 377, 23 (Vergil.),
520, 2 comes(t)us : 387, 5,
[cf. Prisc. 522, 19],
520, 16 ostentus : 376, 3 (ead. testim.),

---

[1]) Karbaumius quoque p. 11 et 12 horum locorum magnum numerum affert, sed eos tantummodo, ubi exempla, maxime Ciceroniana, apud Priscianum et Diomedem eadem sunt.

525, 3 neglexi et neglegi : 369, 15 (Aemil. Mac.),
527, 22 al(i)tus : 375, 14 (Sallust.),
529, 5 occanui : 374, 1 (Sallust.),
[Apud Priscianum Probus affertur],
529, 19 livi et levi : 370, 5 (Terent.),
[cf. Prisc. 530, 10 et 490, 11 (Caper)],
535, 21 pinso : 373, 4 (Pompon.),
[Apud Priscianum Probus testis est],
537, 27 nisum et nixum : 375, 1,
538, 2 nexo, nexui : 369, 17 (ead. testim.),
538, 28 sanxi et sancii : 371, 18 (Pompon.),
540, 15 salui et salii : 374, 5 (Vergil.),
546, 9 sallitus et salsus : 375, 16.

His locis Capro vindicandis tres subiungam, qui ex eodem fonte sumpti videntur; quorum unus (512, 3 seneo) cum Pompeio 222, 5 consentit, reliqui (480, 22 + 532, 16 sero, sevi et serui, 502, 12 sartum, fartum etc.) cum Capro qui fertur 93, 1 et 111, 9.

Praeterea alia multa in his duobus libris insunt, quae propter doctrinam ad Capri rationes accommodatam, propter exempla ad vetustissimorum scriptorum usum probandum adscripta, propter similitudinem cum aliis locis, quos e Capri libris sumptos esse probabile est, cum magna veritatis specie ad Caprum referri possunt. Sed cum de iis pro certo nihil affirmari possit, ea non enumero: praeterea, si quis ea indagare vult, legenti facillime occurrunt.

De libro XI.

De libris XI—XVIII breviore disputatione opus est, quippe in quibus Caper non tam continenter exscriptus sit. Neumannus hos omnino non tractavit, sed nobis est accuratius quaerendum, cum, etsi alios inprimis auctores Priscianus secutus est, nonnulla tamen insint dispersa ac dissipata, quae ad Caprum referri possunt. Et in XI quidem librum *de participio* pauca e Capri copiis recepta esse mirum non est, quoniam is de participio non proprio libro, sed una cum perfecto praeterito videtur egisse. Nec difficile est causam invenire. In initio enim huius libri 549, 1 Priscianus dicit a Romanorum grammaticorum compluribus participium non separatim traditum esse partem orationis, sed

inter verba ascitum. In quibus grammaticis Caprum fuisse verisimillimum est, cum in libris IX et X de perfecto conscriptis et e Capro potissimum derivatis saepissime etiam de participio disseratur. Quae cum ita se habeant, mirari non debemus, quod in hoc libro perraro ad veterum sermonem et ad antiqua testimonia recurritur, quibus summum momentum a Capro tributum esse cognovimus. Quae autem inveniuntur hanc doctrinam ostendentia, ea plerumque cum antecedentibus libris consentiunt, ut Capro ea vindicare non dubitem. Nomen eius semel in testimonium vocatur, 561, 10, ubi verba *pigeo, taedeo, pudeo etc.* in usu veterum perfectorum declinationem habuisse teste Capro docetur. Quae his subiunguntur de participiis *triumphatus, erratus, regnatus, laboratus, decursus* (561, 16 analogiae ratio habetur), haud scio an ea ex eodem fonte hausta sint: cf. Serg. 515, 26 et Pompei. 262, 18. Inter eos vero locos, quos cum antecedentibus Prisciani libris congruere supra commemoravi, hi consensum dilucidissime ostendunt:

558, 20 potatus secundum analogiam vel potus : 475, 7 (ead. testim.),

559, 1 lavatus : 475, 1 (Terentius; p. 559 versus plenior legitur, ut se ipsum exscripsisse Priscianum statui non possit),

559, 9 oriturus : 501, 24 (Horat.),

559, 13 ruiturus : 505, 12 (Lucan.),

559, 16 cariturus, cassus : 483, 15. 485, 8. 492, 7 (ead. testim.),

566, 2—18 iuratus, cassus, titubatus : 485, 1—11,

567, 14 meditatus, auxiliatus etc. active et passive prolata : 379, 16 + 381, 2 + 385, 13 (in libro VIII Caprum auctorem esse ex ordine alphabetico elucet; de qua re vide supra p. 50),

570, 8 ambĭtus et ambītus : 547, 4 (Ovid.),

570, 23 necatus, nectus : 470, 21 (cf. Diom. 366, 5),

570, 24 intonatus : 473, 12 (Horat.).

Reliqua libri pars plerumque breves regulas sine auctorum exemplis continet, ut vel inde hanc Capro non deberi appareat.

De libris XII et XIII.

In his libris *de pronomine* dubito num Caper omnino adhibitus sit: certa enim indicia desunt, nisi forte ea, quae 587, 3 sqq. (cf. lib. XIII 11, 17) de nominativis *nostratis, infimatis* et 595, 14 de *cuiatis* proferuntur, Capro vindicanda sunt, cum similis doctrina 129, 7 et 337, 11 exstet, priore loco Capro tributa, et praeterea 587, 9 idem versus Plautinus atque 338, 11 legatur. Idem valet de lib. XIII 7, 10—8, 20, qui locus propter antiquissimorum exemplorum silvam et propter consensum cum lib. V 182, 2 sqq. et VI 226, 16 sqq. ad Caprum referendus videtur.

Sed de hac parte orationis monendum est aliorum grammaticorum commentarios, in quos aliquid e Capri doctrina receptum esse constet, non exstare ac ne illud quidem certum esse, illum de pronomine separatim scripsisse. Quare quoniam comparatione cum aliis grammaticis instituenda in hac parte non adiuvamur, num quid Capro vindicandum sit, definiri nequit. Idem valet de praepositione, de adverbio, de coniunctione, nam etsi Romanum in tractatu de adverbio Char. II c. 13 Capri copiis usum esse constat, tamen, quid ex eo petiverit, compertum non habemus. Itaque etsi pauca invenimus apud Priscianum, quae cum aliis grammaticis consentiunt, tamen, utrum Caper communis fons sit an alius aliquis, nescimus. Sed per se haud verisimile est in libris XII sqq. Caprum adhibitum esse, cum excepto libro XV perraro exempla e veterum sermone petita exstent. Etiam Karbaumius p. 16 et 17 de horum librorum fontibus quaerens aliis auctoribus Priscianum usum esse statuit, inprimis Apollonio, Donato, Censorino.

De libro XIV.

Haec, quae modo exposui, etiam de libro XIV *de praepositione* valent, quamquam in hoc Caper bis, 40, 30 et 44, 9, appellatur. Illas enim duas commemorationes ex suo ipsius libro Priscianus haurire potuit, ut supra in adnot. ad fragm. 11 et 12 exposui (cf. lib. III 85, 1 et 95, 18). Ceterum de Capri doctrina de praepositionibus vide fragm. 31 cum adnot. et adnot. ad pag. 7.

De libris XV et XVI.

Liber XV ab iis, de quibus modo dixi, eo differt, quod in hoc multa testimonia vetustissimorum invenimus, quae in illis

desideramus. Praeterea in hoc libro Priscianus non ad graecos grammaticos redit, sed, etsi nullum nominat auctorem praeter Donatum in commento Aeneidos p. 61, 20, tamen e doctrina prolata apparet antiqui cuiusdam auctoris vel complurium copiis eum usum esse (cf. Karbaum. in fine disputationis suae). Quis vero has copias ei suppeditaverit, utrum Caper an alius aliquis, diiudicare non audeo. Quae enim de Capri de adverbio doctrina comperta habemus, tradidit Romanus apud Char. II c. 13, cuius capitis maxima pars e Romano exscripta est. Accedit unus locus apud Pompeium 243, 19, qui Caprum adverbia a participiis derivari posse docuisse dicit. In illo Romani commentario quinquies Caper appellatur, sed verisimillimum, ne dicam certum, est etiam aliis locis, ubi nomen auctoris non addidit, Romanum eo usum esse. Sed desunt indicia, quibus, quid Capro debeat, cognoscamus, cum pauca cum eis grammaticis congruant, quos de adverbio disserentes Caprum secutos esse suspicari possumus, Priscianum dico et Pompeium. Qui consensus tam paucis locis conspicitur, ut paene nihil inde proficiamus. Appellantur praeterea apud Romanum permulti alii auctores neque, quid e singulis sumpserit, discerni potest. Etiam in iis, quae communia habet cum Prisciano, nonnulla insunt, quae apud Romanum aliis auctoribus tribuuntur, velut idem exemplum, quod Prisc. 63, 16 ad vocem *tractim* adhibet, Romanus (Char. 221, 10) e Sisenna delibavit; de adverbiis *duriter* et *largiter* (70, 4) apud Romanum (Char. 197, 22 et 204, 22), de priore Helenius Acron, de posteriore Iulius Modestus disseruere. Quae cum ita sint, etiam reliqui loci consentientes utrum ad Caprum referendi sint an ad alium aliquem, dubium est. Nihilo secius tamen eos enumero atque eodem modo eos, qui cum Pompeio congruunt, nam etsi incerta res est, tamen notatu digni videntur:

70, 9 inhumaniter : Pomp. 245, 4 (Cicero),
71, 12 valde : Roman. apud Char. 218, 8,
74, 11 donicum : ibid. 197, 15,
76, 5 actutum : ibid. 194, 25 (Vergilius),
76, 19 (cf. 80, 20) adverbia a participiis derivata : Pomp. 243, 19, ubi Caper nominatur.

His accedunt ea, quae propter consensum cum prioribus, ubi ad Caprum referebantur, hoc quoque loco ei tribuenda sunt, etsi

diiudicari nequit, utrum ex illis libris an ex ipso Capro haec repetiverit Priscianus. Eiusmodi sunt duo loci:

68, 16 potis, pote : lib. VI 251,17 (cf. Serv. in Aen. III 671),

80, 10 nuperrime : lib. III 96, 2, ubi Caper appellatur.

Praeterea alia multa insunt in hoc libro, quae cum Capri studiis maxime convenire nemo negabit, velut ea, quae 70, 14 sqq. de usu Pomponii, Titinii, Plauti, Novii, Lucilii, Varronis, Ennii proferuntur. Sed quam incerta haec sint, facile apparet.

De altera libri XV parte, quae est *de interiectione*, nihil enucleare potui, neque magis de libro XVI *de coniunctione*. Omnino negaverim de his Caprum scripsisse.

De libris XVII et XVIII.

Quoniam ea, quae in his libris *de constructione* scriptis docentur, plane diversa sunt a Capri studiis, dubito num in his Priscianus Caprum omnino adhibuerit. Nam quae consentiunt cum praeceptis in antecedentibus libris ad Caprum relatis, facillime ex illis libris repetere potuit; certe saepius relegat legentes ad priores libros (cf. 230, 21. 233, 23). Ceterum ipse saepius indicat, velut 108, 2, Apollonii vestigia se maxime secutum esse, raro, si quid vel ex aliis vel ex se ipso congruum invenerit, hoc interponentem. In quibus additamentis etiam nonnulla insunt, quae propter consensum cum prioribus libris Capro vindicanda sunt, quamquam, ut supra dixi, non constat, utrum ex Capri libris haec Priscianus deprompserit, an ex suis libris repetiverit. Ex his ea tantummodo enumero, quae dilucidissime concentum ostendunt; alia minus certa afferre inutile est.

122, 15 cuias et cuiatis : lib. XII 595, 13 (Plaut.),

269, 16 laboratus, decursus, epotus : lib. VIII 375, 22. 376, 3, lib. IX 561, 21 (ead. testimon.),

361, 12 ruo et moror : VIII 393, 23. 389, 17 (ead. testimon.),

364, 8 verba et active et passive prolata, velut *mereo(r)*, *populo(r)*, *nutrio(r)*, *bello(r)* : lib. VIII, ubi eadem verba atque etiam testimoniorum compluria exstant

vel propter alphabeticum ordinem vel propter alias causas Capro vindicanda; de qua re accuratius disputavi de libro VIII disserens.

Hucusque de Capro Prisciani institutionum fonte: nam de minoribus Prisciani libris disserere opus non est, cum in eis Capri doctrinae nulla vestigia insint. In institutionibus vero quae ad eum referenda sint, demonstravisse me spero indeque comprobasse in libris de nomine et de verbo neminem ex latinis grammaticis plus doctrinae Prisciano suppeditasse quam Caprum, in aliis libris vel rarius vel numquam eum adhibitum esse.

Halis Sax., Formis descripsit Ehrhardt Karras.